

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


THE
REVEREND RICHARD HOOPER, M.A.,
*Vicar of Upton and Aston Upthorpe, Berks,*
*and one of Dr. Bray's Associates.*
FOR HIMSELF AND FRIENDS.


Richard Hooper,
Upton Scudamy, Berks.


BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·
DOMINUS ILLUMINATIO MEA



# MICA
## PANIS QUOTIDIANI
# EUCHARISTICI,
Id est
## Praxis Hiſtorica & Methodica,
à Sanctorum Exemplis & doctrinis mutuata, ac in formam piarum
## MEDITATIONUM
Pro quolibet anni die ſtudiosè redacta, Methodum oſtendens
*Ad Diviniſſimum* Altaris Miniſterium ſe dignè, devotè, ac affectuosè præparandi;
Opuſculum delicioſum æquè, ac ſalutare
à *Viro quodam* Religioſo Ordinem S. Spiritûs Canonicorum Regularium de Româ in Saxia Memmingæ profeſſo conſcriptum,
Jam verò ob aſceſin planè ſingularem publici Juris factum.

## PARS I.

*Cum Facultate Superiorum.*

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
Apud *Chriſtophorum Bartl*, Anno 1746.

1. 9. 27.

1.9.27.

Spiritui Sanctiſſimo
Increato Amori
Patris, & Filii Nexui Æ-
terno,
Cœlíque cum Terra
Per Amoris Sacramentum
vinculo Indiſſolubili
Hæc Opella ſacra eſto!

ET Cui, Spiritus diviniſſime, exilis iſte labor titulo juſtiore inſcribatur, quàm Tibi? non ea tantùm de

ratione, quòd in ſolo Tuo natus ſit, ſed idcircò potiſſimùm, quòd, quemadmodũ in primis Univerſi producti cunabulis ſuper Aquas ferebaris, quo vivificam iis fœcunditatem inſpirares, ita poſtea adveniente temporum plenitudine, virtutem eandem tum in undas *luſtrales* propagaveris in Jordane, tum in ipſa quóque *Panis*, & *vini* Elementa extenderis in Eccleſia: ut quos undis iisdem ad vitam æternam regeneras, alimento cœleſti paternè etiam nutrires. Neque verò absque Myſterio factum eſſe credendum eſt, quòd ſancta Eccleſia in Officio divino, Ipſo Te inſpirante, Tibi præcipuè, *Spiritus ſuaviſſime*

adſcri-

adſcribat Manna illud Typicum, quo traducti per Mare rubrum Iſraëlitæ vivebant in deſerto; ut videlicet intelligeremus Eidem divino Auctori Ipſam veritatem in acceptis ferendam, cui olim umbra debebatur.

Certè, quamvis amabiliſſimum Incarnationis Myſterium ſine ulla dubitatione totius Sanctiſſimæ Triadis opus ſit, Id tamen à ſacris Litteris Tibi *perſonaliter* iteratò attribuitur: ut ſequela conſimili *inde* evidenter deduceremus, Ipſam quóque Ejusdem *Extenſionem* (quam vocant) in Sanctiſſimo Altaris Sacramento infiniti Amoris Tui eſſe effectum. Equidem haud iverimus inficias Ip-

ſum Servatorem Noſtrum hoc Amoris Myſterium in ultima Cœna inſtituiſſe, primúmque Patri æterno obtuliſſe, ac Diſcipulis, ut idem in Sui memoriam agerent, poteſtatem contuliſſe. Sed nemo viciſſim negaverit hujusce Poteſtatis exercitium tum primùm cœpiſſe, poſteáquam Tu, Spiritus ſanctiſſime, gratiæ tuæ plenitudine Eosdem ſacrâ Pentecoſtes die afflaveras: tunc enim, verò, uti Faſti teſtantur Apoſtolici, exordium ſumpſit Myſtica illa *Fractio Panis*; tunc enim Hoſtia incruenta primùm indies oblata; tunc jugi Illi Sacrificio datum initium, quod, Te aſpirante, usque ad Mundi excidium per-

dura-

durabit, manifeſto utique indicio, Ordinatos à Deo Sacerdotes ſuo in Miniſterio à Te excitante, adjuvante, & perficiente omninò pendere. Jure igitur optimo ſancta Eccleſia in ſacra Liturgia, Te *Sanctificator Deus* indies devotè advocat, ut Sacrificia tuo ſancto Nomini præparata benedicas, & accepta Cœlo reddas.

Jure pii Sacerdotes cum magno Doctore Mediolanenſi quotidie Te rogant, ut doceas eos tantum tractare Myſterium cum reverentia, & honore, devotione, & timore, quibus oportet, & decet; útque intres in corda eorum, ſonésque ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum lo-

"quaris omnem veritatem. Jure iidem cum eodem ſupplicant; "ut ſuper eos deſcendat illa Tua "inviſibilis, incomprehenſibilis- "que Majeſtas, ſicut quondam in "Patrum hoſtias deſcendebat, quæ "Oblationes eorum Corpus, & "Sanguinem Chriſti efficiat: Argumento denuò evidentiſſimo tuum præcipuè munus eſſe ſacris Myſtis in Ara indies cooperari, eósque in obeundo ritè Officio ſuo condignè erudire. Porrò, cùm ad hunc finem, ut Ipſi quóque de ſuo, quantùm in ſe eſt, conferant, exigua hæc folia aliquid operæ collatura nonnullorum judicio viſa fuerint: hinc ea ad pedem Solii tui ſacratiſſimi

omni,

omni, qua poſſumus, ſubmiſsione deponimus, ſuppliciter rogantes, ut emortuæ illorum litteræ inſpirare eandem virtutem digneris, qua verba tua animare ſoles, omniúmque eorum, qui affectu ſincero verſaturi illa ſunt, Intellectum luce ſuperna, voluntatem amore Seraphico, & Memoriam imaginibus ſanctis eâ abundantiâ imbuas, quo fructum à Nobis unicè intentum pleniſſimè conſequantur. Præcipuè verò (quod tamen ſine aliorum invidia exoramus) adſis Illis, qui in iſthac tua Domo Memmingenſi Tibi cum Patre, & Filio deſerviunt, Hoſtiámque incruentam quotidie litant; & quandoquidem Domum

1.2.27.

Spiritui Sanctiſſimo
Increato Amori
Patris, & Filii Nexui Æ-
terno,
Cœlíque cum Terra
Per Amoris Sacramentum
vinculo Indiſſolubili
Hæc Opella ſacra eſto!

ET Cui, Spiritus diviniſſime, exilis iſte labor titulo juſtiore inſcribatur, quàm Tibi? non ea tantùm de

# AD

## Venerabiles Dei Sacerdotes.

ACcipite, Domini omni debito honore colendiſsimi, Folia hæc eo affectu, & Intentione, quibus ſacris manibus veſtris illa porrigimus, unicam Dei Gloriam, Eccleſiæ ſanctæ emolumentum, veſtrámque utilitatem Spiritualem ſpectantibus. Præfatione circa eorundem uſum opus haud eſſe cenſuimus, cùm praxis ipſa, & maximè *Unctio* Spiritûs Illius diviniſsimi, cui ſacra ſunt, ſatis, uti confidimus, vos ſint edocturæ. Fruimini interea exili hoc labore, & ſi quid ſubinde occurrerit guſtui veſtro gratum, etiam Noſtrî mementote.

Licen-

# LICENTIA
## Superioris.

NOs Paulus Ordinis ſancti Spiritûs de Roma in Saxa per Germaniam, & Alſatiam Vicarius Generalis, Hoſpitalium Memmingenſis, & Wimpinenſis Magiſter, hiſce licentiam facimus, ut *Mica Panis Quotidiani Euchariſtici* à quodam Religioſo Hoſpitalis noſtri Profeſſo exquiſito ſtudio conſcripta, à Theologis ad id deputatis, reviſa, approbatáque per prælum typographicum evulgari queat. In quo-

quorum fidem præſentes manu noſtra, Sigillíque Magiſterii noſtri impreſſione munitas dedimus in Hoſpitali noſtro Memmingano Anno Domini milleſimo, ſeptingenteſimo, quadrageſimo ſexto, die 29. Junii.

L.S.

Paulus Magiſter mpp.

Appro-

# Approbatio Theologica.

MUlti ſunt, etiam de numero Sacerdotum, qui cum Lazaro mendico upiunt ſaturari de *Micis*, quæ cadunt le menſa divitis ( Chriſtum cum D. Anonio Patavino intelligo Euchariſticum; *ipſe* enim *dives in omnes, qui invocant illum*, ùt inquit ſapiens *Prov. 8.* & in ipſo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi, teſte Paulo *Coloſſ. 2.* ) Qui, inquam, majori cum guſtu menſæ Domini iccedere affectant; ſed nemo eis dat, uod appetunt. Quotidianæ nempe Praes, quas paſsim libelli precatorii offeunt, menti paulatim, & affectui graves iunt, ut nec illam in objecto ſuo defitam teneant, nec iſtum ampliùs, utì negotii divinitas exigit, accendant, Unde it, ut preces ordinariæ, quas *acceſsûs* nomine intitulant, *paſsim* ex mera conſuetudi-

tudine, & sinè devotionis sensu persolvantur. Hanc verò orexin restituturus Eximius Author hujus operis, *Micam* adinvenit *Panis Eucharistici*, nova methodo hinc sanctorum Exemplis in dies anni singulos distributis, inde asceticis doctrinis ubertim decoctam, quam qui indies ante Deifici Altaris accessum cupidè degustaverit, certè ex hoc divinissimo convivio saturatus abibit. Singulæ quippe sententiæ prægustantibus ad sensum demonstrant, *Micam* hanc non ex alio, quàm *Spiritûs sancti*, cujus Ordinis famosissimi partus est, furno prodiisse. Quî igitur fieri potuisset, ut vel in orthodoxam fidem, vel in morum honestatem in minimo offenderet? absit, cùm potiùs utramque cunctis viribus consolidet, dignissima, quæ usum gustúmque continuum ad aras facientium sortiatur. Ità censeo ex Conventu Lenzfridano-Franciscano ad S. Bernardinum Senensem, die 17. Septemb. 1746.

Fr. Cherubinus Mayr SS. Theol Lector Jubilatus, dicti Conventûs p. t. Guardianus.

MICA

# MICA

## Panis quotidiani Euchariſtici.

## PARS PRIMA.

### Ab adventu usque ad Paſcha.

iij. Cal. Decemb. die 29. Novem.

*S. Spes, Epiſcopus Spolet.*

ULtimum ſacrum dum perageret S. Spes, Epiſcopus Spoletanus, vila eſt ſuper caput ipſius columba, nive candidior, Schedulam ore præferens; quam & in caput beati Præſulis demiſit, hæc continentem: *Corona hodie ſuper caput juſti pretioſa.*

*Felix nuntius*, pacem & gloriam ſempiternam apportans! At quibus? non niſi perſeverantibus in bono: ſola ſiquidem in virtutibus perſeverantia coronatur. Clementiſſime DEUS, largire mihi ſanctam in bono perſeverantiam; ut merear cum electis tuis accipere coronam gloriæ, quam promiſiſti timentibus te, & in bono in finem uſque perſeverantibus: (a) quæritur enim in juſtis finis magis, quàm principium. Equidem bonus erat



(a) *S. Auguſtin.*

Judas initiô conversionis suæ; verùm Apostolatum clausit infami proditione. Econtra dirè sæviebat in Christi discipulos Saulus; at postea mutatus in virum alterum, munus Apostolicum martyrio decoravit. Pulcherrimus inter Angelos eminebat initiô Lucifer; sed victus superbiâ, præceps ad tartara de cœlo abijt. Mihi quoque, optime DEUS, moriendum aut vincendum est; tu igitur pugna pro me; tu me impugnantes expugna. Dixerat quondàm de Sapientia divina Regum sappientissimus, (*b*) eam misisse ancillas suas, ut vocarent ad Arcem, & ad mœnia civitatis; id est, ut vocarent ad Sacramentum Corporis CHristi, quod est contra inimicos munimen. Hoc munimine & ego stabo; in hoc vincam; in divinissimi istius cibi fortitudine hostium cuneos penetrabo; cùm ex mente D. Chrysostomi (*c*) tanquam leones; ignem spirantes, ab illa Mensa recedere debeamus, facti diabolo terribiles. (*d*) Dignè etenim ex Calice eucharistico bibentes, coronam merentur in victoriæ signum, & in altera vita gloriæ coronâ donabuntur, cujus pignus eucharisticus est Calix. Verè, Pater Clementissime, misericordias tuas in æternum cantabo, quòd mihi, filiorum tuorum indignissimo, ac maximè inobedienti, sub humili panis specie (cibo tamen fortissimo, & validissimo munimine) occurris, ut me in domum paternæ tuæ gratiæ ac gloriæ introducas; dum ego perversâ vitâ meâ eradicari me-

reor

(*b*) *Proverb.* 9. *Hugo Card. ibi* (*c*) *Homil.* 61. *ad pop.* (*d*) *Novar. fol.* 1176.

reor de terra viventium; dum millenas tibi, piiſſime Servator, cauſas præbui, ut à facie tua indignum proijceres, ſuppliciſque æternis deputares. Illuſtra ô ſol juſtitiæ, cor meum radijs præſentiæ tuæ euchariſticæ; invicto hoc munimine contra hoſtes quosvis corrobora; ut in bono ſolidatus, placidè tandem in lectulo gratiæ tuæ obdormiſcam; indéque feliciter tranſeam ad diem gloriæ ſempiternæ, præparatum à conſtitutione mundi diligentibus te, & in amore tuo perſeverantibus: ſolummodo enim

*Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

## Prid. Cal. Dec. ultimo Novembris.

### *S. Andreas Apoſtolus.*

S Andreas, crucem ſibi paratam dulciſſimè ſalutando, dicebat: O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata; accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo; ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Agnum immaculatum quotidie immolabat in altari, qui manducatus, integer perſeverat.

Appoſitiſſimè de S. Andrea Apoſtolo ſcripſit D. Bernardus: (a) verba illius carbones erant ignis illius, quem de excelſo Chriſtus miſerat in oſſa ejus. Audiamus loquentem: ego, inquit, quotidie omnipotenti DEO, qui unus eſt, immolo non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed agnum immaculatum.

Utinam pro merito ponderaremus, Sacerdotes;



(a) *Serm. 1. de S. Andr.*

nos quotidie offerre Omnipotenti DEO, non carnes taurorum, vel hircorum ſanguinem! Ea offerebant Iſraëlitæ in lege veteri, & tantâ quidem attentione, tantâ devotione, ut odor ipſos penetraverit cœlos; (c) odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis. Eadem immolabat Salomon in templi dedicatione, DEO tantum in illis ſibi complacente, ut ignem cœlo demitteret, quo victimæ conſumptæ fuerunt. Carnem ac ſanguinem idolis ſuis ethnici ſacrificabant, eâ devotione, ut plurium Chriſtianorum confundant ſegnitiem. Nos verò immolamus, non cruorem, aut victimas animalium, ſed Agnum immaculatum, carnem Filij DEI, Sanguinem Redemptoris noſtri: Veriſſimè nullus eſt, qui recogitet corde, quàm ſublime, quàm eminens ſit hoc Myſterium. Et quare? quia ex conſuetudine accedentes, non perpendimus, quàm tremendum opus peragamus. Quod, ſi cogitarent (verba ſunt Chryſoſtomi) vitam viverent crucifixam. Vidit D. Andreas crucem, ſibi paratam; nec horruit, ſed alacriter eam eſt amplexatus, quia vitâ vixit crucifixâ. Audijt Petrus ex obvio ſibi Magiſtro: vado Romam, iterum crucifigi: & ad carcerem redijt, ut ad crucem inde progrederetur, quià vitâ vixit crucifixâ. Gloriatur gentium Doctor in paſſionibus ſuis, eáſque ſingillatim recenſet, tandem concludens: (d) vincula & tribulationes Hieroſolymis me manent; ſed nihil horum vereor. Quam ob cauſam? quia mundus ipſi crucifixus erat, & ipſe mundo.

Me

(c) *Genes. 8.* (d) *Act. 20.*

Me ſegnem, ac confuſum ab Hebræis, gentilibus, Sanctis! O quàm timenda mihi maledictio illa, quâ fulminatur, qui opus DEI negligenter perficit! Bone JESU, qui te olim mihi dediſti in pretium, cruci confixus, & etiamnum in cibum quotidie præbes ſub velo euchariſtico; quid retribuam tibi pro ſummis hiſce beneficijs? Ecce calicem ſalutaris accipiam, & nomen tuum invocabo. Ecce teipſum tibi offero; da, ut attentè, devotè, fervidè hoc ſacrificium Agni immaculati (qui integer ſemper perſeverat) aſſiduò peragam; ne audiam:

*Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.*

## Calend. Decemb. die 1. Menſis ejuſdem.

### *SS. Diodorus & Marianus MM.*

SAncti iſti, cum alijs Chriſtianis in crypta Sanctorum Martyrum divinis aſſiſtentes Myſterijs, palmam Martyrij & ipſi conſecuti ſunt, foribus Imperatoris juſſu per Satellites obſtructis, igne abſumpti. Ita ſacra merces ijs obtingit, qui ſacris intendunt. Utinam & ego hodie, ab Ara diſcedens, morerer! at quo modo? non exeundo de hoc mundo, ſed à meipſo, ſolique poſthac DEO vivendo. Fortis quippe eſt, ut mors, dilectio, (a) quæ in nobis occidit, quòd fuimus. Charitas DEI, ſpiritus DEI eſt. Inde cùm hominem formaret ſupremus Artifex, inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Quàm congruè in faciem: (b) ibi enim ſenſus omnis; ibi ſedes & illecebra delectationis in oculis, in auribus, in ore: ut ergo ſenſus noſtros adverſùs delectationes corporis red-

(a) *Ambroſ. lib. 6. Epiſt. 42.* (b) *Greg. Naz. Orat. 42.*

redderet fortiores, inſpiravit in faciem noſtram ſpiraculum vitæ. Spiraculum iſthoc charitas eſt, in nobis ordinata, ac per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris diffuſa. Porro per quid magis diffunditur, niſi per ſacratiſſimum Altaris Sacramentum? DEUS enim noſter ignis conſumens eſt; (c) & victima mea hoc habet, ut ſenſus expurget, à quibus peccatum oritur. Ure ergo igne charitatis tuæ renes meos, & cor meum, Domine; ut tibi caſto corpore ſerviam, ac mundo corde placeam; (d) qui præ nimio mei amore aperuiſti tibi latus, ut mihi aperires cor tuum, & vulneribus meis pretioſo ſanguinis tui balſamo medereris. Equidem quinque ſenſibus meis reſpondent totidem ſacratiſſima vulnera tua: intrent itaque manus meæ in manus tuas, pedes mei in pedes tuos, cor meum in cor tuum. Hâc ratione non erit iniquitas in manibus meis; ita erit lucerna pedibus meis, fietque cor meum immaculatum. Inimici mei cadent ſubtus pedes meos; manus ad prælium docebuntur; & ſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum; quia

*Dominus mecum eſt, quaſi bellator fortis.*

## iv. Non. Dec. die 2.

### *Ven. Joannes Ruſbrochius.*

QUàm magna ſit multitudo dulcedinis divinæ, expertus eſt devotus DEI famulus Joannes Ruſbrochius, qui ipſo annorum ſexaginta quatuor ſpatio Sacrum, niſi coactus, nunquam omiſit. Semel, dum id perageret, raptus in ecſtaſin, vidit ante ſe Chri-

(c) *Auguſtin.* (d) *S. Bonav. ſtim. pæn. 1. c. 1.*

*Chriſtum Dominum, audivítque ſibi dicentem: tu meus es, & ego ſum tuus.*

Quin DEUS ſit meus, dubio vacat; meus eſt, dum quotidie viſcera mea ingreditur; meus, dum indies ad ſe accedentem, ſibíque loquentem audit; meus, dum omnia ſua mihi largitur, ac profuſiſſimè diſpenſat: (a) venale eſt, quod habeo, dicit tibi DEUS. Enimverò meæ ſunt ſacræ indulgentiæ, eáſque ego diſpenſo; tu illas brevi precatjunculâ ac devotione mereri vales. Gratia curationum in me eſt: tu eam firmâ fide in te transferre potes. Meus eſt orbis terrarum, & univerſa, quæ eodem continetur, plenitudo; tu illam de manu mea ſuſcipis. Animæ, luſtralibus vitæ alterius flammis detentæ, meæ ſunt; tu hiſce eas eximere, & cœlo aſſerere potes: venale eſt, quod habeo, dicit tibi DEUS. Sed utinam quemadmodum tu DEUS meus es, ita ego ſum tuus! (b) At venit avaritia, & vendicat ſibi ſedem in me; jactantia cupit dominari mihi; ſuperbia imperium in me prætendit; iracundia certat in me *ipſo*, de me ipſo. Quâ igitur fronte dicere potero: *tuus ſum ego*? Id porro ut aſſequar, dicam *cum Davide*: tuus ſum ego, ſalvum me fac: aut veriùs: ut tuus ſim, ſalvum me fac, à terrenis omnibus ſecretum, & quibuſvis exolutum vinculis, quæ globo me terreſtri adſtringunt. Salvum ergo me fac; & evolabo ad te, ac in te conquieſcam. Corpus hoc, quod corrumpitur, aggravat animam: & quis dabit mihi pennas; & volabo! Feliciſſimus Cajetanus, dum ad cæleſtia exardeſcens, cuperet diſſolvi, & eſſe cum Chriſto,

(a) *Auguſtin.* (b) *Bern. Hom. 4. ſuper miſſus eſt.*

vidit cor ſuum pectus dirumpere, & alis inſtructum, ad ſuperna evolare, dulciter inde ejulans: (b) cor meum dereliquit me. Sed quid mirum, ſancte Pater? certè ſi, ubi theſaurus, ibi & cor; eò tuum feſtinavit, alas ſufficiente amore, ubi invenit Dilectum. At quàm profundè infixa ſunt corda noſtra limo ſæculi hujus! (c) Alas erigunt quaſi ad volatum, & tamen nunquam à terra ſe elevando ſuſpendunt. Tu, Domine, adde cordibus noſtris alas, ſicut columbæ; & volábimus, & requieſcemus. (d) Feciſti enim cor noſtrum ad te, & inquietum eſt, donec requieſcat in ſe. Hoc verò ut conſequi poſſim,

*Salvum me fac; tuus ſum ego.*

## iij. Non. Dec. die 3.

### *S. Franciſcus Xaverius.*

QUàm multi hodie exoptant contrarium ab eo, quod in votis erat D. Franciſco; qui in laboribus & ærumnis dicere ſolebat: ampliùs, Domine, ampliùs; in ſolatijs verò: ſatis eſt, Domine, ſatis eſt. Hic per integrum anni unius ſpatium ſeſe paravit ad primam Hoſtiam; (a) eúmque pietatis ſenſum haud ſecus retinuit inſequenti vitæ tempore, quàm ſi Neomyſta quotidie ad arum accedens, primam illam ſacrorum dulcedinem delibaret.

Salve, O JESU, in ſacratiſſimo Altaris myſterio totus, terque admirabilis; ſalve hoſpes, in quolibet ſacrificio mihi gratiſſime, ſalve ô ſumma admirabilitas. Quidquid in te eſt, admirabile, & inveſtigabile eſt;

(b) Pſal. 39. (c) Gregor. in Job, c. 39. (d) Auguſtin. (a) Author in vita.

eſt; quidquid in hoc mundo egiſti, indicibile eſt; quid enim mirabilius, quàm opera tua? unus quippe paſſus aut greſſus plus meruit, quàm univerſi angeli ſancti, ac homines actibus ſuis, utut infinities iteratis promereri queant. Quodſi itáque vel uno ſuſpirio, aut unicâ ſanguinis guttâ, utpote valorem infinitum continente, aſſerere mundum potuiſſes; quid erit tot millenis pretioſiſſimi tui cruoris, amore noſtrî profuſi, guttis? tot atrociſſimis cruciatibus, & morte, non acerbiſſimâ minùs, quàm ignominioſiſſimâ? Verè mirabilia opera tua; & anima mea cognoſcit nimis. Pro his omnibus quid retribuam Domino meo? Si quoſvis mundi theſauros, regna quævis orbis univerſi, & coronas donarem; nihil donarem: ſi omnia hominum quorumcunque opera bona, omnia SS. Martyrum tormenta tibi offerrem; exigua offerrem, cùm ſis infinitæ Majeſtatis Monarcha, meriti immenſi Dominus. Offero igitur Teipſum Tibi in ſacro altari, unà cum univerſis ineffabilibus meritis, vulneribus, cruciatibus, lacrymis, & pretioſiſſimo effuſo ſanguine tuo: offero pretium ſacratiſſimæ mortis tuæ, quâ nos redemiſti, & cœli januas reſerâſti. Suſcipe univerſa hæc, in expiationem delictorum, culparum, negligentiarum & defectuum meorum, in obſequio tuo, ac ſacri Altaris miniſterio umquam admiſſorum; & da mihi novum in dies ſingulos ſpiritum ac fervorem, ad ſacra tua obeunda haud minori applicatione, quàm ſi vel primò, vel ultimò id facerem, uti in alijs omnibus, ita in hoc præcipuè divinissimo negotio memor illius:

*Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.*

Pridie

## Pridie Non. Dec. die 4.
### *S. Barbara V. & M.*

SAncta Barbara, Ter ſacroſanctæ Triadi devotiſſima, eandem vel in carcere ſub trium feneſtrarum myſterio honoravit. Mortem pro Chriſto ſponſo generosè ſubiens, eam viciſſim ab ipſo obtinuit gratiam, ut nemo clientum ſuorum ex vita hac abſque epulo euchariſtico deceſſurus ſit; Id quod prærogativâ ſingulari in B. Stanislao, Henrico Kock, toto corpore exuſto, flammiſque erepto, ac pluribus aliis, magno Cultorum ſanctæ iſtius Martyris ſolatio, DEUS oſtendit.

Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus, qui, quia pro ejus amore vitam profuderunt, ideo regnant cum ipſo in cœlo, magnis non minùs ab eodem prodigijs honorati in terris. Me pigrum ad eorum exempla! Vicit D. Barbara carnem, mundum, dæmonem; & vicit omni privata auxilio, omni humano deſtituta ſubſidio, ſolâ contemplatione Trinitatis ſacratiſſimæ; quam ut in typo præſentem haberet, tertiam in carcere feneſtram aperiri juſſit. O quanta mihi ſuppetunt auxilia, quot remedia ſpiritualia! Non deſunt Sacerdotes, nexus peccatorum ſolventes, & ſacra exhibentes myſteria. Verbum DEI in Eccleſia audio, invenio in libris, corde retineo. Scientijs & artibus, ſacris etiam inſtructus ſum: verbo: tot abundo ad ſalutem adminiculis, ut inopem me copia faciat; non vivo inter gentiles, ut D. Barbara; imò tot præclara Chriſtianorum proborum in oculos incurrunt exempla, tot occurrunt occaſiones, chariſmata meliora æmulandi.

Nònne

: ſurgent in judicio viri Ninivitæ, & condem-
: nos, atque arguent ſegnitiem, negligentiam,
incompoſitos, & verba effrænia Sacerdotum,
:um ore nugæ ſunt blaſphemiæ? Sancti per
devicerunt tyrannos, operati ſunt juſtitiam,
i ſunt repromiſſiones: idiotæ & ſimplices cœ-
ɔi rapiunt; nos cum doctrina noſtra ad inferos
ɔamur. Porro quâ ratione vicerunt ſancti?
n quo pretio comparârunt? Non niſi charitate;
ua ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam,
ihil deſpiciet eam. Hâc Stephanus triumpha-
des, cratem ignitam Laurentius, Barbara pa-
n, tyrannum, cruciatus horrendos. Hanc
ſſimam divinæ Charitatis gemmam mihi pre-
mpetra, generoſa Virgo, beatiſſima Barbara;
:ero arctiſſimóque amoris vinculo Domino
ucharistico adſtringar, ſímque unus cum eo-
iritus: omnium quippe
*er eſt Charitas.*

## Nonis Decem. die 5.

### *S. Sabbas Abbas.*

QUæ major iniquitas, quàm ut inde à te Crea-
tor contemnatur, unde plus amari merebaſ-
le magno ejus bono in te tu magnum in eum
itas malum: Iraſceris Judæ proditori, ac
:, Chriſtum è cruce ſuſpendentibus; at in quo
: alterum, teipſum condemnas; dum ad ſacram
in abſque ulla attentione, devotione, ac pecca-
expiatione accedis.

Vi-

Viderat aliquando D. Sabbas duos Monachos Neſtorianos, Corpus dominicum ſumere volentes, à duobus tamen, ut videbantur, ſatellitibus ſubmotos, ne ad Aram pertingerent. Ignorabat vir ſanctus, eos tabe hæreticâ infectos eſſe; inde ſatellitibus inſtitit, acceſſum ad Menſam divinam concederent Monachis devotis. Sed audijt, indecens eſſe, ut corpus dominicum ſumant ij, qui Divinitatem Chriſto, Mariæ Virgini ſacratiſſimæ Maternitatis honorem eripere auſu nefario attentarent.

Equidem non aufero Servatori Divinitatem, nec Maternitatem Virgini; abſit tantum à me ſcelus; imò in hæreſes ſi pugnandum eſſet, vitam promptiſſimè exponerem: Verùm Chriſtum mihi eripiunt affectus terreni, & mundi cupiditates; & quamvis anima, ad exemplum Magdalenæ, quærat Dominum ſuum; corpus tamen, quod aggravat, ac impedit animam, commoda ſua & voluptates ſectando, eundem mihi ſubducit. Ita cùm credo illum tenere, nec dimittere, ecce pravi affectus eum ſurripuerunt: tulerunt Dominum meum. (b) Unguentum in ore tuo poſuit Deus; tu verò cadavere quovis fœtidiora ibi verba repoſuiſti. Confitebor igitur adversùm me injuſtitiam meam Domino, qui (c) tam inconſideratus ſum in loquendo, tam incompoſitus in moribus, tam inportunus in actibus, tam effuſus ſuper cibum, tam ſurdus ad Dei verbum, tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem, tam

(b) *Chryſ. Hom. 6. in 2. ad Cor.* (c) *lib. 4. de Imit. Chriſti. c. 7.*

tam vigilans ad fabulas, tam ſomnolentus ad vigilias ſacras, tam tepidus in celebrando, tam tridus in communicando, tam citò diſtractus, tam rarò plenè collectus, tam ſubitò commotus ad iram, tam facilis ad alterius diſplicentiam, tam pronus ad judicandum, tam rigidus ad arguendum, tam lætus ad proſpera, tam timidus ad adverſa, tam ſæpe multa bona proponens, & pauca, vel nihilum ad effectum perducens. Hi defectus, hi affectus Chriſtum mihi eripiunt: tulerunt Dominum meum. Contra hos audentior ibo; tu, bone JESU gratiam efficacem largire, quâ cum devotis famulis tuis, juxta vatis regii oraculum, eam de virtute in virtutem, ne denuo gemere cogar:

**Tulerunt Dominum meum.**

## viij. Id Dec. die 6.

### *S. Nicolaus Epiſcopus Myrenſis.*

INter alia opera bona primo loco ſtatuerat ſuccenſus DEI amore David, nquiens: (a) introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum; optimè gnarus, gratiſſimum DEO ſacrificium eſſe, precibus vacare in ſacris Ædibus, & cor ſuum ibidem coram ipſo effundere. Quàm id DEO acceptum, habes in D. Nicolao, Myrenſi Præſule; de quo eos, qui deligendo communi Paſtori convenerant, in hæc monuit DEUS: ** qui primus ad Templum venerit, ipſe eſt, qui meo movetur ſpiritu; eſt ei nomen Nicolaus; eum Epiſcopum create. Revera DEI motus

(a) *Sut. in vita.*

motus ſpiritu, qui, quam jejunij conſuetudinem infans cœpit, ut quâvis feriâ quartâ, ac ſextâ, ſemel duntaxat, idque veſperi, lac ſugeret, totâ dein vitâ tenuit. Verè DEI motus ſpiritu, qui charitas eſt; dum divinam iſthanc virtutem aſſiduò exercitans, tres virgines, de pudicitia periclitantes, liberali, ſed occultâ eleemoſinâ dotavit; maris tempeſtatem precibus ſedavit, nautam mortuum ſuſcitavit. Jam non miror, ſi moriens obvios habuit angelos; ſi è ſacris etiamnum reliquijs pretioſum ſtillat liquorem, manna appellatum; quo mortui etiam charitatem DEUS manifeſtat.

Si primus eſt, vel (quod idem omnino) DEI præ reliquis movetur Spiritu, qui primus accedit Eccleſiam; ero & ego vir multæ orationis, Danielem ſequens, qui ternâ indies vice aperiens feneſtram, Templum Jeroſolymitanum adoravit, relicto mihi exemplo, ut ter minimùm quot diebus adorem ſanctiſſimum Chriſti Corpus, aſſervatum in ſacrario; manè videlicet, ubi primùm ſurrexero; in tremendo Miſſæ ſacrificio; demum aliâ quâpiam diei horâ, aut ſaltem ſub noctem, antequam cubitum concedam, DEUM euchariſticum ſalutando, ac dicendo animitùs: laudetur, adoretur, ſuperexaltetur &c. Inde manna dulciſſimum colligam, è Corpore pretioſiſſimo Salvatoris profluens, eóque longè ſuperius, quod olim recipiebant Hebræi cælo depluum · Siquidem (a) de ipſo Sanguine ſuo ægrotis medicamentaſecit, ſi ſit, qui colligat: colligamus ergo hunc ſacrum liquorem magno cum affectu, noſtríſque adhibeamus

(a) Aug. ſerm. 9. de verb. Apoſt.

e, Filio DEI vivi & veri, grates habeo de-
mas, quia animas noſtras tam ſublimi amoris
to in divino hoc epulo amplexaris quotidie:
i demum ſancto, qui dignatur ſpiritum no-
præcelſi iſtius myſterij ope Spiritui Chriſti
In unionis iſtius deſiderio te appeto Deum
, ut cibum dulciſſimum; ſitio cruorem tuum,
nna & nectar pretioſum: Eccleſia verò tua,
continuò reſides
mihi in *domum refugij*.

## vij. Id. Decemb. die 7.

### *S. Ambroſius Epiſcopus Mediolan.*

Inverſo magno Auguſtino D. Ambroſius pul-
herrimum hymnum *Te Deum laudamus* &
pit, & intonuit. Nullius hominis reſpiciens
tam, Imperatori Theodoſio valvas Eccleſiæ,
rederetur, occluſit. Morimur, ſuis flentibus

Chriſtus, vultu renidenti coràm apparens, ad aulam cæleſtem evocavit.

Sancte Antiſtes, illâ tuâ grandi fiduciâ in ſupremo mortis articulo me communias, rogo; multam ego mihi timendi cauſam habeo: ſi enim qualis vita, talis & mors eſſe ſolet; væ mihi, cùm ratio villicationis meæ diſtrictè reddenda erit! Si juſtus vix tum ſalvabitur; peccator ubi parebit? Bonum equidem habemus Dominum; ſed non minùs juſtum. Verùm in ſpem me erigit Ambroſij filius, Magnus Auguſtinus, dum ſcribit: (c) ideo mali bonum Dominum habemus, ne mali ſemper maneamus. Te ergo quæſumus, benigniſſime JESU, tuis famulis ſubveni. (d) Jordanem Arca Dei ſalva pertranſijt & incolumis, conſiſtentibus in una mole aquis ſuperioribus, inferioribus autem decurrentibus, & deficientibus. Nónne anima mea Arca Dei eſt? nónne ejuſdem tabernaculum & habitaculum quotidianum, quod ſubire in ſacro Miſſæ ſacrificio indies dignatur? nec tamen eadem ſalvetur, mare mortalitatis hujus tranſeundo? Fac & mecum tunc, Domine, ſignum in bonum; ſalvum tum me fac, quum intrabunt aquæ tentationum, & aggreſſionum hoſtium infernalium, uſque ad animam meam: dic tum: ſalus tua ego ſum; ut quemadmodum Arca illa typica ſalva tranſijt, ita ego quoque nil læſus evadam. Tu, qui Mariam abſolviſti, & latronem exaudiſti; mihi quoque ſpem dediſti. Ne, quæſo, abſorbeat tartarus animam meam, nec cadat in obſcurum; ſed ſignifer S. Michaël repræſentet eam in lucem ſanctam. Tu Do-

(c) *Auguſtin.* (d) *Joſue* 6.

Dominus universorum es, qui claves habes mortis & inferni. Si jubes, ut moriar; haud recuso; fiat voluntas tua, quo tempore & modo præcipis: tu siquidem mortem pro me subire dignatus es, & quidem in crucis arbore probrosissimam; cur ergo non moriar & ego? & utinam pro te! hanc solam à te gratiam flagito, ne deneges mihi: moriatur anima mea morte justorum. Jubes, Domine, ut moriatur pressa doloribus, angustijs, tentationibus, desolationibus? fiat voluntas tua. Unam petij à te, hanc requiram: moriatur anima mea morte justorum. Decrevisti, ut totus in me armetur infernus, ut circumdent me inimici mei, ut exurgat adversum me præsium? fiat voluntas tua: hoc solùm rogo, ne deneges mihi: esto tunc mecum, tamquam bellator fortis, &

*Moriatur anima mea morte Justorum!*

## vi. Id. Dec. die 8.

### *Festum Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.*

(a) Apparuit hodie Beatissima Virgo cuidam Villariensis Monasterij Religioso, Petro nomine; eique *dixit*: fili mi, hodie dies festus, mihi dicatus est; tu eum omni possibili devotione cole. Paruit sanctissimæ Matri Petrus eo fervore, ut meruerit eandem sponsam recipere, Christo ipso nuptijs castissimis benedicente.

Etiam mihi hodie ingeminat Mater pulchræ dilectionis: fili mi, hodie dies festus, mihi dicatus est; tu eum omni possibili devotione cole. E-



(a) *Ex Menol. Cisterc.*

quidem geſtio, ò Virgo, omni laude digniſſima, feſtos tibi dies quàvis poſſibili devotione obire; verùm, (a) quas ore proferimus laudes, vita perturbat impia; & lingua polluta inficit præconia puriſſimæ tuæ Conceptionis. (b) Solent amantes adillorum, quos amant, appellationes incaleſcere; & pleniùs ad eorum præſentiam: ego autem ſicut terra ſine aqua, ſicut ignis abſque calore, & aër abſque venti agitatione, quibus te laudibus efferam, neſcio, ſancta & immaculata Virginitas, dulciſſima Mater, Virgo puriſſima, flos pudicitiæ, Paradiſi ſol; Felix es, O ſacra Virgo, & omni laude digniſſima; etſi tamen laudem te, laus mea, utpote in ore peccatoris, ſpecioſa non eſt. Meas itáque in te laudando vices ſubeant univerſi Angelorum Chori, & omnis Sanctorum cœtus; jubilent tibi ſancti Apoſtoli, quorum pia Mater extitiſti; celebret te victrix Martyrum turma, quorum Regina es; laudet agmen Confeſſorum, quorum adjutrix fuiſti; Virginum puritas illibata concinat, quorum es exemplum, decus & ornamentum; diem feſtum agant ſancti innocentes, quibus longè exiſtis purior, utpote ſola absque primæva labe concepta; Magnificet te totus electorum exercitus, quorum Domina es, & Magiſtra; extollant te omnia magnalia, mirabilia omnia, quæ divina Majeſtas in te operata eſt; quæ equidem cælum amplius, pulchriorem terræ orbem creare poteſt, non verò Matrem perfectiorem: Laudent te cæli, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt. Et tu, anima mea, quan-

(a) *Auguſtin. in Pſ.* 14. (b) *Joan. Chryſ.*

quantum potes, tantum aude; major tamen eſt Maria omni laude; nec laudare eam ſufficis. Tu, tu, ò laude digniſſima, nobis eſto propitia; ora pro populo, interveni pro clero; ſentiant omnes tuum juvamen, etiam Tyrus, & populus Ætiopum: (a) Æthiopes ſiquidem non abjicit Virgo decora, ſed amplectitur, ut parvulos, diligit, ut filios. (b) Devotiſſimâ exinde ſupplicatione beatis ejus pedibus provolvamur; teneamus eam, nec dimittamus, donec cum prole pia benedixerit nobis; & tum quidem maximè, quando ad ſacrum Altare accedimus: Ipſa enim eſt, de qua natus eſt JESUS; ipſa fecit in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, & quaſi nebula tegit omnem terram; dum Chriſtum, ſolem verum, ſub nube accidentium ſacramentalium ubique nobis proponit. Ex ipſa aſſumpta fuit puriſſima caro, quæ nos paſcit; ex ipſa ſanguis, qui nos potat. Unde ex larga portione, quam in epulo euchariſtico de ſua ſubſtantia nobis apponit, invitare nos merito jure poteſt ad convivium, à ſe apparatum: (c) venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Verùm ut dignè accedamus, expendamus, quæſo, quanta puritas ac ſanctitas requiratur. De Virgine illibatiſſima ſic ſcribit D. Gregorius: (d) DEI Mater, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros usque ad ſolium Deitatis erexit. Et tamen, quaſi, adhuc non ſatis digna fuerit, miratur Eccleſia, Chriſtum



(a) S. Thomas Villanov. (b) S. Bern. in Apoc. (c) Prov. 9. (d) In expoſ. 1. Regum c. 1.

Virginis uterum non horruiſſe. Quid de te ſenties, anima mea? quod ergo tibi deficit in ſanctitate, profundiſſimâ humilitate ſupple; ſemper interim memor, quod facere ad arma, ſit

*grande opus; neque enim homini præparatur habitatio, ſed* DEO.

## V. Idus Decemb. die 9.

### *S. Sirus Epiſcopus.*

EPiſcopus Papienſis erat S. Sirus: hic inſcius aliquando hebræo cuidam, Chriſtianis alijs, ad menſam Dominicam accedentibus miſto, epulum euchariſticum porrexerat: Verùm indigne accipiens de repente ejulare cœpit, os ſibi comburi, fauces igne ſuccenſas, carbonem ore ſe geſtare. Accurit S. Præſul, videtque ſacram hoſtiam, in meditullio faucium ſacrilegarum ſuſpenſam; quâ reverenter exemptâ hebræus obmutuit, nec uſum linguæ recepit antè, quàm undis luſtralibus tinctus, fidem orthodoxam amplexatus fuiſſet.

Unde hoc mihi, ut ipſe venias ad me, Dominus meus, & Deus meus? unde, ut tuus in animam meam ingreſſus pacificus ſit? cùm toties enormiſſimè peccando factus ſim mancipium diaboli, ſervus peccati, inimicus tuus, reúſque ſacratiſſimi corporis & ſanguinis tui. Peccavi in cœlum, & coram te, indignus planè, vocari filius tuus, dignus, cujus nomen de terra viventium eradicetur. Doleo inde, & dolebo, quoad vixero, quòd offenderim te, tantæ Dominum Majeſtatis: tu ne reminiſcaris peccata

cæa mea; delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Quòd ſi rejicis me, juſtus quidem es, Domine, & rectum judicium tuum: ſed quomodo Patrem te miſericordiarum probabis? Qui Petrum contritum ſuſcepiſti; Davidem reſipiſcentem non reprobâſti; ad Magdalenæ lacrymas reſpexiſti; ſi animam meam in inferni barathrum deturbas, nonnè perpetuò tibi inimica erit? nonnè illius lingua inſtrumentum tuæ maledictionis? Quod ſi miſereris; fidem omnibus faciet immenſæ miſeratio*nis* tuæ, & linguâ, velut tubâ ſonorâ, miſericordias tuas in æternum cantabit. Nonnè bonus Paſtor es, qui ovem perditam requiſiſti, humeriſque propriis impoſitam ad caulam reportâſti? Nonnè diſcipulis præcepiſti, non ſepties tantùm, ſed ſeptuagies ſepties de die ignoſcere offendentibus? Nonnè tu ipſe clamas per Prophetam: revertere, revertere; & ego ſuſcipiam te? Sit igitur denigrata ſuper carbonem facies mea; tu, vitæ fons, pretioſiſſimo ſanguine tuo lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Premar licèt delictorum quàm plurimorum ſarcinâ; tu onus meum alleviabis. Amoroſè etenim me invitas ad menſam ſacratiſſimi corporis tui, dicendo: venite ad me omnes, qui onerati eſtis; & ego reficiam vos. Omninò, Domine, omnino ad te venio, ut à vitijs omnibus ſolutus, vivum me toti univerſo exhibeam exemplum, quia

*Miſericordia* DOMINI *non eſt numerus.*

## iv. Id. Decemb. Die 10.

### *Translatio Domûs Lauretanæ.*

DUlce & admirabile portentum hodiernæ diei, quâ avita Virginis Matris Domus è Dalmatia, ubi annis octoginta ſex ſupra trecentos ſubſtiterat, in agrum Lauretanum cælitùs advecta fuit.

O felix porta, poſtéſque beati! Hîc verè adoramus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus; in loco, quo ſanctiorem orbis non habet. Certè quisquis eundem ſubis, expende, quia locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt; in quo lapis de pariete clamabit; & quid? Ecce Tabernaculum DEI cum hominibus; hîc habitavit cum eiſdem; hîc Verbum DEI caro factum eſt; hîc Chriſtus primos infantiæ, ac juventutis annos exegit; hoc ſuum tabernaculum altiſſimus ſanctificavit præſentiâ & incolatu ſuo; hîc Trias creata, JEſus, Maria, Joſephus, ſedem fixit.

Sedes ſapientiæ eſt anima juſti. Ipſa Sapientia, Chriſtus Dominus, cibus animæ. Huic oportet ædificare domum, ut adveniens (id quod indies facit) eam ſanctificet. Sanctificabit tabernaculum ſuum Altiſſimus; in quo lapides materiales clamant ad nos, ac videntur dicere: nos, ſenſu carentes, ex attactu JEſu & Mariæ traximus ſanctitatem: (a) vos, lapides vivi domûs ſpiritualis, non ſolùm contingitis quotidie ſalvatorem veſtrum, verùm etiam in cibum ſumitis; nec tamen inde ſanctificamini. An non jure meritiſſimo duritiem veſtram, noſtrâ longiſſimè ſuperiorem, confundemus in illa die?

(a) *Cyprian. ſerm. de Cœna Dom.*

die? Quid ad hæc, anima mea? At illa obmutuit; (a) & in illa die obmuteſcet, faciem Regis non ſuſtinens. (b) Sacramentum hoc tactu ſanctificat; at animam meam, utut in illius chylum tranſiens, & ſubſtantiam, non ſanctificat. Piiſſimè JEſu, qui animam meam in habitaculum tibi, ac domum elegiſti, quid reſpondebo tibi? Dicam cum Auguſtino tuo: domus mea, domus ruinoſa eſt; ſuſtenta & refice eam, qui reficis ſperantes in te. Ruinoſa eſt: etenim ſequendo pravos appetitus, te Deum meum longè feci à me declinare, nec te manibus meis exquiſivi. Ruinoſa eſt; ſiquidem lapſus non emendavi, ruinas pœnitentiæ ſacramento non reparavi, occaſiones mali non evitavi. Tu, Virgo beata, Mater Dei, & hominis rei, gaudium juſtorum, ac pauperum Aſylum, reſpice in me, & miſerere mei, quoniam inops & pauper ſum; Sanctifica, O Mater omnis ſanctitatis, tabernaculum & habitaculum filij tui, quæ ſalvos facis ſperantes in te. Nos interim ſacratum tuum habitaculum Lauretanum affectu devotiſſimo ſalutabimus eminùs, dicentes ex animo:

*O Cœlo dilecta Domus, poſtéſque beati!*

## iij. Id. Decembris. die 11.

### *S. Silveſter Confeſſor.*

AUthor ac parens Ordinis Silveſtrinorum fuit D. Silveſter. Is aliquando contemplans Myſterium Dominicæ Nativitatis, extra ſe raptus vidit beatiſſimam Virginem Deiparam, audivitque ſibi dicentem: Fili mi, viſne corpus nati ex me Chriſti Ser-

(a) *Luce 19.* (b) *Auguſtin.*

Servatoris tui recipere? ad hæc devotus DEI famulus repoſuit: paratum cor meum, Domina, paratum cor meum; impleatur in me ſancta tua voluntas. Et ecce! è manibus virgineis ſacratiſſimum pignus inexplicabili cum dulcedine, animæque fructu percepit.

JESU benigniſſime, cujus deliciæ ſunt, eſſe cum filijs hominum, quantum jubilo & exulto, quòd Deus meus ſis, cui plus debeo, quàm Patri filius, ſponſa ſponſo; qui tam paterno me foves affectu, tantâ liberalitate alis, tantáque mihi gratiâ faves. Gratulor tibi de infinitis tuis perfectionibus, omnem humani intellectûs capacitatem longè, & immensum excedentibus. Gratulor & mihi, te Deum meum, Patrem, Conditorem, & Salvatorem meum, amicum ſinceriſſimum, ac Conſervatorem meum tantâ pollere Majeſtate, tantis inſtructum perfectionibus, tantâ potentiâ & gloriâ, quam nec verba ulla adæquant; nec laus attingit, quantumvis exquiſitiſſima; Tu es illa æterna, neceſſaria, immutabilis, ac infinita Eſſentia, ab æterno in æternum; Tu Deus, in quo omnia, ex quo omnia, per quem omnia; quidquid voluiſti vel in cælo, vel in terra, feciſti; Tu creas, & creâſti omnia; regis & diſponis univerſa, ludens in orbe terrarum: nulla ſine te potentia, nulla ſapientia, conſilium nullum; abſque voluntate tua nec capillus in terram decidit; omnes enim apud te numerati ſunt: quem igitur præter te timeam? Tu amor meus, gaudium meum, corona mea. Si mihi daretur optio, alium quemcunque in Deum mihi deligendi; nollem alium, præter te. Si

in

in mea poſitum eſſet poteſtate, locum tuum occupare, viceſque tecum mutare, cederem tibi lubens, dicerémque cum ſeraphico Auguſtino: ſi ego, Auguſtinus, Deus eſſem, & tu, Deus, Auguſtinus; vellem ego, Deus, fieri Auguſtinus, ut tu, Auguſtinus, fieres Deus. Cùm verò ſis eſſentialiter Deus; accipe vota mea, & fac me unum tecum, juxta id, quod eidem ſancto tuo dixiſti: tu mutaberis in me. Fac me unum tecum, cui quotidie in ſacro altari unior; ut vivam propter te, dum manduco te, ut maneam in te, & tu in me. Fac denique me unum tecum in cæleſti manſione, ubi

*Solium gloriæ Altitudo tua.*

## Prid. Idus Decembris. die 12.

### *S. Jodocus Confeſſor.*

(a) ETiam ipſum Dominum cum ipſius adjutorio, ſi volumus, poſſumus imitari. Fecit id S. Jodocus, Regis Britannici filius, qui Chriſti amore Regno ſe abdicans, peregrini ſchemate orbem obivit. *Is* cùm aliquando ſacris operaretur, viſa eſt manus, famulum Dei benedicens; ac ſimul audita vox: quia propter me regnum dimiſiſti terrennum, in cœlo coronam pretioſam & æternam tibi præparavi. (b) Quo promiſſo exhilaratur ſummopere, non tamen remiſſior factus eſt, ſed additis potiùs ad progreſſum in virtute ſtimulis, vigilias intendit, omnibúsque pietatis operibus ſtrenuè inſudavit.

O in-

(a) *S. Aug. ſerm. 47. de Sanctis.* (b) *Sur. hodie.*

O ineffabilis gratia Dei, quâ pro immenſa ejus dignatione, accedente Dominicæ incarnationis, epuliſque euchariſtici virtute, ego, abjectiſſimus terræ vermiculus in filium adoptatus ſui. Status hic Cæſarum omnium ac Regum eminentiâ, & quâcunque nobilitatis prærogativâ præcellentior eſt; ad quem Reges ipſi ac Principes adſpirârunt; è quibus tot ac tanti Regnis valedixerunt, eligentes magis, abjecti eſſe in domo Domini, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Conſurgam itáque, conſurgam, & induam me veſtimento gloriæ meæ, veſte filiationis divinæ, purpurâ paſſionis ac meritorum Chriſti, denique veſte nuptiali. Excutiam pulverem ignobilitatis humanæ, qui gratis venumdatus fueram diabolo ob peccata; à Chriſto autem ſervatore noſtro non corruptibilibus, auro vel argento, ſed pretioſo ſuo ſanguine redemptus, & ab eodem in filium aſſumptus. Tibi inde commendo me medullitùs omni, quo poſſum, modo, omni, quo debeo, affectu filiali, omni, quo teneor, amore. Tu eſſentia eſſentiæ meæ, ſuſcipe me in viſceribus miſericordiæ tuæ; redde mihi lætitiam ſalutaris tui; & ſpiritu ſancto tuo confirma me, qui me in filium, &, quod amplius eſt, in miniſtrum tuum & ſacerdotem elegiſti: (a) grande enim opus eſt; neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. Quemadmodum aurum metallis alijs eminet; ita dignitas ſacerdotalis excedit quamvis aliam creatam. Oportet ergo ſacerdotes eſſe ſanctos, nec polluere nomen Dei ſui. Tu, Domine, bonum me fac, ac ſan-

(a) 1. Paralip. 29. Ambr. ib.

ſanctum altaris tui miniſtrum, qui me, adoptatum in filium, paulò minuiſti ab angelis; imò ferè ſuperiorem reddidiſti; nam

*Cui Angelorum dixit: Filius meus es tu?*

## Id. Decembris. die 13.

### *S. Lucia V. & M.*

CAtanam ad tumulum beatæ Agathæ cum Matre perrexit S. Lucia, ſanitatem huic, glorioſæ illius Martyris patrocinio, exoratura ibidem; itaque ſacro (in quo appoſitè legebatur Evangelium de muliere, quæ ſanguinis fluxu laboraverat) audito, magna cum fiducia ſanctam Virginem precata eſt, ſuis apud Deum precibus juvaret Matrem, malo eodem oppreſſam; optimè gnara, majorem in ſacratiſſimo Chriſti corpore latere virtutem, quàm in veſtibus ejuſdem, quarum contactu Hemorrhoiſſa ſanitati reddita fuit.

Miſera hominum conditio, arundini haud abſimilis, quam aura quælibet humani favoris aut adulationis, quivis ventus perſecutionis vel tentationis in alteram partem mox inflectit. Accedamus igitur ad Menſam, paratam nobis adverſùs eos, qui tribulant nos; ut columnæ ex arundinibus fiamus; &, qui antea flatu quovis abripiebamur, jam immoti reddamur. Canit Mater Eccleſia de S. Lucia: *Columna es immobilis, Lucia, ſponſa Chriſti*: tanto quippe eam pondere fixerat ſpiritus ſanctus, ut ad vim quamcunque immota perſiſteret. Stemus & nos in bono ſolidati, ut reſiſtere poſſimus diabolo, & operibus ejus; caſtéque ac piè viventes, juxta effa-

tum

tum ſanctæ iſtius Martyris, templum ſimus ſpiritûs ſancti. Ita tandem conſequemur, quod Deus pollicetur: (a) *qui vicerit, faciam illum columnam in Templo DEI mei.* Appoſitè iſtud convenit Sacerdotibus, qui in terris brachium ferientis DEI detinent; quorum humeris mundi totius peccata, miſeriæ & neceſſitates incumbunt: profitentur ipſi, ſe introire ad altare DEI, ut unà cum hoſtia divina ſeipſos quoque in holocauſtum pro peccatis hominum totos conſecrent: (b) neceſſe equidem eſt, ut, cùm hæc agimus, noſmetipſos DEO in cordis contritione mactemus; quià, qui paſſionis dominicæ Myſteria celebramus, debemus imitari, quæ agimus: tunc enim vera hoſtia erit DEO, cùm nos ipſos hoſtiam fecerimus. Naturam humanam aſſumpturus DEI unigenitus, Matrem ſibi delegit puriſſimam, & ab ipſa etiam labe originaria immunem, ex qua carnem ſumeret, quamque menſibus novem inhabitaret. Quantam ergo ſanctitatem à ſuis exiget Sacerdotibus, quorum manibus quotidie tractatur, & in quorum viſceribus toties quieſcit? Quàm purum os requiret, quo ſuprema illius Majeſtas de cælo in Aram evocatur, ejúſque corpus & ſanguis diviniſſimus ſub ſpeciebus euchariſticis ponuntur? quàm purum os, quod DEO loquitur, ejúſque ſanguine pretioſiſſimo rubeſcit? Quàm mundæ manus ſint oportet, quæ Deum tangunt ac contrectant? quàm munda viſcera, quæ illum, ut habitaculum dignum, intra ſe concludunt? Expendamus itaque, eſſe nos fidelium præſides, & in utra-

que

(a) *Apoc. 3,* (b) *Gregor. l. 4. dial. c. 58.*

que Eccleſia, militante ac triumphante columnas: inde ſancti ſimus, & non polluamus nomen DEI noſtri; ſed perſiſtamus

*Immaculati in via, ac lege Domini.*

## xix Cal. Jan. decimi quarti Decembris.

### *B. Joannes à Cruce.*

PRimum ac primarium germen Carmelitarum excalceatorum, quos S. Thereſia ad primævum rigorem Inſtituti ſui revocaverat, fuit Joannes à Cruce, in altaris ſacroſancti Miniſterio exemplar Sacerdotum. Dum aliquando Baëzæ in Hiſpania ſacrum perageret, poſt ſanguinis divini ſumptionem raptus in ecſtaſin; calice ad miniſtrum protenſo immobilis diu ſtetit: ad ſe poſtea reverſus, ſacrarium petijt, neſcius, ſacrum ſe nondum abſolviſſe. Miſſam de SS. Trinitate dixit ſæpiſſimè, ob gratias peculiares, quas ex contemplatione tanti Myſterij referebat.

Utinam Trias Perſonarum, *Pater* videlicet, *Filius*, & *Spiritus ſanctus*, quemadmodum illuſtrant intellectum, meque inſtruunt, primus in fide, alter in ſpe, tertius in charitate, ita affectum quoque moverent! utinam cor meum ratione peculiari inhabitarent, uti Chriſtus aliquando pollicitus eſt: *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus!*

Adoro te, Ter ſancta Unitas, laudo & glorifico te cum omni poſſibili affectu, humilitate, ſubmiſſione, & fidei proteſtatione, offerendo tibi in defectum egeſtatis meæ omnes actus latriæ, amoris ac laudis, quas ulla creatura intellectualis unquam elicuit, aut

eliciet deinceps. Dominus meus & Deus meus! tu ſublimior cœlis, abyſſis profundior, tu Majeſtatis adeo immenſæ es, ut creaturæ omnes, in unum collectæ, pro dignitate te laudare, honorare aut adorare nequeant. Tu me, peccatorem tam grandem, tam abjectam creaturam inviſere haud dedignaris in Auguſtiſſimo Altaris myſterio. Manhu quid eſt hoc? Quid magnum foret, ſi & ego, ſenſibus captus, perſiſterem immobilis, & præ ſtupore à meipſo abirem? Quis enim ſum ego? quæ conventio lucis ad tenebras? quæ comparatio hominis cum Deo? Ecce cæli cælorum te non capiunt; & cor tantillum te ambiat? Verè, quod Moyſi promiſerat Deus: (a) *ego oſtendam omne bonum tibi*, hîc contingit; dum in mirabili hoc Sacramento deliteſcit omne bonum, quod amantes extra ſe abripit; homines in angelos tranformat, noſque Chriſtiferos, id eſt, Chriſtum Dominum in corpore noſtro circumferentes efficit. O bonum maximum, & omne bonum! Verè memoriam fecit, in tremendo hoc Myſterio, omnium mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus. Itaque

*Laudetur ſacroſancta & individua Trinitas.*

## xviij. Cal. Jan. 15. Decembris.

### *Ven. Victoria Strata.*

QUisquis auſpicabitur hodie devotionem novennalem, ad Chriſti in terras adventum dignè ſe paraturus; rem præſtat Deo gratiſſimam. Venit quip-

(a) *Exodi. 33. 19.*

quippe ad te Dominus tuus; locum itaque para illi in corde tuo, ut manſionem apud ſe faciat; ſterne præſepe, ut in eo reclinetur; (a) & licèt tepidè accedas, accede fiducialiter, confidens de Dei miſeratione; quia, quò magis æger es, tantò magis indiges medico.

Sed quâ ratione accedam? Eum tradit mihi hodie Ven. Mater Victoria Strata, Cæleſtinarum in Urbe Januenſi Inſtitutrix. Hæc, ab Epulo Euchariſtico recedens aliquando, Dominum precata eſt, revelaret ſibi, quænam virtutum exercitia ei gratiſſima forent? Reſpondit ipſe: *Ama me, ſicuti ego amavi te.*

Amavit me Dominus, ſemetipſum exinaniendo amore mei, & formam ſervi induendo. Amabo & ego eum, me ipſum relinquendo, & ſanctiſſimæ illius voluntati ex toto conſignando. Ita monet devotus Aſceta: (b) *da te totum pro DEO; & erit accepta oblatio.* Ecce! inquit mihi Chriſtus, me totum obtuli Patri pro te; dedi etiam totum corpus meum, & ſanguinem, in cibum & potum; ut totus tuus eſſem; & tu meus permaneres.

Amo te *igitur*, O Deus, amore infinito digniſſime, amo te ex toto corde meo, ex tota mente, omnibúſque animæ viribus, deſiderans animitùs, ut omnes omnino homines te ſuper omnia ament, & in ſuaviſſimo amoris tui actu expirent. Mortem, O JEſu, pro me ſubire dignatus es; quis mihi tribuat, ut vicem mutuam tibi rependam! Piiſſime Pelicane, proprio nos paſcens cruore, ſuccende in me amoris

tui

(a) *S. Auguſtin.* (b) *De Imitatione Chriſti.*

tui flammas per virtutem ſanctiſſimi Sacramenti; intende mihi, qui tibi ſoli intentus eſſe deſidero; quid enim te dulciùs, quid amabiliùs, quid jucundiùs? Quid dulciùs, quàm divino amoris tui incendio penitùs conflagrare? quid amabiliùs, quàm amicitiæ tuæ ſurviſſimos ſentire amplexus? Quid jucundiùs, quàm oſculo benedicti oris tui recreari? Itaque, charorum chariſſime, teneriùs te diligo, quàm filius parentem, ſponſam ſponſus, quàm denique meipſum. Hinc centies, imò millies hodie ingemino:

*Sicut tu amâſti me, ſic amo, & amabo te.* (*a*)

## xvij. Cal. Jan. 16. Decembris.

### *S. Adelheidis Imperatrix.*

O Veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus idem quotidie cernitur, qui in utero Virginis fuerat incarnatus! Si itaque beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium; Sacerdotis quoque animam beatam eſſe oportet, quæ ſacratiſſimum Dei, & Mariæ Filium quotidie recipit. Felices ac beati ſunt Sacerdotes illi, qui hunc Dei Filium ore mundo ad ſe evocant, purâque mente ſuſcipiunt. (*b*) Si enim valde felix eſt, qui unam Miſſam dignè celebrare poteſt; quanta eorum felicitas, qui quot diebus devotè litant? His ita-

* *Poſt Sacrum hodiernum, totóque, quod ſequitur, octiduo, novies cum Angelo ſaluta Virginem, addendo ſemper: beata viſcera Mariæ Virginis &c.* (*a*) *S. Aug. in IV. præc. Decal.* (*b*) *S. Leo Pap.*

itaque diebus, Christi in terras adventum proximè antecedentibus, cum Virgine beatissima devotè me ad tantum Mysterium præparabo. Sed quomodo dignè occurram DEO advenienti? Doctor mellifluus id docet: (a) usque ad temetipsum occurre Deo tuo, usque ad compunctionem cordis, & confessionem oris. Proinde confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & ipse remittet impietatem peccati mei. Dicam cum humili Centurione: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Et cum Elisabetha: unde hoc mihi, ut veniat ad me Deus meus?

Tantæ submissionis Magistram hodie divam Adelhaidem habeo, Othoni Magno, Imperatori, post diversas insectationes ac ærumnas copulatam. Hæc inter fastus humillima, inter opes regias pauperrima spiritu, compuncta inter delicias, in purpura sibi despecta, infracta in adversis, in prosperis integra. Humilis igitur occurram Deo meo, qui humilia respicit, alta verò à longè cognoscit. JEsum intra me contineo, ut solem radius, gutta oceanum, nihilum omnia, creatura Conditorem. Quantò proin major sum, tantò ampliùs demittere me oportet; nec ambulare in magnis, aut mirabilibus super me, sed, ex solida humilitatis Christianæ basi, agnoscere vilitatem meam. Occurram Deo meo (b) faciendo, quod in me est, & diligenter faciendo, non ex necessitate, sed cum timore, reverentia, & affectu sumendo corpus amantissimi Domini mei, dignantis ad me venire. Tu, Domine, vocâsti me;



(a) De compunct. (b) à Kempis de imit. l. 4.

tu juſſiſti, in tui memoriam fieri; tu dixiſti: *Venite ad me omnes: niſi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Supple igitur defectus meos, veſtemque nuptialem largire. Sum enim *Ego vir, videns paupertatem meam.*

## xvi. Cal. Jan. 17. Decembris.

### *S. Ado Epiſcopus Vienn.*

(a) SAnctus hic Galliarum Antiſtes prope Eccleſiam ſuam cathedralem modicum extruxit Sacellum, triáque in eodem poſuit Altaria, è quibus primum Apoſtolorum Principi, ſuæ in Magiſtro abnegando perfidiæ illachrymanti, alterum Divæ Magdalenæ, noxas ſuas deflenti, poſtremum bono Latroni, in cruce pœnitenti dicavit. Horum pedibus adgeniculatus perennibus lacrymis precabatur, peccatorum indulgentiam ſibi exorarent; dicere ſolitus, veniam ſe eorum ſperare meritis atque ſuffragijs, quorum in culpis ſocius extitiſſet.

Monet ſacris hiſce diebus animam Chriſtianam Propheta evangelicus: (b) *Excutere de pulvere, conſurge, ſede Jeruſalem, ſolve vincula colli tui, captiva filia Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Sed quâ ratione excutiam pulverem, qui ex terrenorum tractatione mihi adhæſit? per humilem confeſſionem. Quomodo eximor nexibus, quibus adſtringor? per ſacri judicis ſententiam: hâc ſiquidem lavabor, & ſuper nivem dealbabor. Ad hoc ſalutiferum lavacrum devotè frequentandum impellet me

(a) *Memineris Virginem novies ſalutare.* (b) *Iſa. 52.*

me ruminatum ſæpius terribile illud Magni Gregorij pronuntiatum: (a) *Nullum, puto, fratres, ab alijs majus præjudicium tolerat Deus, quàm à malis Sacerdotibus.* Siquidem meritò obteſtatur apud hymnographum regium: (b) *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Tu verò, dux meus, & notus meus, qui ſimul dulces mecum capiebas cibos.* Et reverà Dux Dei eſt Sacerdos, præſes & paſtor fidelium, qui cibum divinum & ipſe ſumit, & alijs diſpenſat, cibum, omne delectamentum, & ſaporis dulcedinem in ſe continentem. Ad vos igitur, O Sacerdotes, ſermo meus, (c) *qui deſpicitis nomen meum; & offertis ſuper altare meum panem pollutum.* (d) *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Veſtrum erat, ſacrificijs placare iram DEI omnipotentis; ima ſummis reconciliare; medióſque ſtatuere Deum inter & homines. Jam verò muneri veſtro non tantùm non ſatisfacitis; ſed inſuper ad indignationem Deum concitatis tum commiſſione, tum omiſſione. Tu, Virgo illibatiſſima, ſolve vincla reis; tu effice precibus tuis, ut ex Sacerdotibus, qui juſti ſunt, juſtificentur adhuc; qui verò improbi, in Petros mutentur, & Diſmas. Tu profer lumen cæcis; mala noſtra pelle; bona cuncta poſce. En Agnus per te mittitur ad nos, mundi debita gratis laxaturus; itaque famulis tuis ſubveni, tuiſque ſuffragijs, quæ vim legis obtinent;



(a) p. 1. paſtoral. c. 2. (b) Pſ. 54. (c) Malach. 1 (d) Thren. 4.

eos ſerva. Spondet id nobis clementia tua; at ſimul mones:

*Pœnitemini, ut deleantur peccata veſtra.*

## xv. Cal. Jan. 18. Decembris.

### *S. Ildephonſus Archiepiſcopus Tolet.*

(a) Hâc die D. Ildephonſus, Archiepiſcopus Toletanus, in Eccleſia ſua Metropolitana, veſte candidiſſimâ (quarum in ſacris uſus eſt) à Virgine Deipara eſt donatus; quâ ab ea ipſa indutus, hoſtiam divinam in corona cælitum, Reginam ſuam comitantium, obtulit.

De Jonatha, Davidis amore ſuccenſo, memorat ſacer Codex: (b) Diligebat eum, quaſi animam ſuam. Nam expoliavit ſe tunicâ, quâ indutus erat, & dedit eam Davidi. Nónne plusquam Jonathas eſt Servator noſter, expolians ſe tunicâ ſuâ, quando ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens? Quando tantâ violentiâ ſupra dorſum ejus fabricaverunt peccatores? quando coccino detrito perludibrium indutus fuit, ac ſerto ſpineo, ceu Rex ſcenicus, redimitus? quando nudus in cruce, amore noſtri, mortuus eſt, ut vitam nobis conferret? Nónne ut animam ſuam diligebat nos? Imò plus, quàm animam ſuam, quam dedit redemptionem pro multis. Equidem veſtivit ſe tunicâ Salvator noſter, quando carnem ex puriſſimo Matris ſuæ ſanguine aſſumpſit: ſed hâc ipſâ nos ſanctior Jonathas induit;

dum

(a) *Utrique ſupervacaneum fuerit, monere te, ut Ave Deiparæ vocies hodie dicas?* (b) 1. Reg. 18.

dum carnem eandem in ara quotidie nobis apponit. (a) Christus datus est nobis ad induendum, ad edendum, ad offerendum, sicuti indumentū, sicuti alimentum, sicuti pretium magnum, quo empti sumus. Verè non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster, adest nobis. Verùm, si Christus nos iuduit tunicâ suâ; necesse omnino est, ut & nos divinos ipsius mores induamus: induimini Dominum JEsum Christum. Siquidem valde absonum esset, omnia, ad rem divinam pertinentia, munda esse, solo, qui ijs utitur, Sacerdote immundo. Mundæ sunt vestes sacræ; splendidus calix; candidissima, quæ Hostiam divinam contingunt; altare, templum, omnia, quæ sub aspectum Sacerdotis cadunt, munditiem præferunt; & ipse solus in sordibus sit? quanta repugnantia! Mundissima est sacra Hostia; & manibus pollutis tractetur? Deus mundissimus; & ore impuro è cælis evocetur? Sacrificium denique omnis expers maculæ; & corde scelesto peragatur? Tu, Virgo purissima, quæ tunicâ divini Filij tui in sacro Altaris Mysterio nos induis, vitam præsta puram, tutúmque ad Aram iter para, ut

*Induentes Dominum JEsum, simus initium aliquod novæ creaturæ.*

---

## xiv. Cal. Jan. 19. Decemb.

### *Ven. Maria à S. Benedicto.*

(b) DE benedicta filia magni Patriarchæ Dominici, Maria à S. Benedicto, refert Menologium

---

(a) *Bern. apud Tilm.* (b) *Devotio tua in Deiparam efficiet, ut non monitus eam, uti pridie, salutes.*

gium FFr. Prædicatorum, impenſiſſimè eam rogaſſe Dominum, ut poſt ſuſceptum ritè ſacrum viaticum expirare ſibi mox liceret; hasque preces ad ſingulas communiones urſiſſe eo fervore, ut audita feliciter fuerit, Chriſto ſponſo, poſteaquam illum in ſupremo morbo devotè recepiſſet, pijſſimè immortua.

Inſtabo ego votis ijsdem, ut percepto Epulo divino quotidie cum Apoſtolo moriar: (a) Siquidem hoc Sacramentum occidit in nobis, quod fuimus. Inde peremptis, quæ in Dei obſequio me præpediunt, anima mea illi vivet. (b) Quid enim tibi prodeſſet oleum ſanctum, quo manus tuæ fuerant unctæ; ſi actiones ſint profanæ? Nónne Deo caſtitatem mentis & corporis promiſiſti? Verùm quâ ratione illam tueri poteris in converſatione mulierum? In luſu, ebrietate, convivijs, ſpectaculis, habitu, clericum minùs decente? Nónne Amictus tegere te debet, ut galea ſalutis, ad expugnandos omnes diaboli incurſus? Alba candore ſuo mentis carnísque puritatem inculcat. Cingulum lumbos continentiâ exactiſſimâ docet adſtringere. Pœnitentiam ac lacrymas elicit manipulus. Stola fræni ſymbolum eſt, quo affectus diſtortos cohibeas. Denique Caſula jugum Chriſti, perpetuum quidem, at ſuave ſimul, denotat, docetque adverſa quævis æquo animo tolerare. Moriatur itaque anima noſtra poſt ſumptam ſacratiſſimam Euchariſtiam, ut Deo per mortificationem, ſuíque abnegationem reviviſcat: (c) Greſſus etenim ſacerdotis, & uni-

(a) *Auguſt.* (b) *Ambroſ.* (c) Hier. ad Fabiol. c. 128.

universa opera ejus exempla sint laicorum; sanctitatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu; ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum. O ut talis sit vita mea! Imple hæc vota mea, Deus optime; en hunc in finem ad magnam Matrem tuam accedo. Neque est, quòd timeam: (a) Accedentes siquidem ad se accendit, sibíque similes reddit. Certè non poterit diebus hisce, quibus, gratiâ plena, ipsum gratiæ Authorem utero suo gestat, precibus meis repulsam dare. Monstra ergo, te esse Matrem; sumat per te preces, qui, pro nobis natus, tulit esse tuus; ut eidem, unáque tibi servire semper valeamus

*Castro corde & corpore.*

## xiii. Cal. Jan. 20. Decembris.

### *S. Mechtildis V.*

(a) BEata Mechtildis, sacris hisce diebus salutare volens Deiparam, felicissimúmque divini Filij partum, proximè instantem apprecari, hanc à Christo Domino ejus rei perficiendæ rationem per novenas salutationes angelicas edocta fuit: (c) primò, inquiebat sponsus divinus, saluta cor virgineum Beatissimæ Matris meæ, quia castissimum inter omnium hominum corda fuit; & ipsa prima, quæ continentiæ perpetuæ votum emisit. Secundò, saluta ejusdem cor, quia omnium humillimum extitit; &, quæ se ancillam Domini professa erat, facta est sponsa

(a) *Bonav. de Virgin.* (b) *Novies salutem dicere Matrem Dei non obliviscâris* (c) *Revel. S. Gertr.*

ſa Spiritûs ſancti. Tertiò, ſaluta illud, quia omnium fuit devotiſſimum, ſpiritu orationis ſuæ me ad ſe attrahens. Quartò, quia amoris ardebat flammâ, & adversùs me, & proximum, mirâ miſerorum commiſeratione. Quintò, quia inter omnia fuit diligentiſſimum, gerens indicibilem mei curam, tam in infantia, quàm juventute. Sextò, quia patientiſſimum præ omnibus, maximè in paſſione mea, cùm gladius doloris viſcera ejus pertranſiret. Septimò, quia fideliſſimum, ſufferens mortem meam ob mundi vitam, volénsque, omnes ſalvos fieri. Octavò, quia cor habuit verè maternum, orando continuò pro peccatoribus. Nonò, quia cor ejus, ſummè abſtractum à creaturis omnibus, tantummodò in me requievit, ſe ſuáque omnia mihi committendo.

Beata Mater, Virgo intacta, te rogo per illam innocentiſſimam puritatem, quâ Filio Dei in utero tuo Virgineo placidiſſimam manſionem præparâſti, ut precibus tuis ab omni peccatorum macula merear emundari; inſuper rogo te per profundiſſimam tuam humilitatem, quâ meruiſti ſanctiſſimam Maternitatem, exaltata propter eandem ſuper omnes choros Angelorum & Sanctorum; per amorem quoque illum inæſtimabilem deprecor te, quo te in omnibus inſeparabiliter Deo agglutinâſti; ut Spiritus divinus cor meum dignetur inviſere, & inhabitare; à quibusvis vitiorum ſordibus id emundare, ſanctis econtrà virtutibus exornare, in dilectione Dei, & proximi roborare, atque in bonis omnibus tribuere perſeverantiam. O Virgo beatiſſima, digniſſimum Spiritûs ſancti ſacrarium, devotâ

ine, quod Heva triſtis abſtulit, immundum
blue in ſacratiſſimo Filij tui ſanguine; ut,
idmodum amor divinus humanitatem cum
tate copulavit intra ſanctiſſima viſcera tua;
ritis tuis caro amantiſſimi Filij tui cor meum
ejusdem perfectè uniat; nam
*as eſt, quæ compaginat.*

## xij. Cal. Jan. 21. Decembris.

### *S. Thomas Apoſtolus.*

Empore, quo ſacrum D. Thomæ corpus
Edeſſæ in Syria etiamnum quieſcebat, ſu-
m quid de eodem memoratur. Recurrente
em anniverſariâ ſancti Apoſtoli feſtivitate, Sa-
s Hierothecam, particulas conſecratas, con-
em, ad tumbam deferebat, è qua ſanctus manu
isâ accedentibus Panem divinum diſpenſabat;

delis! gratiam mihi exora, ut, quoties accedo, non contrectaturus solùm, sed intra viscera recepturus sacratissimum corpus Magistri tui, ac mei, amorosè tecum ingeminem: *Dominus meus, & Deus meus!* Commodè sacerdotes quoslibet monet Chrysostomus: (a) quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. Posteaquam discipulorum pedes abluisset, subjunxit Dominus: *Scitis, quid fecerim vobis?* ut animos illorum ad tanti mysterij contemplationem erigeret. Verùm nónne majus longè est, quòd se ipsum in cibum dederit? Quàm stupendum prodigium, hominem ad paucula verba è cælis advocare ipsummet Dei Unigenitum, & corpus ejusdem sanctissimum sub exiguis speciebus occultari! Magnum equidem est, videre Deitatem ipsam ad pedes pauperculorum piscatorum abjectam: Sed longè prodigiosius, eandem in hominum manibus conspicari. Mirandum est, cernere Dominum immensæ Majestatis sordidos pedes exosculantem! sed mirius longè, & omni captu superius, eundem subire ora suarum creaturarum; & ô quàm sæpè immunda! *Scitis, quid fecerim vobis?* Revela, Domine, oculos meos; & considerabo mirabilia tua. O quàm terrifica cogitatio: vado, ut Patri æterno Filium suum immolem; ut offeram sacrificium purissimum, Agnum absque macula! *Scitis, quid fecerim vobis? Dominus meus, & Deus meus!* Quidquid olim te contigit, Sanctum erat, aut contactu tuo sanctificatum. Sancta erat, & omnis expers maculæ Genitrix —

(a) *In Joan. 19.*

nitrix tua, quam ante Sæcula elegiſti; ſanctum præſepe, quod te excepit; ſepulcrum ſanctum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat; Sanctus Apoſtolus tuus Thomas, vulnerum tuorum contactu mox in virum alium mutatus; ſanctum denique eſt Altare, ſuper quo immolaris. Et ſola anima mea ſancta non ſit, quamvis toties te attingat, excipiat ſuſcipiatque? Tu, Domine, qui ſanctificas omnia, ſanctam eam effice; & ſicut ſanctificâſti tabernaculum tuum, Virginem ſanctiſſimam, ut ſemel illam inviſeres; ita quoque ſanctifica habitaculum tuum, quod indies ingrederis; quoniam ad te levavi animam meam,

*Dominus meus, & Deus meus.*

## xj. Cal. Jan. 22. Decemb.

### *(a) Virginis Deiparæ cum Sponſo Joſepho iter Bethlehemium.*

MEnſe nono à Verbi divini conceptione ad finem propemodum devoluto, dum latens intra Virginis uterum Deus Infans velut arctaretur deſiderio, opus noſtræ reparationis auſpicandi conſummandique; novum Nazarethi promulgatur Cæſaris edictum, quo inquilini omnes familiæ ſuo gentilitiæ urbem adire, ibi nomen ſuum ad tabulas publicas deferre, debitam profiteri ſubjectionem, & impoſitum à Cæſare tributum die ſtatutâ pendere jubebantur. Quid hîc agant Sponſi Virginei? agnoſcunt

(a) *Utique menti recurret Salus, Virgini conſueto numero dicenda.*

ſcunt voluntatem Dei, jubentis, ut ſubdamur omni creaturæ propter Deum; ac proinde viam ordiuntur, ob aëeris inclementiam, & terræ, gelu adſtrictæ, rigorem admodum difficilem. Et Virgo quidem, divino partui proxima, aſello vehebatur; Joſephus ſcipione greſſus firmabat, dum Bethlehemium appellerent, plus tridui itinere Nazaretho diſſitum.

O magne Deus, in utero deliteſcens ſub ſchemate Infantis parvuli! ô virtus omnipotens, quæ ab opere jam vacat, acſi nil poſſet! ô verbum æternum, ſub ſileutio ſe premens? Quàm meritò obſtupeſcimus ad tot & tanta Sacramenta? ſed nunquid eidem Deus magnitudinem ſuam ſub ſpeciebus Euchariſticis comprimit? feriatur quaſi, & in ſilentio ſe continet? Verè Deus abſconditus! Latebat olim in rubo; ſed flammâ prodebatur. Receperat ſe ad verticem Thaboreum; ſed in transfiguratione glorioſus apparebat. In cruce abſcondita erat Divinitas; Humanitas tamen cernebatur. At hîc latet ſimul & Humanitas; Magnitudo arctatur; quieſcit Potentia; Verbum ſilet. Interim, uti delituit olim intra materna viſcera, proditurus ſuo tempore ad opus Redemptionis noſtræ abſolvendum; ita ſub velo euchariſtico occultatur modò, ut vitam conferat devotè accedentibus; ut ſalutem largiatur ſumentibus; peccatores juſtificet; juſtis gratiæ augmentum communicet, & perſeverantiam. Verùm ad divinos hoſce percipiendos effectus, dem à nobis poſtulat, quod olim à Moyſe, in

rubo

rubo apparens, petijt: (a) Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Sancti eſtote (inſtat iterum) quoniam ego ſanctus ſum; puri, quia & ego talis; mundi, quoniam ego ipſa mundities: ſolve calceamentum, nempe involucra carnalium affectuum: quid enim ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta?

O Deus parvule, olim utero clauſe, jam in ſacratiſſimo Altaris Myſterio abſcondite, adoro te omni reverentiâ & devotione poſſibili, rogans, mihi famelico te in cibum quotidianum præbeas. Ad urbem Bethlehem (ſive *domum panis*:) hodie te contuliſti: ad me quoque divertere non dedignare; ut te ingreſſo expellatur, quidquid in me diſplicet tibi, & puriſſimos oculos tuos offendit. Tu, dum utero Virgineo etiamnum geſtareris, cum Matre tua, ac Nutritio Joſepho ſiſtere te Magiſtratui profano voluiſti, ut cum alijs in Albo communi adnotareris: En me pauperculum, inſere me catalogo ſervorum tuorum; libro vitæ æternæ cum electis tuis inſcribe; ecce iter facio tibi, qui aſcendis ſuper occaſum: tu proſperum id mihi concede; ut, quemadmodum tu utero Virgineo contentus, ad homines profectus es; ita & ego ad te pertingam, qui es

*DEUS abſconditus in carne; velatus in ſacra Hoſtia.*

x. Cal.

(a) *Exodi 3.*

x. Cal. Jan. 23. Decembris.

*(a) Nomina Sponſorum virgineorum in tabulas publicas referuntur.*

ADſtant Præſidi Cyrino Sponſi caſtiſſimi, debitámque Cæſari ſubjectionem & fidelitatem profeſſi, nomina dant, quæ Bethlehemitarum catalago inſeruntur.

O ſi ſcires donum Dei, Cyrine, & qui, qualésque ſint, quos inter Davidis poſteros in tabulas refers! Sunt primogeniti, ante omnem creaturam divinitùs electi; ſunt hominum omnium ſanctiſſimi; ſunt divinæ gratiæ donis locupletiſſimi; ſunt Dei Mater, & Nutritius. Et hi, ut vides, quantâ modeſtiâ, quali ſubmiſſione nutus tuos obſervant? Quid ſi addidero, Numen ipſum, utero materno clauſum tibi adſtare?

O amor divine, utero materno, ceu carcere conſtricte, qui in mei, utut ſceleratiſſimi, gratiam inclinâſti cælos, ac deſcendiſti; qui nomina Parentum tuorum albo communi inſeri voluiſti; patere & meum tam ſanctis nominibus adnotari. Tunc enim verò gratulabor mihi ſecurus, nomen meum ſcriptum eſſe in cælo. Quis enim inter utrúmque hunc Polum exerret? quis ad geminam anchoram vereatur naufragium? Verùm ne nominis mei, toties apud Juſtitiæ divinæ Tribunal rei, conſortium aſpernentur Maria & Joſephus; veſtris id, ô Sponſi caſtiſſimi, obſequiis ab hac die conſecro, æternúmque mancipo, non aliâ mercede, quàm ut illud inter

*(a) Perge in Deipara porrò ſalutanda novies.*

ter clientes veſtros adnotetur. Veſtrum imploro ſubſidium, ô Maria, ô Joſephe; certus, propitium me habiturum Judicem, ubi vos habere meruero cauſæ meæ patrocinantes. Promptitudo veſtra, quâ ſatis legi humanæ feciſtis, ſtimuli loco mihi erit, quo ad exequendam DEI mei voluntatem efficaciter impellar. Cenſum Principi Romano exſolvis, ſancte Nutritie; ego debeo Nazareno. Verùm quid retribuam? Verè confuſio operit faciem meam. Noſti, Domine, paupertatem meam, dum, quidquid habeo, tuum eſt. Accipe tamen tuæ bonitatis dona; en me totum; compelle vel renitentem ad tua propitius obſequia; & quia cor censûs loco petis; accipe illud, & ſanctifica ad quotidianum in ara miniſterium tuum. Ita rogo, Domine; ut hîc inter devotos tibi famulos computatus, in æternitate electorum tuorum numero merear accenſeri, qui

*In libro tuo omnes ſcribentur.*

## ix. Cal. Jan. 24. Decembris.

### (a) *In propria venit; & ſui eum non receperunt.*

PEractis, quæ ad Cæſaris edictum pertinebant, Joſephus Conjugi ſanctiſſimæ, tum itineris moleſtijs defeſſæ, tum partûs inſtantis meditatione ſolicitæ, hoſpitium, ad quod diverteret, anxiè quærit; fores hinc inde pulſat, vicos pererrat, compellat

(a) *Obſequijs tuis erga Virginem utique addes hodie etiam novenam angeli ſalutationem.*

pellat obvios, rogat, ſolicitat, & ut impetret faciliùs, egeſtatem ſuam, & Sponſæ, partui proximæ, conditionem humili modeſtiâ exponit. Sed irrito conatu: nam ſui eum non receperunt. Ingratiſſimi cives, quid agitis? rejicitis, qui apud vos, & ex vobis nati ſunt? Proh ſaxea corda, barbaros animos! quos nec Virginis tenerimæ laſſitudo, nec extrema movet neceſſitas. Ergóne ſui eum non receperunt; &, cui ſedes cælum, terra verò ſcabellum, pedibus ſubſtratum, non eſt locus in diverſario, in quem natus reclinetur?

Tecto igitur excluſi, cùm ſol ipſe, tantam in Conditorem ſuum inhumanitatem deteſtatus, occaſum præcipitaret, urbe ingratâ excedunt Sponſi ſanctiſſimi, adoratâque divinâ Providentiâ, locum circumſpiciunt, in quo noctem agant: cùm ecce Spelæum, in rupe patulum, ſive ſtabulum, agro vicino adſitum, vento ac nivibus pervium occurrit, quod tum Salome, filia Joſephi, fratris Cleophæ, poſſidebat. Non diu anxij hæſerunt conjuges beatiſſimi; ſed ſolatio perfuſi, quòd angulum aliquem, receptui aptum, reperiſſent, cavernam mox ſubiêre.

O ſtabulum feliciſſimum, te templum appellat Athanaſius, in quo Ara, præſepe, Chriſtus, Sacerdos, Chorus, Angeli, Thronus Sacerdotis, Maria. Parùm dixi: non jam templum, ſed cælum es, in quo Divinitas humanitate tegitur; in quo ſanctiſſima in creatis Trias, JEſus, Maria, Joſephus reſidet. Faceſſat, quisquis vaſta ex pario lapide ambit palatia: mihi præ magnificis Regum atrijs placet ſtabulum;

& ô ut liceat ibidem mihi commorari! O cæcam mortalium progeniem, quantùm cogitationes tuæ à divinis abludunt! tu opulentos amplecteris, ille egenos; tu faſtum æſtimas, ille contemptum ambit; tibi opes, illi virtus in pretio eſt. Aut Deus fallatur neceſſe eſt; aut cosmophili cælo toto abernant. Me pauperculum ſuſcipe, ô JEſu, dum te viciſſim, immenſo Majeſtatis Dominum in Ara recipio; vilem me & abjectum reſpice, quem in vili præſepio reclinatum ſuſpicio & adoro; Te ſiquidem totis affectuum medullis recipere exambio.

*Quem hic non receperunt.*

## viij. Cal. Jan. 25. Decembris.

### *Affectus pro nocte Sacratiſſima.*

POſteaquam ſtabulum ſubijſſent advenæ ſanctiſſimi, in jumentorum admiſſi conſortium; ſub mediæ noctis ſilentio, inaudito prodigio, Patris æterni, & Virgineæ Matris Unigenitus clauſo utero, velut radius ſolis, cryſtallum permeans, in mundum prodijt, ſeque mortali in corpore Deus immortalis ſpectandum præbuit. Interea Joſephus, arcanorum Sponſæ ſuæ conſcius, omnia explorat; ſed in lacero ſpelæo aliud non reperiens, fœno præſepe inſtruit, explicat panniculos, faſcias, quibus Omnipotentis Dei brachiola ſtringantur, depromit; &, quò affectui ſuo pleniſſimè obſequeretur, detractum ſibi Pallium (cujus, divino contactu ſacrati, pars Romæ etiamnum viſitur) naſcituro ſervatori ſubſternit. (a)



(a) *Bolland. 19. Martij.*

Quis major unquam in orbe Princeps eſt natus? Quis tamen unquam egentior apparatus? Præſepe aulæ loco eſt, pro ſolio fœnum, faſciæ pro amiculo purpureo. Neque tamen id caſu evenit: eſt potiùs Dei, faſtum mundi triumphare cupientis, ingenium.

Perge, anima mea, pergè ad cœlum hoc terreſtre; Bethlehemium propera, adora modò natum, faſtum omnem pone, Deóque tuo humilem te ſiſte. Verùm jure timeo, ne inde arcear, & audiam tremendum illud: tollatur impius, ne videat gloriam DEI. Quâ enim fronte contuebor locum adeò ſanctum, theatrum innocentiæ, & totius puritatis? ubi Rex gloriæ, Mater gratiæ, & Nutritius caſtiſſimus reſident; cùm vir ſim polluris labijs, peccator maximus, vehementiſſimíſque carnis affectibus ſubjectus.

## *Ad Patrem æternum.*

AD te igitur, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, ad te recurro, ut ad conſpectum, oſculúmque divini Filij tui admittar. En animam meam, ſolio Majeſtatis tuæ adgeniculatam, quam omnipotens dextera tua ad imaginem tuam condidit; quam ut redimeres, Filium tradidiſti, in vili tugurio natum hodie, & mundo occultatum. Hunc adorare, brachijs tenerrimè conſtringere, & mille oſculis diſuaviari inter uberrimas lacrymas, totâ mente exambio: Ne itáque projicias me à facie tua, Pater optime, qui omnipotentiam tuam miſerando maximè, & parcendo manifeſtas. Quòd ſi exigas priùs ſinceram peccatorum confeſſionem ac deteſtationem; ecce

Ad

Ad pedes tuos divinos provolutus ingemiſco, & abominor quævis peccata, quibus unquam te, Patrem meum, Deum meum, ac ſummum bonum offendi; execror animitus turpem, quam ex iiſdem cepi, voluptatem, velut fructum amariſſimum, ſpinas & tribulos, quos germinaverunt mihi, ac inter me & te diviſerunt. Heu doleo ex imo corde, quòd ſtultè adeo te dereliquerim, fontem aquæ vivæ, foderúnque ciſternas diſſipatas, quæ nec guttulam ſolidi gaudij continere queunt. A te diſceſſi, Bonum infinitum, transfugi ad creaturas; & peccata peccatis nectendo, ad indignationem te concitavi. Habes, Pater omnipotens, confitentem reum; quem ſi in abyſſum inferorum deturbes, juſtiſſimè agis. Quòd ſi miſererearis, viſcera pietatis tuæ denuò manifeſtas. Scio certiſſimè, idque bonitati tuæ immenſæ confiteor, longè amplius placere tibi Filium tuum, quàm hominum flagitia diſpliceant. Reſpice itaque in faciem Chriſti parvuli, meque miſerrimum ad divinam ejus faciem contemplandam benigniſſimè admitte; ut per merita illius veniam conſequar eorum, quæ admiſi hactenus, gratiámque, ſanctæ legi tuæ in omnibus deinceps obtemperandi. Amen.

## *Ad Virginem Matrem.*

DUlciſſima ac benigniſſima Virgo, Dei Mater Maria, quæ prærogativâ ſingulari benignitatem ac bonitatem à Deo obtinuiſti; crevit enim tecum miſeratio: tunc verò ipſa bonitatis viſcera induiſti, quando Dei Unigenitus, ut miſericordiam generi humano exhiberet, intra viſcera tua puriſſima

incarnatus fuit; hodieque angelis applaudentibus absque ullâ virginei pudoris imminutione ad hominum salutem effusus. Indignissimus ego, ad pedes tuos sanctissimos provolutus, gratiam efflagito, clientibus tuis solummodò concessam aliàs: cujus tamen consequendæ spem facit dies hæc faustissima, quâ universum per orbem melliflui facti sunt cæli. Mater charissima, Patrona dulcissima, memineris, te refugium peccatorum constitutam à Deo, ut Filio tuo eosdem reconcilies. Admitte igitur contritum peccatorem, infimumque in Augusto stabulo angulum indulge, ut & malè perpetratorum veniam inde referat, & sanctum divini Infantis amorem. Recordare, Mater, Natum tuum suavissimum non angelos tantùm, Reges Magos, & pios pastorculos admisisse in conspectum, sed jumenta quoque, solo dœmone, & ijs, qui in malo ad ejus exemplum obduruerunt, exclusis: Ne itaque repellas me, qui ut jumentum factus sum apud eum; sed aditu gratiosè concesso, ora & exora cælestem Pusionem, ut me respicere, osculúmque pedum sanctissimorum indulgere dignetur. Ita probatâ illius immensâ clementiâ, voluntate ardentissimâ ipsum deinceps amabo; misericordiásque per te tam largè in immeritum me erogatas, in æternum cantabo. Amen.

## *Ad sanctum Christi Nutritium.*

SAnctissime Patriarcha, & Ecclesiæ Dei œconome, cui panem vitæ, & frumentum electorum conservâsti; cujus manibus Unigenitum suum, carne indutum, Pater æternus consignavit; cujus tutelæ Filius ipse Matrem amantissimam credidit;

cujus

cujus providæ curæ utrúmque commisit Spiritus ſanctus; en geſtio, hunc Patris omnipotentis Filium, ſimúlque pignus certiſſimum amoris inexplicabilis, quo in homines fertur divinus Spiritus, adorare, ac vagientem in præſepio devenerari. Pateat per te acceſſus, Nutritie ſanctiſſime; pateant aures Infantis dulciſſimi; videam eum, te ductore, qui à Patre cæleſti illum recepiſti cuſtodiendum, ipſe ejuſdem pater vulgò habitus, & parentis loco ab ipſo honoratus. Introduc animam meam ad tantam felicitatem; & monſtrando omnium Conditorem, faſciolis conſtrictum, ac in humili præſepio reclinatum, efficaciter ei ingere; inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi hìc monſtratur: Inſtilla ipſi ſolidæ humilitatis ſpiritum, terrenorúmque omnium contemptum; ut per paupertatem ad faſtigium Regni cæleſtis aſſurgere diſcat, hìncque digreſſa, jam non vivat ampliùs ipſa, ſecundùm carnem, ſed hâc omninò ſubactâ vivat in ipſa Chriſtus. Amen.

*Adoratio Chriſti Domini noſtri in carne.*

SAlve, Infans ſacratiſſime, de Virgine Matre naſcens hodie in terris, abſque patre, in cælo ſemper naſcens ex Patre, ſine Matre: Honorámus infantiam tuam; & in ea adoramus Divinitatem: Benedicimus te; fœno incumbentem in præſepio, & magnificamus te, in cælo cum Patre & Spiritu ſancto regnantem. Laudamus te, cum ſanctis parentibus tuis ſtabulum Bethlehemiticum incolentem, & glorificamus te, inter Angelorum choros in gloria æterna dominantem. Bene veneris, ô dulciſſime parvule,

vule, fili Virginis intemeratæ, bene veneris; & effice adventûs tui virtute, ut renati olim fonte baptismatis, denuo exuamus errorum vetuſtatem, Deóque per gratiam ſanctæ innovationis, & virtutem cæleſtis puritatis renaſcamur; ut in humilitate tua adoremus Deitatem, tuâque adjuti gratiâ ad veram ſanctitatem, & æternam felicitatem pertingere mereamur.

Cantemus Domino canticum novum, qui perditum hodie reparavit mundum: Laudes tuas concinamus Mater piiſſima, Maria, quia patria amiſſa per te nobis redditur hodie: Regi nato ſit laus & gloria, quia Puer natus eſt hodie de Virgine Maria. Virtus & imperium ſit Parvulo vagienti in cunis, qui à rigore legis nos hodie aſſeruit. Charitas & celſitudo ſit tibi alme Spiritus, qui Virginem illibatam tuâ obumbrans virtute, divino germine fæcundâſti. O Trinitas individua, te totâ mente collaudamus, glorificamus, & benedicimus, quia feciſti nobiscum miſericordiam tuam. Ut ſervum redimeres, ô Pater miſericordiarum, Filium tradidiſti: Non abomineris me, Rex parvule, utut multorum ſcelerum reum; ſed ſervorum, te laudantium, poſtremum per merita nativitatis tuæ exaudi; ne reminiſcaris delicta mea, qui ea expiaturus, mortalitatem noſtram induiſti; eſto mihi propitius in cælo, qui hodie in terris Infans natus es.

## *Ad trium Miſſæ Sacrificium.*

GRatias ampliſſimas habeamus Deo noſtro, qui nativitate ſuâ à dæmonis poteſtate nos vindicavit. Læti cum Angelis concinamus *gloria in excelſis;*

*celsis*; hodie nàmque cælorum Rex de Virgine naſci dignatus eſt, ut hominem perditum ad regna cæleſtia revocaret: hodie illuxit nobis dies Redemptionis noſtræ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ.

JEſule benedicte, æterne Deus, bonum infinitum, Deus de Deo, Lumen de Lumine, qui cum Patre & ſancto Spiritu regnas in cælis, jam verò in terris etiam viſus es, & cum hominibus converſatus; qui amore mei in humili ac ſordido ſpelæo naſci hodie de Virgine dignatus es, & inter jumenta decumbere: Te, Infantem tenerrimum, & ſpecioſum præ filijs hominum, veneror, adoro, & omni, quo poſſum, affectu exoſculor. O ut liceat cunis tuis inſeparabiliter adhærere! Allicit quidem amabiliſſimus ocellorum tuorum obtutus; ſed terret ſimul Majeſtas occulta. Cùm tamen videam, pauperes etiam opiliones, ab Angelis monitos, benigniſſimè admitti; accedam & ego magna cum fiducia, nec quidquam timebo. Sim licèt peccator; tuebitur me peccatorum aſylum, Maria; ſuóque præſidio ſanctus Nutritius juvabit. Miſtus itáque paſtoribus (utut moribus ijs valde diſſimilis) non jam in ſtabulo, ſed in ara te adorabo; neque adorabo ſolùm, ſed in trino Sacrificio omni poſſibili devotione te recipiam, carnem tuam carni meæ, & ſanguinem tuum diviniſſimum ſanguini meo intimè conjungendo, ut tu in me, ego in te permaneam. Equidem ab Altari quoque arcere me deberet tua Majeſtas, & mea vilitas, dignè conſiderata: Sed fiduciam addit, quòd non jam Angelorum miniſterio, uti olim paſtores, ſed ipſiſſimo

ore

ore tuo benedicto nos advoces, dicens: venite ad me omnes; & ego reficiam vos. Vénio, ô dulciſſime JEſule; veni & tu gratiâ tuâ efficaci, ut tuam æmuler humilitatem, ſtolam innocentiæ recipiam, ſanctam ſimplicitatem addiſcam; ſícque cum Sanctis tuis, qui omnes effici debuerunt, ſicut parvuli, parvulus & ego ſubintrem regnum cælorum. Ita largire

*Parvule, Magne Deus!*

## vij. Cal. Jan. 26. Decembris.

### *S. Stephanus.*

NOn ſupra hominum vires eſſe, veniam hoſtibus dare, exemplo ſuo hodie S. Stephanus probat. Hauſerat id à divino Magiſtro ſuo, Chriſto; qui idem non facto tantùm docuerat in cruce, ſed verbis etiam diſertiſſimis tradiderat apud D. Matthæum: (a) Si offers munus tuum ad altare; & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs, reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum.

Inclinavit heri Dominus cœlos, & deſcendit, tamquam melior Samſon ſublaturus portas illas cælorum, humeriſque ſuis in montem Calvariæ deportaturus; ſiquidem principatus ejus ſuper humerum ejus; nec abſque cruore ſuo æreas mortis portas contrivit, & vectes ferreos confregit. Inde nemo miretur, quòd Stephanus hodie viderit cœlos apertos, utpote Chriſti, ac ſuomet ſanguine purpuratus. Verùm

(a) Cap. 5.

Verùm nónne quovis momento per totum, quà patet, terrarum orbem uſque hodie Dominus inclinat cœlos, & deſcendit, quando per tot provincias, & apud ipſos jam Antipodas, in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ſe demittit in manus Sacerdotum; inde reverà cælum continuò videmus apertum, & JEſum in manibus noſtris: Utinam & continuò in cordibus noſtris. Sed heu! quoties populum Saluto, inquiens: Dominus vobiſcum, eúmque ad devotionem, & mentis attentionem hortor; cùm Dominus ipſe longè forſan ſit à me; & ego viciſſim ad alia omnia animo excurram? quoties fideles adſtantes, ut orent, moneo; dum interea corpore quidem in choro præſens ſum, mente autem forum pervagor? Ut ſurſum cor efferant, ſtimulo, terræ fæcibus ipſe infixus. Compellat me quidem Dominus: deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere; ſed languidus ſum ac ſegnis in obſequendo; & corde longè ſordidiori, quàm fuerit antrum Bethlehemiticum, Deum meum excipio. Adhæreat, Domine, corpus tuum ſacratiſſimum animæ meæ: adhæreat intellectui, ut in lege tua meditetur die ac nocte: memoriæ adhæreat, ut tui recordata, delectetur: adhæreat voluntati, ut tua in me ſemper voluntas perficiatur: adhæreat cordi; tu enim Deus cordis mei, & pars mea in æternum: Denique adhæreat viſceribus meis, ut cor mundum in me crees, & ſpiritum rectum innoves in viſceribus meis. Sanctus Stephanus, Spiritu divino plenus, vultum angeli præferens, in diſputando expertiſſimus, ab iſdem lapidibus obrutus fuit, quorum

vitia

vitia arguebat; cælum ubi ſuſpexit, vidit JEſum ſtantem à dextris virtutis Dei; Nónne in conſecratione ſacræ hoſtiæ, ſi cælum aſpicere voluero, oculis fidei contueri licet Dei Filium, ſolis inſtar fulgentem, angelorum millibus ſtipatum; cujus radijs illuſtrantur juſti, afflicti eriguntur, roborantur tentati, peccatores monentur, ſuſtentantur cadentes, & animæ piè defunctæ è flammis luſtralibus ſubducuntur? Nónne ibi video cælos apertos, & JEſum ſtantem à dextris virtutis Dei, ut omnes juvet, ſubveniat omnibus, gratias divinas, ac dona cæleſtia omnibus largiatur, & demum vitam conferat ſempiternam? Certè ob hanc præcipuè cauſam

*Inclinat cælos, & deſcendit.*

---

## vj. Cal. Jan. 27. Decembris.

### *S. Joannes Evangeliſta.*

Dilectus Chriſti diſcipulus, divus Joannes, Matrem Domini ſub cruce accepit in ſua, ipſo Domino committente, in amoris ineffabilis ſignum; quem etiam amorem diſcipulus iſte amoris teſtamento ſuis reliquit, ore calamóque identidem ingeminans: filioli, diligite alterutrum. Is, poſteaquam immenſum Dei, ſe ſuis in cibum relinquentis, amorem in ſuprema cœna aquilæ inſtar contemplatus eſſet; cùm capere nullatenus poſſet, quâ ratione ſub modicis panis & vini ſpeciebus Deus-Homo verè & integrè contineatur; tam ſublimi abreptus cogitatione, & amore dulciſſimo velut laſſatus, in ſinum Magiſtri cæleſtis ſe demiſit; ibíque quiescens

docuit, quomodo, poſt ſumptum auguſtiſſimum erium, in ſinu Domini JEſu conquieſcamus, & enis omnibus abſtracti, dulciſſimæ cum eodem erſationi immoremur. Meritò inquit magauguſtinus: (a) Poculum tuum inebrians, quàm larum eſt, oblivionem præſtans vanarum cogium: & ubi major quies, quàm in ſinu JEſu? (b) , Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt oſtrum, donec requieſcat in te. Procul itáaceſcant univerſæ mundi hujus doloſi impoſtiolus mihi ſapiat JEſus, qui cibus & potus meus

Absque hoc non datur ulla ſolida voluptas, quies, dulcedo nulla. Pax ſola in JEſu, pax in JEſu. Feciſti nos ad te; nec quieſcere i te valemus. Quieſcebat olim ſub juniperò ,à tyrannide Jezabelis profugus, ſed non abamarore; ibi ſequidem petivit animæ ſuæ, ut eretur. In JEſu quies ſine amaritudine, quies s, non mortem optans, ſed vitam conferens, ies optatiſſima, quies ſpecioſa! quando tuus ero, ſu? quando tibi per omnia placebo? quando olus vives in me? quando tuæ ſolummodo obar voluntati? quando denique in te ſolo conſcam? Tu vita es; ergo vivifica me. Tu re- vera; da ergo, ut in ſinu tuo quieſcam. Tu conſumens, itaque abſume, quidquid in me ninùs placet. Accende intra cor meum ſuanam amoris tui flammam, ut præter te aliud cupiam. Ne permittas, optime JEſu, ut te iam in ſacramento amoris, neque tamen amem;

(a) *In Pſalm. 112.* (b) *idem.*

mem; ut intra me habeam ignem divinissimum, nec ardeam; disrumpe vincula, quibus adstringor, ne liberè te diligam; liquefac cor meum, vimque frigori meo infer, qui facis potentiam in brachio tuo; ita enim arida deinceps non erit anima mea, utpote sanguine tuo irrigata, & potata aquis bonitatis tuæ. Hoc totum est, quod cupio, quæro, & suspiro; siquidem

*Fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

## v. Cal. Jan. 28. Decembris.

### *SS. Innocentes.*

SUspensus eram admiratione, quum triduo abhinc, in vili præsepio, duro impositum fœno, inter jumenta medium conspexi, & adoravi carne vestitum Dei Filium: consideravi opera Dei, & expavi. At hodie ingenti concutior terrore, audiens Angelum Josepho dicentem: Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus; & vade in Ægyptum. Et qua de causa? Quærit Herodes animam pueri. Et quis contra Deum? Nónne manus Omnipotentis illicò dejicere Herodem potest, & spiritum violenter extorquere; hácque ratione omnia ejus consilia dissipare? Nónne Deus Unigenitum suum vel in media strage servare illæsum poterit; uti in flammis integros præstitit adolescentes hebræos? Nónne ipse Infans divinus oculis persequentium subducere se potest, uti deinceps per medium illorum ibat? Qui Pharaonem demersit, servavit Moysen, Susannam à morte infami, à rictibus

Leo-

Leonum Danielem eripuit; seipsum tutari nequeat? Omninò, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Quare igitur fugam arripis, JEsu dulcissime, & hostibus cedis? Profectò non absque mysterio: Docet enim æterna sapientia, eos, qui innocentiam Bethlehemiticam sartam tectam servare voluerint, subducere se debere à facie Herodis infernalis. Laborat iste modis omnibus, ut JEsum à me tollat, quem in ara susceptum intimè cordi meo univi; hunc in finem multiplices tendit insidias, laqueos fallaciter tegit; periculum siquidem in terra, periculum in mari, periculum in amicis, periculum in falsis fratribus. Hunc impetit per Hevas; subvertit alium per Cainos; jam sub schemate boni decipit, in angelum lucis transfiguratus; modò verò virtutis rigorem exaggerando absterret. Fugiamus itaque cum JEsu, fugiamus à facie Herodis, fugiamus de medio Babylonis. Magnanimus Christi Martyr Ignatius non ad fugam quidem, sed ad constantiam virilem hortatur exemplo suo, de se scribens: *JEsum mihi de corde, JEsum mihi de ore auferre non poteſtis. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, & omnia diaboli tormenta in me veniant, tantùm ut Christo fruar.* Mira animositas, quam & ego tanti Martyris exemplo æmulabor; siquidem fidem in JEsum nihil à me auferet. Et ô felicem me, si constans hoc animi decretum sanguine meo obsignare possem! Ne tamen devotionem in JEsum perdam, ne mundi blandiriis, carnis illecebris, fraudibus dæmonis eundem eripi mihi patiar; fugiam de medio Babylonis. Futu-

rum

rum enim certò est, ut Herodes, diabolus, quærat puerum, præ filijs hominum speciosum, quem in sacro Altari suscepi, ut eum mihi eripiat. Fugiam itaque

*Fugiam de medio Babylonis.*

---

## iv. Cal. Jan. 29. Decembris.

### *S. Thomas Archi-Episcopus, & Martyr.*

PRo libertate Ecclesiæ, sibi concreditæ, D. Thomas, Præsul Cantuariensis, exilium, imò mortem ipsam alacri animo subijt; & posteaquam Christo eucharistico agonem suum commendâsset, necis suæ ministris imperterritus occurrit; quos ita allocutus scribitur: ecce adsum, non regni proditor, sed Sacerdos, paratus pro illo mori, qui me sanguine suo redemit. Vos autem cavete, ne cuiquam meorum noceatis. Suis è feretro benedixit; & Regi, necis authori, pœnitentiæ gratiam impetravit.

Verbum caro factum est, ait Augustinus; vicem reddite; curate, ut spiritus efficiamini. Et quâ ratione? In spiritu & veritate sacrificate illi; id quod etiam egerunt sancti Martyres; qui vicem servatori suo reddiderunt. Hos inter sanctus Thomas disertè hodie protestatus est, paratum se esse, mortem subire illius amore, cujus sanguine redemptus esset; ac si Christo diceret: Sponsus sanguinum tu mihi es. Nónne Sponsus sanguinum est Christus in sacra hostia, verus cibus in corpore sacratissimo; in sanguine potus? Nónne Sponsus, procedens de

tha-

, ſuo? (a) Certè hoſtia immaculata nuptia-
ſera eſt, quibus anima Sponſo divino co-

ine JEſu, qui te in ara crucis obtuliſti amore
ute Auguſtiſſimi corporis tui me in te trans-
it anima tibi, ut ſponſo, jungatur. Con-
t clavis amoris tui - configar tibi: vulnera
oſtendis, vitæ meæ pretium; & ego para-
ſum, mortem tui amore tolerare? Tu pro
tuis es; quis mihi det, ut & ego moriar pro
ruinem pro me ad ſupremam uſque guttu-
fudiſti; & ego par non rependam cruoris
ſione? paratum cor meum, Deus, paratum
m: utinam dignus laureâ martyrij haberer!
t interea ſacratiſſima ſtigmata tua devotè
i. Salvete plagæ melliſluæ Domini mei
riſti: Salve cor ſuaviſſimum, haſtâ pro me
um: ſalvete pretioſiſſima manuum ac pedum
, oſtia, è quibus omnis mea felicitas pro-
js me immergo, Domine, ac in Sanctiſſimo
ne abſcondo; ut, cùm iratus fueris, miſeri-
ideo recorderis. Salve corpus totum Do-
ri, è cruce pro nobis ſuſpenſum, plagis con-
mortuum, ac tumulo illatum. Salve ter
ma Anima, ad mortem uſque contriſtata;
us tuis, in plagis tuis, JEſu optime, deſcribe
à facie inimici abſconde; ut ita in cruce tibi
, exequar, quod monuit anteà Auguſti-

*m caro factum eſt; vicem reddite.*

iii. Cal.

---

*(a) Ser. de extrem. & comm.*

## iij. Cal. Jan. 30. Decembris.

### S. David Rex.

QUandoquidem hodie ſacratiſſimum Chriſti corpus non in præſepio duntaxat typice, ſed in ara quoque realiter adoraturus ſum; devotiſſima illi, & ex imo cordis, affectu producta imprimere oſcula præſumam. Et à ſacro capite ducens auſpicium, amorosè dico: Ave caput venerandiſſimum Domini mei JEſu Chriſti: Tu, cæli ornamentum, amore mei ſerto, ſpinis horrido, transfixum, ut aculei ad cerebrum ipſum penetrârint. Salvete capilli venuſtiſſimi, omni auro fulgidiores: Vos ſanguine, pituitâ, ſputis fædè conſpurcati, magnáque ex parte crudeliſſimè evulſi fuiſtis. Ave facies amabiliſſima, lucidiſſimum ſanctæ Triadis ſpeculum: Tu ſæviſſimè contuſa es, omníque decore exuta. Salvete oculi gratioſiſſimi, adamantibus rutilantiores: Vos ſanguine, tumore ac lacrymis offuſi & offuſcati fuiſtis. Avete genæ roſarum æmulæ, mala punica affabilitatis nobiliſſima; vos alapâ illâ horrendâ deturpatæ, pugnis quaſſatæ, leproſi inſtar deformatæ eſtis. Salve os melliſluum, præſtantiſſimæ dulcedinis vena; tu pallore ac tabe intumeſcens, horrorem intuentibus causâſti. Salvete pedes ſanctiſſimi, immotæ cælorum columnæ; jam verò clavis confixi, ac ſanguine perfuſi. Salvete brachia veneranda, univerſi molem ex tribus digitis ſuſpendentia, aurei rami arboris vitæ; modò autem in cruce diſtenta, ac cuſpide ferreâ diriſſimè affixa. Salve denique cor dulciſſimum Domini mei,

amore

amore noſtri diruptum, & ex corde doloris in cor amoris immutatum. JEſu mi, rubicunde in paſſione, in præſepio candide, rubicundum te deoſculatus ſum; liceat idem obſequium candido tibi exhibere, qui ſpecioſus formâ es, præ filijs hominum: en totum te amplector, dolens animitus, quòd, formoſiſſimus cùm eſſes, deformari amore mei volueris; pulcherrimus, ſpeciem omnem, & decorem amiſeris; fortiſſimus, in pulverem mortis fueris reductus; glorioſus, & faciens mirabilia, opprobrium hominum, & abjectio plebis factus ſis; Meritò cum S. Davide, cujus hodie meminit Eccleſia tua, exclamo: Benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus. Impetra mihi gratiam, ſancte Rex, ut ad imitationem tuî ſim vir juxta cor DEI, faciens omnes voluntates ejus, humani reſpectûs contemptor, amator hoſtium, & peccata mea jugibus lacrymis eluens. De fructu ventris tui proceſſit Chriſtus, de Matre Virgine illibata; inde omnia oſſa tua (omnis tua poſteritas) dicent: Domine, quis ſimilis tibi? Magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia magna ſolus; exultans, ut gigas, ad currendam viam; ſaliens de cælo in uterum Virginis, de utero Virginis in præſepe, de præſepi in crucem, de cruce in ſepulcrum, de ſepulchro rurſus in cælum. Meritò itaque omnia oſſa tua, Hymnographe regie, dicent:

*Domine! quis ſimilis tibi?*

## Pridie Cal. Jan. 31. Decembris.

### *S. Melania.*

MElaniam Juniorem hodie veneratur Eccleſia; quæ, utut frequenter aliàs objêrit ſacra Palæſtinæ loca; mortem tamen inſtantem præſentiſcens, Bethlehemium devenit ipsâ natali Servatoris noſtri die; poſterâ adiens templum D. Stephani, Prothomartyrem ſupplex rogavit: ſiquidem cælos apertos in morte ipſe conſpexiſſet, eoſdem ſuis apud Deum meritis diſcedenti ſibi ex hac vita panderet. Inde templo digreſſa, vale ſacris Virginibus dixit, hoc eis monitum teſtamenti loco relinquens: vos ita vitam agite, ut oculis Dei, omnia intuentibus, grata ſit; ſcrutatur enim Omnipotens cogitationes omnes, & videt corda.

Qui Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei: Siquidem in carne vivunt, ac ſi carne minimè conſtarent. Et meritò: Siquidem nutriuntur carne Filij Dei; & ſic propter ipſum vivunt; imò vivunt in carne ipſius. Anima mea, quomodo tu vitam agis in oculis illius, qui ſcrutatur corda & renes? Qualiter vixiſti anno, quem hodiernâ abſolvimus? (*a*) Multi certè numerant annos ſuæ converſionis; ſed ſæpè parvus eſt fructus emendationis. Vide, & ſolicitè inquire, quantam temporis partem ejus impenderis honori, cui totum debebas? Attende, ne cum illis, de quibus jure queritur Deus, (*b*) labijs illum honoraveris; corde autem abfueris ab eo quàm longiſſimè. En

ſubeo,

(*a*) *Thom. Kemp.* (*b*) *Matth.* 15.

ubeo, Domine, cordis mei cubiculum; reúmque simul & judicem me conſtituens, recogito tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Equidem in capite libri ſcriptum erat de me, ut facerem, Deus, voluntatem tuam: ego autem, quaſi juvenculus indomitus, quaſi equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, habenas laxavi malis animi propenſionibus: Cor meum ſentina fœtida erat pravorum affectuum; lingua, gladius acutus; guttur, ſepulchrum patens. Oculus meus deprædatus eſt animam meam: Superbia mea, inſtar leonis, criſtas jactabat; gula lupum, vulpem aſtutia, pigritia aſinum referebat: Tentationibus ut plurimùm ceſſi; occaſiones peccatorum non evitavi; conſueta peregi ex habitu ſolùm, & quoad formam exteriorem; ſacrum altare acceſſi imparatus; & quis ſcit, an non judicium mihi manducaverim ibidem?

Surgam proinde, ibo ad Patrem, & abjectus in terram, confitebor adverſùm me iniquitatem meam: Pater, peccavi in cælum, & coram te; tu dele iniquitatem meam, & peccata anni præteriti, imò totius vitæ anteactæ condona. Auge dein dona; auge meritum, & gratiam, ut crucifigam membra, quæ ſunt ſuper terram; immaculatum me in via cuſtodiam; ambulem in lege Domini, ut vita mea grata tibi ſit, qui oculis, omnia contuentibus,

*Scrutaris cogitationes; & corda vides.*

## Calendis Januarij, 1. Menſis ejuſdem.

### *Circumciſio Domini.*

OCtiduum abjêrat à Dei-Hominis nativitate; cùm parentes ſanctiſſimi, prò ſua ad quemvis minimum legis divinæ apicem obſervantia, deliberant, num & Filius æterni Patris rituum Moſaicorum rigori ſubjiciendus, ánne verò, utpote impollutus, & ſegregatus à peccatoribus, jure optimo ſubducendus eſſet? Exemptionem ſuadebat nota Deitas, legibus quibusvis, maximè latis in culpárum expiationem, longiſſimè ſuperior, & contrahendum aliàs facillimè ſacrilegium: ſubjectionem patrum exempla, & recepta Hebræorum conſuetudo exigebant. Rem decîdit Infantis divini voluntas, per locutionem internam intimata Mariæ, ac Joſepho. Itáque ſpecioſus præ filijs hominum circumciſioni paratur.

O DEUS tenelle, tu nullam in Adamo labis originariæ maculam contraxeras, quæ vindice cultro reſcindatur; tu, virtute Spiritûs divini, Matrem tuam puriſſimam obumbrantis, conceptus, partem nullam habebas in primi parentis lapſu, quam ſanguine expiares: Cur itáque legi te ſubmittis, legis Dominus? cur chirographum peccati, reatûs caracterem ſuſcipis, Agnus ſine macula; legíque tam rigidæ tenerrimum corpus ſubdis? Nempè, ut ſánguine, tam maturè prófuſo, deſiderium, amore generis humani plura patiendi, teſtareris. Feciſti, Domine, quod cupidus

iendæ rei cujuspiam negotiator; qui, prius-
retium omne exſolvat, arrham aliquam,
ractûs iniri ſignum tradit. Tu itáque, cu-
ius animarum noſtrarum Redemptor, ante-
otum pro nobis ſanguinem profunderes, pig-
die in circumciſione præmittere voluiſti. (a)
s videlicet ſangunis pluvia è ſublimi illo cælo,
riſti corpore, in circumciſione delapſa eſt;
ùs imber paſſioni reſervatur.
entiſſime JEſu! qui, ſolâ ductus humilitate,
Moſaicæ quoad ritum circumciſionis ſubdere
dedignatus, ut eodem cum cæteris Adæ
is, peccato infectis, loco habereris; qui
, non, ut ſolveres legem, ſed adimpleres:
n efficacem largire mihi, quâ carnis peccata
lam. Cultri vicem ſubeat amor tuus, quo
quosvis affectus reſecem. Da mihi ſancti
is tui, in quo omne genu flectitur, amo-
uriter, ac timorem, præcipuè in ſacro Al-
iniſterio; ut ita, quæ diligis, diligam; averſer,
averſaris; fugiam vitanda; quærenda ample-
& annum, quem auſpicor hodie, ſanctæ Eccle-
:, meis, ac mihi tranquillum felícemque ſine
one tui decurram, tibíque deſerviam
*o corde, mundo corpore.*

## iv. Non. Jan. 2. ejuſdem.

### *S. Macarius Abbas.*

)Um Sacris adſtaret Abbas Macarius; collu-
ſtratus à DEO agnovit, quoſdam indig-
nâ,



*Barry lib. 9. c. 4.* (b) *Sur. in vita.*

nâ, & ſacrilegâ temeritate menſæ divinæ accumbere, quibus horrendi quidam æthiopes, in vicem presbyteri, carbones ignitos porrigebant ſacræ hoſtiæ locò; dum interim idem ſacrum pignus ad locum ſolitum, Sacrarium nempe, revertebatur.

Me infelicem, ſi hoſtia ſacratiſſima, inferni carbonis adinſtar, os impurum adurat; & ego judicium mihi manducem, corpus Domini à cibo vulgari non dijudicando! Non redeat, Domine, non redeat ad ſacrarium corpus tuum diviniſſimum; ſed veniens ad me, manſionem apud me faciat; induátque naturam carbonum, feliciùs ardentium: tu enim, Deus noſter, ignis conſumens es. Conſumat, quæſo, Corpus tuum omne id, quod in me vitioſum eſt; reſtauret, quod ruinam minatur; quod ſaucium, ſanet; &, quod dilecta tibi Gertrudis optaverat olim, incineret totam ſubſtantiam animæ meæ. Potens es, Domine, ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ; ex Saulis Paulos, ex Magdalenis ſpecula pœnitentiæ, juſtos & ſanctos ex peccatoribus efficere; fac & me dignum Altaris tui Miniſtrum.

Veriſſimè perverſis ſacerdotibus applicatur, quod habet proverbium, magnorum corporum magnas quoque umbras eſſe: quo enim dignior eſt ſtatus ſacerdotis, eò nocentiorem pravorum operum ſpargit umbram; (a) dum ipſi peccant, qui compeſcere peccata deberent. Nullum certè majus præjudicium, quàm à malis ſacerdotibus tolerat Deus:

(a) *Gregor. Hom.* 17. *in* Luc. 10.

Deus; quando eos, quos ad correctionem aliorum posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Posuit Deus Sacerdotes suos judices peccatorum, (a) cui omnis profitetur peccator, & ante quem omnis statuitur languor: Nihil itáque admittat Sacerdos, quod ad idem tribunal pertineat; ne, dum alios judicat, seipsum condemnet, delicti ejusdem reus: Plus dico: non peccatores solummodo Mystarum suorum censuræ Deus subdidit; sed & seipsum ex toto illis permittit, (b) velut exanimis, qui proprijs viribus uti omninò non potest; ut quidquid de ipso faciendum sacerdos judicaverit, promptissimus obediat. Nónne obedit ad nutum, dum ad paucula verba sub speciebus eucharisticis se sistit; & ad lubitum Mystæ jam supra caput elevatur; jam dividitur in partes; jam movetur juxta sacrorum rituum præscripta; jam in supplicatione solenni circumfertur; jam defertur ad moribundos; jam os ipsum, ,utinam semper dignum, subintrat, velut exanimis, qui proprijs viribus uti omnino non potest. Quàm verò horrendum, tantâ Majestatis supremæ patientiâ abuti, indignè tractare tantum mysterium, in ludibrium vertere tantum Sacramentum! Verùm irritata toties patientia in furorem vertetur; & districtum se judicem ostendet, qui modò patientissimus, instar rei cujuspiam inanimæ, tractantium se manibus permittit. Proin

*Sancta sanctis.*



(a) *Aug. Tom. 4. lib. de pœnit. c. 20.* (b) *S. Gertr. Insin. l. 4. c. 25.*

## iij. Non. Jan. 3. ejuſdem.

### *S. Genovefa Virgo.*

UT corpus Dominicum, ſub ſpeciebus euchariſticis latens, adorare poſſet S. Genovefa, Pariſienſis Virgo, adhucdum infans, inexplicabili deſiderio eccleſias frequentavit. Aliquando idem in Matris comitatu agere exoptans, cum preces irritæ eſſent, lacrymas junxit, adeo huic viſas importunas, ut alapâ filiolam caſtigaret. Sed malo ſuo; nam oculo utroque mox capta fuit; quorum uſum tamen biennio pòſt, filiâ crucis ſignum imprimente, recepit.

Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus. Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Ad ea concupiſcere, & præ deſiderio deficere deberet anima mea! ſed ô pigrum me! Vincunt me non ſolùm domeſtici fidei; ſed ij etiam, qui Deum, in templis non, niſi per figuras, præſentem adorabant. Quantum enim, proh pudor! non ſuſpirabat vates Regius, dum clamat: unam petij à Domino; hanc requiram. Et quæ hæc petitio? ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quid non egit devotiſſimus Daniel, dum contra Regis edictum (a) ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebatúrque coram DEO ſuo, ſicuti

(a) *Dan. 6.*

ſicuti & antea conſueverat. Si homines iſti habuiſſent eccleſias inſtructas, quales ſunt noſtræ; ſi Deum ipſum verè præſentem adorare ijs licuiſſet; ſi manducare eundem, & dulcedinem ipſius deguſtare potuiſſent; quid non egiſſent? Verè dixit Servator: beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: multi enim Reges & Prophetæ videre ea voluerunt, nec tamen potuêre. Tunc reverà, ô David, defeciſſet cor tuum, & caro tua; tunc exclamâſſes: Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum; Tunc cor tuum, & caro tua exultâſſent in Deum vivum: tunc petijſſes inhabitare in domo Domini omnibus diebus vitæ tuæ. Tunc profectò Daniel majori longè animo lacum leonum intrâſſet.

Confuſus inde à laicis Sacerdos, Chriſtianus ab Hebræis, quemadmodum paſſer afficitur ad domum ſuam, & ad nidum turtur; ita & ego ſuſpirabo domum Domini omnibus diebus vitæ meæ: hanc frequentabo, ut vel cum Joanne dilecto recumbam ſupra pectus Domini; vel cum Magdalena ſecus pedes ejus quieſcens, verba ſalutis excipiam; vel cum Zachæo hoſpitio cordis illum recipiam. Æquum enim eſt,

*Deſiderio deſiderare Dominum.*

## Prid. Non. Jan. 4. ejuſdem.

### *S. Titus Epiſcopus Cretenſis.*

DIſcipulus D. Pauli erat Titus, qui, præſcriptam à Magiſtro vitæ normam ſecutus, poſteaquam Cretenſi Eccleſiæ præfectus fuit, quod didice-

rat, in opus ſanctè redegit, utpote irreprehenſibilis, ſanæ doctrinæ, juſtus, ſanctus, & continens. Jam verò non Epiſcoporum ſolummodo hæc ſunt ornamenta, ſed & quorumvis ſacerdotum, juxta illud devoti Aſcetæ (a) ſacerdos omnibus virtutibus debet eſſe ornatus, & alijs bonæ vitæ exemplum præbere: Ejus converſatio non cum popularibus, & communibus hominum vijs, ſed cum angelis in cælo, & perfectis viris in terra: ſacris veſtibus indutus, Chriſti vices gerit, ut Deum pro ſe, & pro omni populo ſuppliciter & humiliter roget. Habet ante ſe, & retro, dominicæ crucis ſignum, ad memorandam jugiter Chriſti paſſionem: ante ſe crucem in caſula portat, ut Chriſti veſtigia diligenter inſpiciat, & ſequi ferventer ſtudeat. Poſt ſe cruce ſignatus eſt, ut adverſa quælibet, ab alijs illata, manſuetè pro Deo toleret. Ante ſe crucem gerit, ut propria peccata lugeat; poſt ſe, ut aliorum etiam commiſſa per compaſſionem defleat, & ſe medium inter Deum, & hominem peccatorem conſtitutum eſſe ſciat; nec ab oratione, & oblatione ſancta torpeſcat, donec gratiam & miſericordiam impetrare mereatur.

Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, eccleſiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præſtat, & ſeſe omnium bonorum participem efficit. Quanti porro meriti eſt, Miſſæ ſacrificium pro ſe & alijs devotè offerre; tanti quoque demeriti eſt, hoc miniſterium negligenter,

(a) *Lib. 4. de Imit.*

genter, aut (quod Deus avertat!) ſacrilegè perficere, dum quis reum ſe corporis ac ſanguinis dominici conſtituit. Si ſacerdotibus ratio alia reddenda non foret, niſi de Altaris Miniſterio; ſatis eſſet, quod ſibi metuerent. Ne igitur terrifica illa Judicis divini vox te concutiat: quid feciſti? ecce vox ſanguinis Filij DEI clamat contra te, arguens ſegnitiem ac perfidiam tuam; perpende, ô ſacerdos, perpende, & ſeriò cogita, quid agas.

Tu nos, Domine JESU! ſumme Sacerdos & Pontifex, adjuva; ut, qui officium Sacerdotale ſuſcepimus, in omni animi ac conſcientiæ puritate tibi ſervire valeamus, memores continuò ejus, quod in Ordinatione dictum nobis:

*Videte, quale vobis Miniſterium traditum eſt per impoſitionem manuum.*

## Non Jan. 5. ejuſdem.

### *S. Gelacus Eremita.*

QUotidie, aëris injurias nihil moratus, Eccle- S. Servatij inviſit D. Gelacus Eremicola, Chriſtum euchariſticum adoraturus. Inde dignus habitus, quem ſub vitæ finem, cùm copia ſacerdotis non eſſet, ipſe S. Servatius ſub ſenis veneranda ſchemate viatico divino muniret.

Exemplo mihi erit ſanctus iſte Eremicola, ut quotidie ſub auſpicijs ſacratiſſimæ Virginis Deiparæ, vel alterius cujuspiam ſancti Tutelaris, præſentem in Eccleſia Dominum meum adeam, eſque me ſiſtam. Notemus, obſecro, Aulicorum vigilan-

tiam

tiam in obſequio Principum ſuorum: O ſi vel dimidium ſtudij iſtius haberemus, quo illi placere conantur filijs hominum, in quibus non eſt ſalus! Ecce præſens continuò nobis adeſt Dominus Dominantium, qui auffert ſpiritum principum, ſemper paratus, ad conſpectum ſuum nos admittere, nos audire, & exaudire. Neque dedignatur quotidie ad nos venire, & per ſacratiſſimum Miſſæ ſacrificium nobis unitus, manſionem apud nos facere. Inde ſpes eſt, fore, ut nec morte ab eo ſeparemur, utut nexus corporis cum anima per illam diſſolvatur. Imò nec hoſtis tartareus, tunc vel maximè infeſtus, funeſti quid in nobis reperiet: Si enim væ homini ſoli minatur Eccleſiaſticus (*a*) quia, cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe; id nos non tangit, qui Deo uniti ſemper, adeóque minimè ſoli ſumus. Itáque, bone JEſu, conjuncti ſtemus; & quis adverſarius prævalebit? Quid nos ſeparabit à charitate Chriſti? Nec ipſa mors: hæc ſiquidem medium eſt, Deo arctiùs nos adſtringendi, dum laqueum, quo corpori alligabamur, conterit, nósque de corpore mortis hujus aſſerit in libertatem, à qua laqueo eodem carnali, ac peccaminoſo nos arcere dæmon fuerat conatus.

Vinctum ſe in Domino profitetur Gentium Doctor, & quâ ratione? (*b*) Sacerdotes alligantur Deo tanquam familiores, & intimi conſiliarij: ſunt hi cives ſanctorum, & domeſtici Dei, longè majori curâ ac diligentiâ obſtricti, ac ligati, inſerviendi ac placendi ſummæ Majeſtatis Domino; hinc

(*a*) *Cap. 4.* (*b*) *Aſceta quidam.*

hinc alligantur etiam majori perfectioni: (a) non alleviâti onus tuum, ſed arctiori jam allegatus es vinculo diſciplinæ, & ad majorem teneris perfectionem. Alligantur Religioſi perfectioni; ſed majori ſacerdotes: (b) equidem monachorum ingens certamen; ſed conferendo cum Sacerdotij adminiſtratione, tantum diſcrimen eſt, quantum inter privatum & Regem eſt intervallum. Quod igitur proprijs viribus non præſumimus, ſanctorum precibus & meritis impetrare ſtudeamus: etenim

*Non fruſtra coluntur ſancti.*

## viij. Id. Jan. 6. ejuſdem.

## *Epiphania Domini.*

IPsâ natali nocte, uti paſtores ab angelo, ita Magi ſtellæ apparitione de Meſſiæ ortu moniti, quid illa, eatenus non viſa, ominis ferret, deliberare cœperunt; collatiſque inter ſe opinionibus in eam ivêre ſententiam, hoc ipſum ſidus eſſe, de quo Balaam: (c) orietur Stella ex Jacob, & conſurget virga de Israël. Inde absque mora accincti itineri, die decimo tertio poſt natum Deum-Hominem ad ſtabulum Bethlehemiticum, ſtellam eandem ſecuti, devenêre; ac Infantem divinum cum Maria Matre invenientes adoraverunt; inde apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. O quàm oculata eſt fides, quàm viſu Lynceo eſt inſtructa; dum eam nec ſpeluncæ

(a) *De Imit. l. 4. c. 5.* (b) *Chryſoſt. l. 6. de ſacerd.* (c) *Num. 24.*

luncæ humilitas, nec vilitas præſepis, nec faſciarum paupertas, nec demum infantilium membrorum labefactavit infirmitas. Hſc coram Infante Sapientes, diademata coram faſciolis, coram egeno proſtratos Reges aſpicimus; ut diſcamus, infirma mundi elegiſſe DEUM, ut fortia confundat.

Quis ambigat, Magorum dona gratiſſima Deo fuiſſe? ſiquidem tanta cum devotione, amore & fide oblata fuerint. At fides, operibus vacua, eidem magnopere diſplicet, haud abſimilis arbori, fronde, foliſque luxurianti, fructu tamen deſtitutæ. Et quando ego donis additis probabo fidem? quid ad cunas Servatoris adferam? pauperculus ſum, & bono omni vacuus: & ſi quid acceptum habeo, id DEI donum, ac datum eſt. Ecce tamen, Infans divinæ, cordis mei theſaurum pando, quidquid in eodem pretij alicujus delitescit, tibi conſecraturus: en aurum ignitum puri in te amoris: en thus demiſſæ orationis; en cordis contriti myrrham: rurſes, en aurum puriſſimæ intentionis, thus frequentis deprecationis, myrrham patientiæ in quovis adverſitate. Tu, JESU bone, qui Magos hodie ſtellâ duce ab Oriente evocâſti, quique peccatores non minori gratiâ compellas, dicens: venite ad me omnes; & ego reficiam vos. Ecce ego peccator maximus ad te accedere præſumo, apud quem copioſa eſt redemptio: redeo ad te, à quo aberravi, ſicut ovis, quæ perijt: Tu, paſtor optime, qui veniſti, quærere & ſalvum facere, quod perierat, require,

ob-

obſecro, oviculam tuam; venio ad te, lethalibus plagis confectus, utpote pravis diſtortus affectibus: ſed tu, Domine, ſi vis, potes me mundare, ſanare, & ſolvere; ipſe aſſeris, malè habentibus opus eſſe medico; miſerere ergo mei, & ſana animam meam, quia peccavi tibi. Sacrificium tibi eſt ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum non deſpicis, non projicis à te. Hoc itáque tibi offero, ut ſacrificium corporis & ſanguinis tui pretioſiſſimi digniùs valeam offerre; ita enim dignam tibi

*Sacrificabo hoſtiam laudis.*

## vij. Id. Jan. 7. euſdem.

### *S. Lucianus Martyr.*

CArcere cum diſcipulis ſuis ob Chriſti fidem clauſus ſanctus hic Martyr, circum aliquando deſcripſit in terra, ita ſuos jam in paſſione ſodales affatus: Templum vos mihi eſtis, undique latus meum ambientes; Menſæ, ſeu Aræ locum tenebit hocce pectus meum, utpote non inanime, ſed ad imaginem DEI animatum, ac formatum. Pectus meum, JEſu pijſſime, tua quotidiana eſt menſa, utinam munda ſemper, & debitè ornata! verùm quot alieni ibi concupiſcentiarum ignes ardent? quot exæſtuant paſſiones? quot malæ beſtiæ fremunt? Scio, Domine, peccata mea multa & magna, ob quæ timeo; ſpero autem in miſericordijs tuis, quarum non eſt numerus. Confitebor itáque adverſum me injuſtitiam meam tibi, ut tu remittas impietatem peccatorum meorum,

& de-

& deleas universas iniquitates meas, & maculas earumdem abstergas. Multæ sunt equidem; verùm tibi proprium, misereri, & parcere: fateor cum Ascetâ: (a) multa quidem propono; sed modicum ad effectum perduco, in consideratus frequenter in loquendo, incontinens in tacendo; incompositus in moribus, importunus in actibus; effusus super cibum, surdus ad Dei verbum; velox ad quietem, tardus ad laborem; vigilans ad fabulas, somnolentus ad vigilias sacras; festinus ad finem, lentus ad principium; negligens in sacris persolvendis horis, fervens in corporis commoditatibus; tepidus in celebrando, avidus in conservando; subitò commotus ad iram, facilis ad alterius displicentiam; pronus ad judicandum, rigidus ad arguendum; lætus in prosperis, debilis in adversis.

Tu, JEsu zelosissime, qui olim flagello ultus es profanationem Templi, mensasque nummulariorum evertisti, indignè ferens, Domum Patris tui effectam speluncam latronum; idem in pectore meo, mensa tua quotidiana, effice; everte, & subverte, quidquid inibi deprehenderis tuæ Majestati invisum, tantóque indignum Hospide; ejice, quidquid vitiosum est; quidquid immundum, absterge; ut cor meum fiat habitaculum, tuo sancto nomini præparatum; indignissimum enim est,

*Violari Templum DEI.*

vj. Id.

(a) *De Imit. l. 4.*

vj. id. Jan. 8. ejuſdem.

## *S. Laurentius Juſtinianus Patriar. Ven.*

SAncto huic Præſuli, etiamnum juveni, Sapientia divina oſculum fixit; & mox totus ei mundus deſipuit. Venetiæ, jamjam perituræ, ejus precibus ſteterunt. Jam evectus ad ſolium Patriarchale urbis ejusdem, cùm ſacra pro more perageret in Natali Chriſti Servatoris; in ecſtaſin raptus, vidit Infantulum ſpecioſiſſimum; vidit, & adoravit. Cúmque in divino hoc ſpectaculo hæreret diutiùs; tandem à diacono monitus, ad ſe ubi redijt, dixit: en proſequor cœpta; ſed quid de Infantulo hoc tam formoſo faciemus? quomodo ſolum, & nudum in tanto frigore relinquemus?

Quid ego infelix ago de Infantulo tam pulchro? nónne eundem recipio in cor, frigore conſtrictum intenſiſſimo, ibíque tremulum relinquo abſque ullo amoris affectu, nullísque veſtibus contectum? ambit Puſio hic puriſſimus veſtem innocentiæ: hanc verò quoties perdidi, quoties inquinavi! Expetit humilitatis pallium; me ſuperbia contegit; petit tegumen patientiæ; furor mox exardeſcens ne circumdat. Quid igitur faciam Infantulo tam formoſo? Integrum pudoris florem adeò amavit Redemptor noſter, ut non, niſi ex virgineo naſci utero, nec ab alio, quàm puritatis ejusdem Nutritio voluerit contrectari: (a) quantam ergò corpori ſuo nunc vult adeſſe munditiam, jam in pater-

F næ

(a) *Pet. Dam. l. 1. c. 6.*

næ Majeſtatis gloria ſublimatus? Itáque ſolvam cum Bernardo calceamenta de pedibus meis, involucra nempe carnalium cogitationum: ſacris virtutum veſtibus me induam, ut Chriſtum in corde calefacto, ac debitè exornato recipere merear, atque fovere.

Periſt nequiſſimus Judas ob triginta argenteos, ex Apoſtolo peſſimus omnium effectus proditor; & qui fuerat lux mundi, ſuper candelabrum Eccleſiæ poſitus, ad umbram mortis, & exteriores tenebras ejectus eſt; qui plures Chriſto filios per Evangelium genuerat, ipſe in ſenſum reprobum datus eſt, malorum ſacerdotum anteſignanus. Verò Magnus Gregorius: (a) cui rei ſimiles dixerim malos ſacerdotes, niſi aquæ baptiſmatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleſte mittit; & ipſa in cloacas deſcendit. Hi fidelibus Agnum immaculatum, Infantulum pulcherrimum diſtribuunt, viaticúmque porrigunt morituris; ſeipſos autem indignos efficiunt, reósque corporis & ſanguinis dominici conſtituunt, ad tartara demum abjiciendi. Ideo deſpicio, quidquid amore ſuo dignum mundus cenſet; univerſa relinquo, ne me relinquant; virtutum habitibus me veſtio; ut ita foveam eum, qui veſtiri, & calefieri à me petit, *Dominus meus, & Deus meus.*

## V. Id. Jan. 9. ejuſdem.

### *S. Julianus Martyr.*

CAſtiſſimis nuptijs D. Juliani, integerrimi juvenis,

(a) *Hom. 17. in Evang.*

nis, & Baſiliſſæ, Virginis ſponſæ, adfuit JEſus; adfuit Maria; Ille Martyrum cinctus choro, hæc Virginum cœtu ſtipata. Prior orſus epithalamium, cecinit: viciſti Juliane, viciſti: Alter proſecutus eſt: beata es Baſiliſſa, quæ terrenas delitias ſpernens, ad æternam te diſpoſuiſti gloriam: inde ſponſi utriúsque nomen electorum Albo inſertum. Conjuges illibati, etiam martyrij gloriâ aucti poſtea fuêre; neque mirum S. Julianus enim templa quotidie obibat, poſt adoratum ibi Deum Euchariſticum, Divorum reliquias deveneratus.

(a) Do conſilium, inquit Hieronymus; ingredere baſilicas Martyrum; illic flammis inviſibilibus comburêris. Adi, ô anima mea, adi & tu, ſi corpore minùs poſſis, mente ſaltem baſilicas Martyrum, ac loca ſacra: Romam perge ad ædes SS. Petri, Pauli, Sebaſtiani, Laurentij; Compoſtellam pete, D. Jacobum ſaluturatura; perluſtra loca Terræ ſanctæ, & ſacrata Dominicæ paſſionis exoſculare veſtigia: Domum Lauretanam ingredere, templáque alia complura, tibi nota obi; ibi flammis cæleſtibus comburêris; ibi conſequêris à Deo, quod ipſa non merebaris; ibi Deo te, tuáque omnia conſecra. Sacrum Miſſæ ſacrificium ibi hoc fine offer, ſpe haud dubiâ, omnia ex voto ceſſura: (b) tu reipſum illi alliga, & illum tibi; ita Deo, ejúsque divinæ diſpoſitioni alligatus, obtinebis, quidquid ad ſalutem tuam petieris; voluntatem enim timentium ſe faciet, & deprecationem



(a) *Epiſt. ad Vigil.* (b) *Chryſoſt. Hom. 1. in ep. ad Epheſ.*

eorum exaudiet. Sancti quóque ſurgent, opitulabuntur nobis, ac in neceſſitate quavis protegent.

Porro in petitione quavis voluntati divinæ conſignare nos oportet cum Magiſtro divino, dicente: non mea, ſed tua voluntas fiat; (a) nam gloria magna, ſequi Dominum: etenim (b) qui paret Domino, efficitur ad imaginem Magiſtri, per voluntatis ſuæ cum divina conformitatem, juxta illud Apoſtoli: qui adhæret Deo, unus ſpiritus cum eo efficitur. At multi cum Chriſto orant tribulationis tempore: tranſeat à me calix iſte; pauci, qui Dei arbitrio ſe committant, addentes: verùntamen fiat voluntas tua. Multi appetunt cum Chriſto montem Thaboreum; pauci volunt ſequi ad clivum Calvariæ; volunt eſſe ſocij lætitiæ, & gloriæ æternæ hæredes; patientis verò ſectari veſtigia detrectant. Itaque petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum; ſed cum plena & integra in ejus voluntatem permiſſione petentes, ut hæc, non noſtra perficiatur. Porro, quod noſtris meritis non valemus, ſanctorum patrocinio aſſequi contendamus; certè enim

*Surgent, & opitulabuntur nobis,*

---

iv. Idus Jan. 10. ejuſdem.

*S. Guilielmus Epiſcopus.*

BRugenſis Eccleſiæ Paſtor erat Sanctus iſte, ſemper hilaris, niſi dum Sacris aperaretur: tunc ſiquidem vivâ adeo fide Chriſtum patientem, & ex crucis arbore pendentem, in ſacra Hoſtia contemplabatur, ut totus in mærorem abiret.

O Quàm

(a) *Eccl. 23.* (b) *Clem. Alex. l. 7.*

O Quàm verè dictum : amor meus crucifixus eſt ! Domine , Dominus noſter ; quàm admirabile eſt nomen tuum , quámque ſtupenda ſunt , quæ feciſti , magnalia , conſummata in ligno ſanctæ crucis , & in hoc tantæ pietatis Sacramento terminata ! O Dilectio , fortis , ut mors , quanta feciſti ? Verbum æternum carne induiſti ; indutum percuſſiſti ; percuſſum vulnerâſti flagris ſpiníſque ; ita dehoneſtatum populo exhibuiſti abſque ſpecie , aut decore ullo ; morti pro ſalute generis humani addixiſti ; crucem humeris ejus impoſuiſti ; eidem membra ſanctiſſima affixiſti , ac tandem pro peccatis noſtris morte diriſſimâ ſuſtuliſti. O fortis , ut mors , Dilectio , quanta effeciſti ! Deum - Hominem ſub modicas panis & vini ſpecies compegiſti , & ad finem uſque mundi compingere non deſinis. Siccine , amor , viciſti invincibilem , immortalem occidiſti , ſauciaſti glorioſum & impaſſibilem ; imménſum concludis ſub exigua panis forma ; complecteris orbe anguſto incomprehenſibilem ; arctas eum , qui arctari non poteſt. O fortis , ut mors , dilectio , quanta feciſti ! Quàm ſubtili ſtratagemate venam cordis JEſu tetigiſti , ut totum diruptum , vitam penitùs amitteret ; ut ejus locum ſubire tu poſſes ; atque idem cor divinum , amore redanimans , in ſacro Altaris myſterio mihi apponeres. Ceſſa , ô amor ; ſatis eſt. JEſus meus pendet in cruce , ut morte ejus ego vivam ; mortuus eſt , ut redivivus mihi eſſet panis Salutis. At , amor , ſi adeo in Filium Dei prævaluiſti , ut cælo eum deduceres , in

Virginis uterum evocares, & etiamnum ſub modica panis ſpecie occultares; nónne id ipſum in Judicem poteris, rigorem ejus diſtrictum vertendo in miſericordiam? Ita, ita omnino effice: fiat miſericordia Domini mei JEſu Chriſti ſuper me; ſuperexaltet hæc judicium; ut, cùm judicaturus advenerit, non me arguat pro juſtitia ſua, ſed pro immenſo ſuo amore aſſerat à morte æterna, quia

*Fortis, ut Mors, dilectio.*

## iij. Id. Jan. 11. ejuſdem.

### *S. Hyginus Papa.*

STatuit Sanctus hic, & digniſſimus Petri Succeſſor, ut baptizati ac confirmati ſuſciperent divinam Euchariſtiam, optimè gnarus, fructum omnem ſpiritualem in ſacratiſſimo hoc fonte contineri.

Inde inſtruor ego, cum frequentatione tanti myſterij ſalutis quoque effectum in me augere. (a) Dulciſſime, & benigniſſime JEſu, quanta tibi debetur gratiarum actio pro inſtitutione hujus Sacramenti, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens inveniur? quanta veneratio ſacratiſſimo Corpori tuo debetur? Quid mente volvam, accedens ad Dominum meum, quem ex debito nequeo revereri, & tamen devotè ſuſcipere geſtio? Quid meliùs erit, ac ſalubriùs, quàm me penitùs humiliare coram te, & bonitatem tuam infinitam ſupra me exaltare. Laudo igitur te, Deus meus, & ex-

(a *De Imit. l. 4.*

& exalto in æternum; deſpicio me, & ſubjicio, objectum in vilitatis propriæ abyſſum; ut in tempore viſitationis euchariſticæ exaltes me. Tu Sanctus Sanctorum; ego ſordes peccatorum; tu inclinas te ad me, qui non ſum dignus, ad te reſpicere; tu venis ad me; tu vis eſſe mecum; tu me invitas ad tuum convivium; tu mihi offers cæleſtem cibum, & panem Angelorum; Sanè non alium, niſi teipſum, panem vivum, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo.

O interminabilis divinæ pietatis profluxus in genus humanum, cui non ſufficiebat, hominem damnatum redemiſſe, aſſumptâ miſerâ noſtrâ naturâ, angelicâ verò, longè nobiliore, neglectâ; niſi etiam redemptum ſuprà Angelos eveheret. Cui enim Angelorum aliquando dixit: filius meus es tu? cui Angelorum poteſtatem dedit in corpus ſanctiſſimum Filij Dei? Certè enim dicere: ego volo celebrare Miſſam, aliud non eſt, ac: (a) volo & decerno, è cælis Filium Dei evocare, ut ſub ſpeciebus euchariſticis denuo ponatur, qui in uterum Virginis ad nos redimendos deſcendit: Neque admodum videtur myſterium hoc abſimile Incarnationis Sacramento, quo Mater Virginea facta attonita percontata eſt: quomodo fiet iſtud? audijt verò: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Idem tibi repono, ſi quæras, quâ ratione panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti convertantur, Spiritûs ſancti ſuperventu, ac virtute Altiſſimi id effici. Verè ſtupendum



(a) *Thom. Alban.*

dum Sacerdotum miniſterium, in quorum ſe manus Dei Filius demittit. Noli itaque, Sacerdos, noli tanto te munere degeneri converſatione reddere indignum, ſciens,

*Fructum omnem in Sacro hoc fonte contineri.*

## Pridie Id. Jan. 12. ejuſdem.

### *S. Joannes Epiſcopus Ravennæ.*

AD ſacrum peragendum accinctus ſtabat D. Joannes; cùm advertit, calicem deficere. Et ecce, Angelus adeſt, calicem porrigens, in quo Chriſti ſanguinem libaret.

(a) Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Quando recordor devotorum aliquorum, ad Sacramentum tuum maxima devotione & affectu accedentium; in me ipſo confundor, & erubeſco, eò quòd ad Altare tuum, & ſacræ communionis menſam tam tepidè accedo, ſine cordis affectione, aridus totus, nec ita affectus, ſicuti multi devoti, qui præ nimio deſiderio ſacræ communionis, & ſenſibili cordis amore à fletu ſe non potuerunt continere.

Itaque omnium cordium devotorum jubilos, ardentiſſimos affectus, exceſſus mentis, ſupernaturales illuſtrationes, & cœlicas viſiones tibi offero, Domine, cum omnibus virtutibus, ac præconijs, in cœlo & in terra celebratis, ac deinceps celebrandis, pro me, & omnibus, in oratione mihi commendatis; quatenus ſic ab omnibus lauderis, & in per-

(a) *De Imit. l. 4.*

perpetuum glorificeris; qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem tuum ad bibendum. Res, brevi expreſſa ſermone, ſed terrore ac prodigijs plena: Miſſam celebrare intendo. Scies utique, Sacerdos, idem prorſus eſſe ſacrificium cum eo, quod in cruce Chriſtus conſummavit, ſi modum incruentum excipiamus. (a) Indignè autem, & ſine debita diſpoſitione illud qui perficit, idem facit, ac ſi Chriſtum rurſus occideret, & effunderet ejus ſanguinem. Noli itaque repetere ſcelus nefandum Judæorum. (b) Grandis certè honor ſacerdotum; ſi tamen inveniat hominem, dignum honore: nihil enim turpius eſt, quàm eminere in culmine dignitatis, vitâ verò humi ſerpere; quid enim aliud eſt principatus ſine meritorum ſublimitate, quàm titulus inanis honoris, abſque honore, aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto? Ideò univerſos, qui ſacrâ Sacerdotij dignitate præfulgent, adeò virtutibus eminere ſuper cæteros oportet, quantum ſtatus reliquos antecellit

*Regale Sacerdotium.*

## Idibus Jan. 13. ejuſdem.

### *B. Iveta.*

OQuàm horrendum ſibi manducat judicium, qui corpus Domini indignè ſumit! Id oſtenſum B. Ivetæ, D. Bernardi Alumnæ, quando vidit



(a) *S. Thom. Villanov. Conc. 3. de ſac. actib.* (b) *Salvian. l. 2. ad Eccl. Cath.*

fœminam quamdam ( quæ in Sacerdote aliquo turpiter ſibi complacuerat ) ſacræ ſynaxi accumbentem, circa quam læti dæmones choreas ducebant; horum unus firma veſtis fluentis excipiebat; latus ſtipabant alij; quidam manu accedentem ducebat; dum interea Chriſtus, mox ubi ſacram hoſtiam recepit infelix, ab ore ſacrilego receſſit.

Res horrifica: nónne contremiſcis, anima mea? nónne viſcera mea commoventur? Miſerum me, qui fortè ſæpiùs indignè accſſi ad menſam divinam! quot námque intra me exæſtuant perverſa deſideria? quoties oculos hinc inde verto? quoties in eosdem, quod non debebat, incurrit? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte ſcelera mea, & delicta multa, ac magna nimis! Percute, Pater miſericordiarum, cor meum, ſilice duriùs, virgâ paternæ correctionis tuæ, & ex petra hac fluent torrentes lacrymarum. Deflere enim cupio peccata mea, ſicuti Petrus, Magdalena, vel alius quicunque verè pœnitens, ſua ploravit; & ſi id ex me nequeo, tu illud gratiâ tuâ ſanctâ & efficaci perficè, pijſſime Salvator; id quod humillimè rogo. Tu, Domine, tantæ Majeſtatis ac Dignitatis es, ut, ſi vel veniali culpâ offendaris, pœnitentiâ totius vitæ reliquæ eam expiari condeceret. Novit id S. Andreas Avellinus, Clericus Regularis; qui fortuitâ ſacri Codicis evolutione offendens in illud ſapientis: os, quod mentitur, occidit animam, reúmque ſe agnoſcens mendacioli, eâ die admiſſi, ſæculo mox nuntium miſit, pœnitentiámque in Religione ſubijt,

non

non, niſi cum vita terminandam. Quid agam ego, quantum doleam, qui non levibus ejusmodi, ſed enormiſſimis peccatis Deum, ſummum bonum meum offendi? In tot noxarum ſatisfactionem ecce paratum cor meum, Deus, ad pœnas quasvis ac cruciatus totius mundi, purgatorij, & ipſius inferni tolerandos; quos, ſi univerſi in calicem unum conflluerent, hauſtu generoſo ſorberem, quo ſatis Deo meo fieret.

JEſu pijſſime, peccavi in cælum, & coram te; ſupplex rogo, degenerem me filium denuò admittas in domum gratiæ tuæ, meque reficias pane tuo ſancto ac cæleſti, ſitque cibus iſte divinus in remiſſionem peccatorum meorum, ac augmentum gratiæ tuæ, ne indignè ſumens eundem, fiam

*Reus corporis, & ſanguinis Domini.*

---

## xix. Cal. Febr. 14. Januarij.

### *Feſtum ſanctiſſimi Nominis JESU.*

NOmen tuum ſacratiſſimum; Amantiſſime ac dulciſſime JESU, eſt requies certa laborum, ſalus vera, peccatorum remiſſio, murus inexpugnabilis, univerſa delens peccata, liberans ab ira tua, à poteſtate & terrore dæmonum protegens, in nobis perficiens hîc, & in perpetuum laudem tuam.

Dulce tuum noſtro ſcribas in pectore nomen;
Namque tuo conſtat nomine noſtra ſalus.
Illi triſte nihil cadit unquam, mitis JESU,
Qui velit usque tui nominis eſſe memor.

O JE-

O JESU, ſummum bonum, quantâ fiduciâ accedo ad te, & quanta cum ſpe, impetrandi, quidquid petiêro in nomine tuo, juxta promiſſionem tuam, falli neſciam: quidquid petiêritis Patrem in nomine meo', dabit vobis. Quam igitur gratiam petam à te? Sanè non aliam cum D. Thoma Aquinate, quàm te ipſum. Te, omne bonum, largire mihi, ô JESU; & ſufficit mihi. In cibum te mihi das; fac, me nutriat: in medicinam te præbes; fac, me ſanet: Te donas in pignus; fac, ſequatur & gloria: Conſerva me, & omnes, à me tibi commendatos, in divinæ charitatis tuæ affectu; ut in hac vita tibi placeamus; in altera verò felici conſortio tuo perenniter fruamur.

In ſancto hoc nomine tuo vicit D. Felix Nolanus, quem Angelus vinculis exemit, & ſemeſtri integro, cibo refecit, & alloquio; quem intra murorum rudera latitantem ſuis araneæ telis protexerunt. Sic nempe defenditur, quem Deus liberum cupit; ita tutus eſt, quem omnipotens tutatur. Hoc nomen ſanctiſſimum dæmones fugat, pellit hoſtes, tentationes compeſcit; in hoc nomine cum Magno Conſtantino vincemus.

Terrorem maximum Judæis, Chriſtum capturis, incuſſêre verba illa: ego ſum (a) ut ergo dixit eis: ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram: porro quid aliud voces illæ exprimunt, niſi nomen JESU, bonis dulciſſimum, terribiliſſimum verò malis? Dixerat ſæpiùs diſcipulis JEſus: ego ſum, nolite timere; exemplurus terrorem, quem

(a) *Joan. 18.*

n de nomine ſuo ſanctiſſimo, ac Perſona reveliſſima conceperant. Eſt itaque nomen iſtud tum, & terribile; terribile malis genijs, qui ravêre: (a) quid nobis, & tibi, JEſu, Fili Dei! iſti torquere nos: terribile mundi ſectatoribus: ego enim ſum, qui loquor juſtitiam: terribile num malis omnibus. Sanctum verò, veneran-n, omnique conſolatione plenum fidelibus: (c) enim aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris no-is, duritia cordis, ignaviæ tepor, animi ran-, languor deſidiæ? Ad terram dejecerat per-s Judæos nomen hoc ſanctiſſimum in verbis : ego ſum; ad terram pariter aliiſus eſt Saulus bis illis: ego ſum JEſus, quem tu perſequeris, proſtrati ſunt; hîc denuò erectus. Sanctum o, & terribile eſt nomen JESUS; hujus ſancti ninis tui, Domine, timorem pariter, & amo-i fac nos habere perpetuum; quia non deſinis eri, quos tanti nominis auxilio conceſſiſti adri; in cujus honorem

*Omne genu flectitur.*

## xviij. Cal. Febr. 15. Januarij.

### *S. Bonitus Epiſcopus.*

Rvernis in Gallia gregi dominico præerat S. Bonitus; qui, cùm aliquando de nocte Chri-i Euchariſticum adoraret in Eccleſia; derepente ſpexit ſanctiſſimam Dei Matrem, magno beatorum

a) *Matth.* 8. (b) *Iſa.* 63. (c) *Bern. ſerm.* 25. *in t.*

torum ſpirituum numero ſtipatam; à quibus Sacris aperari Reginâ cæli præſente jubebatur. Quod cùm modeſtè abnueret humilis Dei famulus, retróque cederet; in lapidem objectum impegit, eíque a inſtar ceræ liqueſcenti, corporis figuram impreſſit. Inde ad aram facere coactus, genios cæleſtes miniſtros, ſpectatricem verò, eorum Reginam habuit; à qua, ſacro abſoluto, candidiſſimâ fuit veſte donatus.

Dum mente revolvo, quis ego ſim, Domine, & quis tu; meritò ad aram accedere vereor ac contremiſco; cùm diſtantia inter nos ſit infinita. Tu Dominus excelſiſſimus, ego fidelium omnium infimus, primúsque peccatorum; Tu immenſæ Majeſtatis, æternæ Authoritatis, incomprehenſibilis magnificentiæ, infinitæ altitudinis; ego mancipium nequitiæ, ſervus peccati, ſpolium diaboli, opprobrium & abjectio hominum. Tu, JEſu mi, me inviſere cogitas: & quis ego ſum, qui talem hoſpitem in cordis mei domicilium recipiam? quid eſt homo, quia memor es ejus, & quare apponis ergo eum cor tuum? nónne aliud non eſt, quàm ſperma fœtidum in ortu, in vita vas ſtercorum, poſt mortem eſca vermium? & dignum ducis, ad quem divertas? ecce cœli cœlorum te non capiunt; abyſſi omnes moventur in conſpectu tuo; terra tremit; tabeſcit infernus; dæmones paveſcunt; timent Sancti, poteſtates reverentur; & ego ad conſpectum tuum non exhorreſco, corde non colliqueſco, & præ timore tantæ majeſtatis non terreor! ad aram accedo, ac ſi nugas ac fabulas tractarem; corpú

do-

dominicum, ut panis fruſtillum deglutio. Quàm verum illud Prophetæ: nemo eſt, qui recogitet corde. Quid enim aliud eſt Sacerdotium, quàm dignitas, longè tranſcendens omnem creatam celſitudinem? Poteſtas eſt in corpus Chriſti, tam verum, quàm myſticum: in illud, dum Sacerdos id conſecrat, ſumit ipſe, & alijs diſpenſat: in hoc, dum oves Chriſti dirigit, paſcit, ſolvit ac ligat. Verè, Domine, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: Quid interea,

*Quid eſt homo, quia memor es ejus?*

## xvij. Cal. Febr. 16. Januarij.

### *S. Marcellus Papa.*

QUàm parùm abſum ego ab illorum impietate tyrannorum, qui beſtias, Romæ aſſervari ſolita, ad ſpectacula, tranſtulerunt ad Eccleſiam, in qua S. Marcellus Pont. Max. Sacra peregerat, ibidem à ſancto Pontifice cuſtodiendas?

Quoties enim contamino cor meum, in templum Dei pridem conſecratum, quid aliud ago, quàm quòd inducam beſtias, quàm quòd contaminem Dei habitaculum? Dum amorem, Deo debitum, creaturis impendo, nónne margaritas tunc porcis projicio? dum paſſionibus malè ordinatis aditum pando, nónne animâ Deum exturbo? Prædixit Iſaias, vitulum & urſum ſimul moraturos: quæ autem conventio Chriſti ad Belial? (a) Gratia ſubveniat dominici corporis, & pretioſi ſanguinis; inde beſtias

(a) *Bern. ſerm. 1. de Cœna Dom.*

beſtias tam efferatas, ac paſſiones frangam; vitulus quippe deſignat corpus, per mortificationem Deo in ara mactandum; urſus verò Spiritum; quia ſicuti urſus terribilis eſt beſtijs, ita Spiritus, Deo plenè ſubjectus, terret affectiones beſtiales, rationis imperium detractantes.

Pilatus, neque læſurus juſtitiam, nec populum offenſurus, Chriſtum in publico ſtatuit, unáque famoſum latronem; quærens: quem vultis vobis de duobus dimitti? Porro hoc medio non ſolùm nihil effecit; ſed plebem inſuper concitavit, ut Deum latroni poſtponeret, clamitans: non hunc: ſed Barabbam. Pilato haud abſimiles ſunt peccatores; qui dum indulgentes nimiùm, paſſionibus cedunt, neque ſtrenuè reluctantur; inde caput illæ efferunt, eóque miſerum hominem adigunt, ut Deum voluptati momentaneæ, rei fœdiſſimæ, ac viliſſimæ poſthabeat, peccatúmque admittat, modò ſatis appetitui fiat: ut iræ fræna laxet, quamvis vindicta in ſe mala ſit; ut corpori indulgeat, licet gulæ & acediæ peccatum ſequatur; ut cœnam præferat cœlo, animam, Dei ſponſam, diabolo tranſcribat, relinquat fontem aquæ vivæ, fodiátque ſibi ciſternas, quæ continere aquas non valent; verbo: Barabbam eligat, reprobet Chriſtum; Nunquid hoc eſt inducere beſtias in Dei ſacrarium? numquid hoc eſt DEI habitaculum contaminare; dum amor, mille titulis DEO debitus, rebus terrenis ac infimis impenditur? Certè ſi amantiſſimus Dominus noſter JEſus Chriſtus, cœlo jamjam deſcenſurus in manus Sacerdotis, paſſionibus effrænibus conſtricti,

, interrogaretur: quò vadis, Domine? haud idem reponeret, quod olim Petro: vado, i crucifigi: licet enim ipſe (a) reſurgens ex is, jam non moriatur; adhuc tamen in ſacra à malis Sacerdotibus multa ſuffert. Uti ergo & vinum legitimè non convertuntur in Cor- : ſanguinem Chriſti, niſi præmiſſo multiplici ſigno; ita Sacerdos Chriſtum in terris non ebit (quod tamen tenetur facere) niſi crucis ficationem jugiter portet in corpore ſuo, ie naturæ, & malis affectibus inferat, ac di-

*us inhibere irrationales.*

## xvj. Cal. Febr. 17. Januarij.

### *S. Antonius Abbas.*

perfectionem conſequeretur beatus Anto- ius, quod audivit in templo, mox opere levit, omnia ſua divendens, ac pauperibus ans, ut Chriſtum ſequi poſſet, nudum nudus. iſmata meliora in alijs æmulatus, à dæmone exagitatus, victoriam retulit, quia ſemper vi- it: Mundum laqueis cinctum conſpexit, eva- e, quia humilis: Aliquando ſacroſanctо Miſſæ ficio aſſiſtens, ac Corpus dominicum ſubmiſſè ratus, telum ignitum corde excepiſſe ſibi viſus eóque à carne, ſanguine & mundo ſepara-



) *Greg. Hom. 33. in Evang.*

Me ſurdum ad Dei verbum! licèt id gladio quovis ſit penetrabilius, animam tamen meam non ferit, neque à peccatis, ac perverſa vivendi ratione retrahit. Unde hoc? quia humilem Antonium non ſequor. Super quem requieſcet ſpiritus meus: dixit Dominus, niſi ſuper humilem, & contritum, & trementem ſermones meos? Quæ enim quies in anima, tot mundi paſſionibus agitata continuò, tot concuſſa affectibus illicitis, vanis, inordinatis, libidinoſis? Confitebor proinde adverſùm me injuſtitiam meam Domino; manus peccatoris deinceps non me moveat; diſcedant à me creaturæ omnes, quæ aliud non ſunt, quàm pabulum mortis; jam enim ab alio amatore præventus ſum. (a) Agglutinemur Domino per facta & opera, ut requieſcat ſuper nos ſpiritus ejus. Id tum fiet, quum nihil in mundo hoc appetierimus. Nihil enim quietius, quàm omni vacuum eſſe appetitu. JEſu clementiſſime, & patientiſſime ſuper malitia hominum, quis ducat me in ſolitudinem, ut homines derelinquam, & vale omnibus dicam, ac ſupra montes aſſumam fletum & lamentum, quia de malo in pejus devolvuntur homines; derelinquunt Deum factorem ſuum; non eſt, qui faciat bonum; omnes declinaverunt, inutiles facti ſunt; non eſt uſque ad unum. Derelinquamus Babylonem in confuſione ſua; mihi autem bonum

*Adhærere DEO.*

xv. Cal.

(a) *Joan. Chryſ.*

xv. Cal. Febr. 18. Januarij.

*S. Deicola Abbas.*

i fores Eccleſiæ ſponte mihi haud pateant, i ſancto Deicolæ, noctu templa obeunti, ut n auguſtiſſimum Altaris Myſterium devenera- : cùm potiùs merear, ut adventanti obſeren- iditumque negent, velut Mariæ Ægyptiacæ ;it Jeroſolymis; Deus tamen clementiſſimus o mihi easdem non aperit modò, ſed in- m ſumma cum manſuetudine permittit; imò item invitat, & benignè ſuſcipit; expanſis in brachijs expectat; caput ad preces meas in- ; pectus, miſericordiæ fontem, pandit; &, palmare, pretioſiſſimo corpore ſuo quotidie ficit, ſacratiſſimóque cruore potat.

: ingratum, ac temerarium! Aperit ipſe mihi domûs ſuæ; ego aditum cordis mei illi occlu- lamat ipſe identidem: aperi mihi, ſoror mea, . mea; nedum enim cor tuum ſubingredi de- , à te manducari, in tuam converti ſubſtan- verùm etiam in te habitare, te poſſidere, in nmorari. Ego autem tanquam ſurdus, non is, & tamquam mutus, non aperiens os ſuum: :perat olim Deus Levitis. (a) Separamini, rtatis vaſa Domini; & exite de medio eorum: odo enim Chriſtum ſuſcipiat, qui nondum : affectum ad vitiorum ſordes? quomodo de ) mundi exibit, qui mundum in converſatione



) *Levit. c. 20.*

adhuc ſapit? quomodo Dei habitaculum fiat vas malitiæ & iniquitatis? Lumen mundi Sacerdos eſt; quid, ſi obtenebretur? Sal mundi eſt; quid, ſi infatuetur? Lucerna mundi eſt; quid, ſi extinguatur? Magiſter mundi eſt; quid, ſi pervertatur? Exemplar mundi eſt; quid, ſi ſordeſcat? (a) O Sacerdos Dei, ſi perpenderes tuam dignitatem! ſi enim altitudinem cœli contemplaris; illo altior es; ſi pulchritudinem ſolis, lunæ, ſtellarum; pulchrior es; ſi Angelorum diſcretionem; diſcretior es; ſi Dominorum omnium ſublimitatem; ſublimior es. Solo Deo & Creatore tuo inferior es. Separamini itaque, qui portatis vaſa Domini, & exite de medio eorum; ut ſubintret in vos Dominus Deus veſter, & manſionem apud vos faciat; dicit enim: cum diſcipulis meis facio paſcha.

Benè veneris, optime JEſu, benè veneris; tibi dono cor, tibi dico animam, tibi omnes ejuſdem potentias dedico. Occupa intellectum, voluntatem guberna; vive in me, ut & ego vivam in te; & ſpiritus meus ſpiritui tuo perfectè uniatur. Ita non ampliùs ero lentus ac ſegnis, ſed ardens ac promptus,

*Recipere divinum Hoſpitem.*

---

*Commemoratio Cathedræ S. Petri.*

SAncte Princeps Apoſtolorum, ora pro me, & authoritate tuâ ſolve me à vinculis peccatorum meorum. Sancte Petre, ad ſupremam à Chriſto eve-

(a) *Caſs. in Cath. glor.*

rectus es dignitatem, ut à te, velut capite, lux veritatis per universum mundi corpus diffundere-tur; inde ad urbem Romanam, superstitionum omnium Matrem, ac idololatriæ receptaculum, accedere non es veritus, cum Paulo, gloriæ tuæ contrarie. (a) Sic fervens & accensus eram (ita testatur ipse D. Petrus apud S. Birgittam) ut, si totum mundum potuissem ad Deum convertere, nullatenus pepercissem labori, nec vitæ: ipse quippe Deus dulcis mihi erat in cogitatu, dulcis in loquela, dulcis in opere, in tantum, quòd omnia mihi erant amara ad cogitandum, præter Deum. Adesto nos, gloriose Christi in terris Vicarie, ut tuâ intercessione fructus veræ salutis in nobis, & alijs ad dei gloriam operemur, ut tandem ad veram mes-sem perveniamus. Amen.

## xiv. Cal. Febr. 19. Jan.

### *B. Abundantia.*

QUamvis indignus sim, cui, uti beatæ Abundantiæ Spoletanæ, S. Gabriel Archangelus sub tæ finem appareat, afferátque felix nuntium de orte beata, & sacro viatico, Divi alicujus manibus porrigendo; quamvis, inquam, indignus n, cui idem obsequium Angeli, & tutelares sancti olim exhibeant; firmam tamen in eorumdem ffragijs ac meritis spem repono, fore, ut ope â decumbentem juvent, neque mori me sinant, si Viatico divino, & sancta decedentium unctione



(a) *Revel. l. 4. 5.*

ritè munitum. Nempe assistentiâ & auxilio vestro tunc vel maximè egebo, sancti Genij, ac Tutelares mei; cùm lectulum moribundi hostes tartarei magno numero ambient; & malefacta mea objicient, ut in desperationis barathrum impellant. Surgite itaque, ô beati Spiritus, & opitulamini mihi, ac in extrema positum necessitate protegite: Et tu, ô mi JEsu, esto adjutor fortis, qui solus juvas in opportunitatibus, in tribulatione: impera tunc ventis tentationum; & fiet tranquilitas magna: Tunc enim circumdabunt me inimici mei, & coangustiabunt undique, ut prosternant aliàs debilem; fortes tunc, & multi bellantes adversum me stabunt; ne ergo derelinquas me, Domine Deus meus, & ne discesseris à me. Indulge, quæso, ut Corpus tuum sacratissimum recipiam hodie; & ita pro terrifico illo conflictu jam nunc incipiam me communire. Liceat mihi ferire pactum tecum pro suprema illa hora, ut jam nunc me tuteris contra hostes, tunc infestaturos: Præcipe, pijssime Domine, qui omnes salvos esse cupis, præcipe jam hodie sanctissimo Signifero tuo Michaëli, qui, fortis in prælio, fecit victoriam, ut in tutelam suam ammodò me recipiat, mihi in pugna illa decretoria assistat, pro me decertet, & uti quondam cœlo dejecit Luciferum, ita tunc etiam eundem à me depellat. Et tu, ô Maria, Mater DEI pijssima, adsis tunc famulo tuo, cum tota æternitate decertanti; nec me deseras in illa hora, à qua pendet animæ meæ salus æterna. Interim juvabit

*Domui suæ maturè dispenere.*

xiij. Cal.

xiij. Cal. Febr. 20. Januarij.

*Glorioſus S. Sebaſtianus.*

toriæ apud Diocletianum Auguſtum cohort
præfectus Sebaſtianus, ſub veſte militari veram
um fidem occuluit; ut ſic tutiùs alios in ean-
ſalutis viam conduceret; alios, ne ab eadem
res exerrarent, verbo ac exemplo ſolidaret;
us inde, in gratia confirmari voce illâ divinâ,
delapsâ: *tu nunquam non mecum eris.* Proph-
hriſtum, quem intrepidè confeſſus eſt, quò
metam attingeret, meta ipſe factus, telis
ue confoſſus eſt; ac demum virgis ad mortem
cæſus, geminam Martyrij promeruit coro-

tharina, ſanctæ Birgittæ ſancta pariter filia,
tâc ipsâ die ædem, D. Sebaſtiano extra muros
conſecratam, inviſeret, priùsquam ad epulum
am accederet, ita oravit: Piiſſime Salvator,
ignatus es, idem ſacratiſſimum Corpus tuum,
modò ſumptura ſum, de immaculata Matre
ere, & demum in crucé inter acerbiſſima tor-
a extendere; te rogo humillimè, non permit-
it unquam gravi peccato animam meam ma-
i; da mihi, JEſu piiſſime, in protectorem,
ſum Martyrem tuum Sebaſtianum; is cuſtos
itatis & virginitatis meæ, quam tibi dedico,
ſecro; is me protegat, & in ſuam recipiat tu-
. Neque irritæ preces fuêre: experta eſt
ns. divi Tutelaris patrocinium Chriſti Spon-

ſa, quando Magnatum quidem rapere eandem, & ad ſua deſideria abducere parabat.

Vota eadem ingeminabo & ego hodie, ut glorioſi Martyris ſuffragio ab omni noxa lethali ſerver immunis. Peccatum peſtis eſt animæ, dedecens vel maximè Sacerdotem. Utut enim, quisquis peccat, occidat animam ſuam; ſacer tamen Myſta Deum ſimul enecat in altari, ac cum perfidis Judæis denuò crucifigit. Si igitur plus eſt anima, quàm corpus; ſit tibi, ô dilecte Deo corporum Soſpitator, major cura pro anima mea; ne eandem peccando perimam, &, quod longè abominandum magis,

*Rurſum mihimetipſi crucifigam Filium Dei.*

## xij. Cal. Febr. 21. Januarij.

### *S. Agnes Martyr.*

JUre non minori, quàm olim tyranno dixerit B. Agnes: *corpus meum corpori ejus ſociatum eſt*, poſſum & ego, JEſu dulciſſime, in quotidiana ſanctiſſimæ carnis tuæ ſumptione aſſerere; corpus meum corpori tuo ſociatum eſt: Tu ſiquidem panis es cæleſtis, quo quotidie, indigniſſimus licèt, reficior; hic panis, corpus tuum eſt, in ſubſtantiam aliti tranſiens: inde corpus meum corpori tuo, caro mea carni tuæ perfectè unitur. Pone itaque (ut ſponſæ tuæ Agneti) ſignum in faciem meam, ut nullum præter te amatorem admittam. Sit hoc ſignaculum ſuper cor meum, ut tibi ſoli pateat, omnibus verò creaturis claudatur. Et nónne res, temeritate plena, quod Conditori dicatum eſt,

rie

conditæ ſubſternere? Feciſti, Domine, cor
trum ad te; & inquietum eſt, donec requieſcat
:, velut centro ſuo. Scio, Domine, ita te con-
itum, ut cor integrum tibi vendices. Maria,
:er tua ſanctiſſima, & unà virgineus ſponſus
ephus, anxiè quærebant diverſorium Bethlehe-
; pulſabant, ſolicitabant, partus ipſe inſtans ta-
: loquebatur; ſed locus eis non erat. O Crea-
omnium, Deus, nónne tua eſt terra, & uni-
ſi, qui habitant in ea? cur ergo locum non in-
is? nónne in manu tua ſunt corda filiorum homi-
1? cur igitur non moves corda Bethlehemita-
1, ut te cum Matre ſanctiſſima, & patre nutri-
tectis excipiant? Dixeras aliquando apud Hym-
graphum regium: (a) *Si eſuriero; non dicam tibi*: ra-
iem ſubnectis: *meus eſt enim orbis terræ, & ple-
do ejus.* Cur igitur domus tibi deficit; cùm de
o nullatenus angaris? Deërant parentibus tuis
nmi, quibus te alerent, ac in Ægyptum deduce-
it fugientem; & ecce Magi, ſtellâ duce, adſunt
oriente, qui apertis theſauris ſuis aurum depro-
int. Didrachma in loculis nullum erat, quum
butum poſtulareris; & mandas Petro-(b) eum
cem, qui primus aſcenderit, tolle; & aperto ore
s invenies ſtaterem; illum ſumens, da eis pro me
te. At deficit diverſorium; deficit locus, in
) quieſcas! Et quare? audio magnum Auguſti-
n reſpondentem: dilectus tuus talis eſt naturæ,
cor tuum integrè poſſidere velit. Non vult a-
n in te, præter ſeipſum; nulla ei conventio ad



*Pſal. 49. v. 13. (b) Matth. 17. 26.*

Belial, familiaritas nulla cum mundo; nequit iſte cor exſatiare; inquietum eſt cor noſtrum, donec in Deo conquieſcat. Inde, quia in diverſorio publico communis omnibus patet ingreſſus, egreſſusque; noluit eò ſubintrare; vis eum corde recipere? totum id ipſi ſerva: nam

*Totum te exigit, qui totum te fecit.*

---

xj. Cal. Febr. 22. Jan.

## *SS. Vincentius & Anaſtaſius M. M.*

COnſtitit pro Chriſto ſanctus Vincentius in craticula; conſtitit inter verbera & equuleum, inter prunas ardentes, & ungues ferreos, inter laminas candentes, & teſtarum fragmina; quia eſcâ dominicâ ſaginatus, & præclaro calice ebrius, tormenta riſit. S. verò Anaſtaſius volvendis, imitandiſque Sanctorum geſtis addictiſſimus fuit; ejus imagines morbis, & orco terrori ſunt.

Tantam vim ſi vel imagines habent Sanctorum; quantam exeret ipſe Sanctus Sanctorum? dum non imaginem, ſed ipſum ejus Corpus ſacratiſſimum dæmoni objicimus. (*a*) Latent ubique laquei; ubique ſtricti ſunt gladij; inter inſidias & pugnas vita tranſigitur, & per ignes, doloſo cineri ſuppoſitos, ambulamus. Meritò igitur indigemus ſacrificio, per quod à tantis periculis liberemur, ac contra lapſus roboremur.

Inde & ego accedam ad Dominum meum; accedam fiducialiter, & non timebo; dicámque eum

pio

(*a*) *S. Paulin. Epiſc. de Gazoph.*

Aſceta: (a) O dulciſſime, atque amantiſſime
ine, tu ſcis infirmitatem meam, & neceſſita-
, quam patior; in quantis malis & vitijs jaceo,
ſæpe gravatus, tentatus, turbatus & inquina-
am: pro remedio ad te venio, pro conſola-
& ſublevamine te accedo; ad omnia ſcien-
loquor, cui manifeſta ſunt omnia interiora
, & qui ſolus potes me conſolari & adjuvare:
is, quibus bonis indigeo, & quàm pauper
virtutibus; ecce ſto ante te pauper & nudus,
ni poſtulans, & tuam miſericordiam implo-
; refice mendicum tuum; accende frigiditatem
igne tui amoris; illumina cæcitatem meam
ate præſentiæ tuæ; verte mihi terrena omnia
aritudinem, omnia gravia & contraria in pa-
iam, omnia infima & creata in contemptum
blivionem. Placatus ſiquidem Dominus eucha-
i ſacrificij oblatione, gratiam & donum poe-
iæ concedens, crimina & peccata dimittit.
agnum Sacramentum! Dei debitor es? mone-
t; quâ cenſum exolvas. Præliaris cum hoſte?
m eſt, quo tela nequiſſimi adverſarij excipias.
m ultimum aſſequi cupis? centrum eſt, quo vo-
a colliment. Iter æternitatis ingrederis? Via
n eſt, in cujus fortitudine admontem Dei per-
s. Infirmaris! Alexipharmacum eſt, quo con-
cas. Cœlum ſuſpiras? pignus eſt futuræ glo-
, ac perpetuæ felicitatis. (b) Sacramentum
nè utile, omnium bonorum & gratiarum col-
lato-

(a) Kemp. lib. 4. Imit. (b) B. Angela de Fulgin. c. 147.

lativum; siquidem innumerabilia dona & beneficia sunt, quæ conferuntur nobis, si dignè illud susci-piamus, præcipuè

*Mens impletur gratiâ.*

---

x. Cal. Febr. 23. Januarij.

*Desponsatio beatissimæ Virginis Mariæ.*

Dies hodierna exordium fuit mysteriorum divinorum. Desponsatur Virgo, Mater futura; quô arcana cælestium tegerentur operum, dum sub conjugij velamine servatâ Virginis integritate, ac famâ, Filius DEI nascitur. Sanctissima Conjux, Virgo & Mater, Maria, mentis ac carnis integritatem mihi exora; utrámque in me jugiter conserva; cogitationes sordidas abige, ne ulli unquam tentationi, aut peccato succumbam; &, quod inde consequitur, mortis æternæ sententiam, veluti prævaricator, subeam. Et quem magis decet castitas, quàm sacerdotem, qui Agnum absque macula indies offert, manibúsque contrectat? Quàm turpe, manibus ijsdem contingere Filium Virginis, quæ paulò antè ad fœdissima quæque fuerant extentæ? Vidit S. Clemens, Episcopus Ancyranus, quem meritò prodigium Martyrum dixerim; (a) Siquidem de non uno Cæsare, de præsidibus ac judicibus plrribus triumphavit; tulit virgas, flagra, catenas, saxa, equuleos, culeos, obeliscos, galeas, stylos, subulas, ungulas, laminas, pectines, rotas, fornaces, picis, olei bullientis, sul-

(a) *Surius hodie.*

ſulphuris, ac vivæ calcis immanes cruciatus, quibus ſuſtinendis per ipſos viginti & octo annos continuos par fuit; vidit, inquam, ſanctus iſte Præſul panem ſacratiſſimum ſub ſchemate carbonis ignitri: vidit aliàs cælites ſibi miniſtros in carcere aſſerre panem & vinum, ut hoſtiam incruentam offerre poſſet.

Quamvis panem cæleſtem aliâ, quàm conſuetâ ſpecie non videam ego; credo tamen firmiſſimè, quidquid de eodem dixit Dei Filius; ſcio præterea, ritus cæleſtes ſacrificanti adeſſe, arámque ambiunque ipſis ſanctiſſimam Dei parentem; quanto m tremore obirem ſacrum miniſterium! Jam ve-; quod non video, animoſa firmat fides: credo, fidem diviniſſimi hujus Myſterij; fac me ſemper is credere; ſpem ac fiduciam ſummam in hoc amento collocare; illud intimè amare; ut emplando maximam charitatem tuam, amem ntiùs, pleniùs ſperem, ac credam expresquidquid de tanto Myſterio

*Animoſa firmat fides.*

## ix. Cal. Febr. 24. Januarij.

### *S. Cadocus Conf.*

atus ad luſum S. Cadocus, templum adiit; ie delicijs JEſum præponens, ſanctiſſimum rpus, panis ſpeciebus involutum adorabat, tandem prorumpens: O cæca hominum quæ tranſitoria appetit, æterna deſerit,

cogi-

cogitate, quid ſitis, & ad quid creati vivatis. Amen, amen, dies Domini veniet, quando riſus vertetur in luctum, luctus in lætitiam.

Equidem non ignoro, quid ſim, pulvis nempe, & terra: *pulvis es, & in pulverem reverteris*; ſepulchrum foris dealbatum, deintùs cadaver fœtidum: putredini dixi: pater meus es tu. Neque etiam ignoro, ad quid creatus vivam; videlicet, ut Deum meum amem, illíque ſoli ſerviam, qui ad imaginem ſuam me condidit, & ex puto mei amore imaginem meam induit; qui ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo, ut hominem Deum faceret, prout ipſe dixit magno Auguſtino: tu mutaberis in me. Amantiſſime JEſu, quàm promptiſſimè obſequor: quæ enim ſors beatior, quàm hominem miſerrimum, Deum fieri? Et ſi viliſſimus ego tibi ſufficio; tu mihi non ſufficies? ſi ego tibi placeo; tu non placebis mihi? Ita, Domine, ita fiet; mutabor in te: fiat hæc mutatio in virtute dexteræ excelſi; ut jam non vivam ſecundùm carnem, alioquin moriar; ſed ſecundùm ſpiritum, non pertranſeundo deinceps prata carnalium voluptatum, neque ſectando mundi hujus delicias, convivia, luſus, vanam converſationem; Templa potiùs obibo, ubi abſconditus eſt, quem diligit anima mea. Odiſti, Domine, obſervantes vanitates ſupervacuè: Itaque honeſtatem ſacerdotalem præferam in veſtibus, victu, ac converſatione: mutabor in te, Deus, ac bonus odor eſſe in omni loco ſtudebo.

Dei

Dei vices obis, ſacerdos: *ego dixi*: Dii eſtis. Dei itáque in te oſtende attributa ac perfectiones. Omnipotentiam demonſtra, viriliter agendo in tentationibus ac adverſitatibus quibúsque; ſapientiam, vitando mundi vanitatem ac voluptatem; bonitatem, dolum omnem ac malitiam deteſtando, omnibus verò benefaciendo; ut confeſſarius ſana vulnera, medicus ſpiritualis; ut paſtor ſuper gregem vigilia; vitia reprehende ut concionator; ut ſacerdos omnibus te præbe exemplum bonorum operum: Ita Dei vices ſuſtinebis; ita eidem placebis; ſiquidem

*Ille placet Deo, cui Deus placet.*

---

## viij. Cal. Febr. 25. Januarij.

### *Converſio S. Pauli.*

PAulus ex Saulo, ex reprobo vas electionis, agnus ex lupo, ex perſecutore Eccleſiæ doctor, prædicator Chriſtianæ fidei ex hoſte, portans nomen JEſu coram gentibus, Regibus, ac principibus terræ, primò proſtratus, poſtea erectus, cæcitate percuſſus initiô, inde lumine fidei colluſtratus fuit. Sic neſcit tarda molimina ſpiritûs ſancti gratia. Vis & tu converti cum Paulo? dic toto corde: Domine, quid me vis facere?

Tua immenſa charitas, mi JEſu, triumphet de me, & de perverſa voluntate mea; ſicut Paulum hodie ſuperavit. Videris mihi pariter de me conquéri: quid me perſequeris? quid me peccando oppugnas, qui te ex nihilo condidi? qui toties vocavi te, utut in peccatis hærendo venire contem-

tempſeris? qui ſanguinis ac mortis meæ pretio te redemi, cùm tu valorem hunc infiniti meriti ſpernas ac conculces? qui corpore meo ſanctiſſimo quotidie te reficio ac nutrio, cùm tu indignè accedas? Quoties te quæſivi; & tergum obvertiſti mihi? quoties mandata mea læſiſti enormiſſimè? durum tibi eſt, contra ſtimulum calcitrare, meque poſt tergum tuum abjicere.

Quàm vera ſunt omnia, pijſſime Servator, quæ mihi objicis! Habes, Domine, confitentem reum; quem ſi, ut Paulum in terram afflixiſti, ita in profundum inferorum deturbes, juſtus omnino es, & rectum judicium tuum. Quòdſi eleves jacentem, in gratiam recipias, & pro benignitate tua ſalves; miſericors es, & miſerator. En cum Paulo eximo corde converſus ad te dico: Domine, quid me vis facere? cum dilecta tibi Gertrude conſigno clavem voluntatis meæ; fac mecum, Domine, quod tibi arridet; paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, etiam ipſa inferorum ſubire ſupplicia, modò ſatis divinæ tuæ juſtitiæ fiat. Sed video, Domine, quid velis à me: in capite libri nempe ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam: ecce Deus meus, volui; & legem tuam in medio cordis mei: id tantummodò rogo cum Auguſtino: da, Domine, quod jubes; & jube, quod vis: oſtende nobis miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis: id ut conſequar, millies cum Paulo iterabo:

*Domine, quid me vis facere?*

vij. Cal. Febr. 26. Januarij.

*S. Paula Vidua.*

ntemplationem menſæ euchariſticæ ſubjun-
ere edoceor à S. Paula, Matrona Romana:
Bethlehemij ſanctam incolens ſolitudinem,
um Dominum, in ſacro Altaris Myſterio per-
m, ita ſibi proponebat in corde ſuo recum-
m, prout olim quieverat in præſepio, in quo
s natus fuerat collocatus.

poſitè eandem adhibeo contemplationem:
em intra viſcera mea, velut in ſordido ac vili
o, cœli & terra Dominus colloçatur, uti
laim medius inter duo animalia, ita jam inter
i affectionum, quæ frænum rationis excuſſe-

Certè cor meum, ſtabuli adinſtar immun-
, nullâ purgatum diligentiâ, tantæ nullatenus
uit Majeſtati. (a) Scio, Domine, quòd
ritatis amator, & dator omnis ſanctitatis;
urum quæris, & ibi eſt locus requietionis tuæ;
naculum grande, ſtratum, ut facias ibi cum
ulis tuis paſcha; expurgabo igitur vetus fer-
um, & mundabo cordis mei habitaculum;
dam ſæculum totum, & omnem vitiorum tu-
m; ſedebo tamquam paſſer ſolitarius in tecto,
gitabo exceſſus meos in amaritudine animæ
: omnis namque amans dilecto ſuo optimum
cherrimum parat locum; in hoc quippe no-
affectus ſuſcipientis. Equidem ſcio, non



) *Kempis Imit. l. 4.*

poſſe me præmittere præparationem pro merito, & dignitate actionis, utut annum integrum impenderem, aliud interim nihil cogitando: Ex ſola igitur pietate & gratia tua, Domine, permittis mihi acceſſum ad menſam tuam, acſi mendicus ad prandium vocaretur divitis; neque referre aliud beneficio huic valeret, niſi humiliationem, & grati animi ſignificationem. Faciam tamen, quod in me eſt, & diligenter faciam, non ex neceſſitate, vel ex conſuetudine, ſed cum timore, reverentia & affectu ſuſcipiendo corpus amantiſſimi Domini mei, dignantis ad me venire: Tu enim vocâſti me, Deus, tu juſſiſti fieri, tu dixiſti: *venite ad me omnes: niſi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ad te itaque accedo, quia jubes; ad te venio, quia vocas; te ſuſcipere audeo, quia ita fieri juſſiſti. Et quia, juxtâ Auguſtinum optimus miniſter tuus ille eſt, qui non nititur hoc à te audire, quod ipſe voluerit; ſed magis illud, quod à te audierit, implere; tu, Domine, ſupple, quod mihi deeſt, & ut gratum in me invenias habitaculum, tu, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine,

*Cor mundum crea in me.*

## vj. Cal. Febr. 27. Jan.

### *S. Joannes Chryſoſtomus Ep. Conſtantin.*

FElices illos deprædicamus, qui Chriſtum in carne viderunt: (a) quot dicunt (ait D. Chryſoſtomus, pro aurea ſua eloquentia, & Zelo in ſanctiſſi-

(a) *Hom. 38. in Matth.*

ctiſſimum Altaris Myſterium) vellem ipſius formam videre, figuram, veſtimenta; ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Tu quidem veſtimenta cupis videre; ipſe verò tibi concedit, non tantum videre, verùm & manducare, & intra te ſumere. Tamquam leones itaque, ignem ſpirantes, ab altari recedamus, facti diabolo, & Angelis ejus terribiles.

Redibo ego leoninâ animoſitate à ſacro altari; abigam à me creaturas omnes, quæ quoquo me modo præpediunt, ne liberè amem Chriſtum meum; nec manus peccatoris, nec perverſi, neque contra legem agentis, nec mundi allicientis, neque carnis ſtimulantis moveant me. Exurgat adverſum me prælium, inſurgant tentationum venti; inſtar leonis, ignem ſpirantis ſtabo, & durabo in fortitudine cibi euchariſtici: (a) qui enim alium cibum appetit, quàm Chriſtum, neſcit, quid petat. Stupenda proin miſeria, & commiſeratione digna; Dominum Deum intra ſe habere, & aliud quidpiam in miſero hoc, & fallaciſſimo mundo appetere. Quis loquetur potentias Domini, quâ in unam velut maſſam reducuntur Deus, & homo; & hic in illo, ille in hoc manet? Quòdſi fermentum, (b) magnitudine parvum, ſpecie ſimplex, tantam fortitudinem intrinſecò gerit, ut ſuccus ejus totam maſſam faciat, quod ipſe eſt; quantò magis Chriſti ſuccus, qui eſt pretioſus ejus ſanguis, admixtione ſui omne genus humanum ſolidabit. Non mirum



(a) *Ita dicere ſolebat S. Phil. Ner.* (b) *S. Ambros.*

rum igitur, ſi D. Chryſoſtomus, divino hoc cibo roboratus, ut quondam Jezabeli Elias, ita Eudoxiæ Auguſtæ, ac ejus impietati ſe objecerit. Fugiebat memoratus modò Propheta impiam Regínam; laſſusque ſubter juniperum quamdam ſe abjecerat; cùm ecce adſtat Angelus, excitatóque de ſomno ait: *Surge, comede.* Paret Elias; comedit, ac bibit: & ambulavit in fortitudine cibi illíus uſque ad montem Dei. In fugam pariter, & exilium actus eſt S. Joannes Chryſoſtomus, machinante Auguſtâ; at ſacrificanti ſpiritus ſanctus adfuit, morituro D. Baſiliſcus Martyr, qui hiſce eum compellavit: Joannes, frater, craſtinus dies nos loco conjunget. Ita viatico divino munitus, Montem ſanctum, ac ipſa DEI tabernacula conſcendit. Hoc eſt, leonis inſtar, ignem ſpirantis, ab ara recedere; hoc eſt, in Chriſto manere, eúmque in ſe manentem habere; hoc eſt, fieri terribilem diabolo & Angelis ejus; hoc eſt, agere Dei Sacerdotem; qui, quoties alium cibum appetit, quàm Chriſtum,

*Neſcit, quid petat.*

## v. Cal. Febr. 28. Januarij.

### *S. Jacobus Pœnitens.*

SI *ſtas*, pie Sacerdos; *vide, ne cadas*: (a) cuncti enim greſſus tui, & quidquid agis, quidquid loqueris, oportet, ut doctrina ſit populorum. Habes ſchema ſancti timoris hodie in D. Jacobo pœnitente. Is ab

(a) *Hieron. c. 128. ad Fabiol.*

ab ipſis jam quadraginta annis in eremo inter herbas, ac beſtias, ab omni humano ſejunctus commercio, ſoli Deo vixerat, admirandus abſtinentia, ac prodigijs patratis: & ecce in fœdum carnis impingit peccatum; cui homicidium addit cum Davide; abyſſo abyſſum invocante. Dei tamen colluſtratus gratiâ, ad mentem redit; &, ut inter mortuos lueret, quod peccârat inter vivos, in tumulo quopiam integrum tranſigit decennium, non niſi bis in hebdomade refectus herbarum radicibus, quoad ſepulchro ſuo immoreretur.

Teſta,tus quondam fuit Pſaltes Regius,cor ſuum, ceræ ad inſtar liqueſcens, diffluxiſſe intra ſe, eò quòd exitus aquarum deduxiſſent oculi ſui, ob legem Dei negligentiùs cuſtoditam: Per lacrymas ſiquidem pœnitentiæ cor, tamquam cera, colliqueſcit. Utinam idem mihi contingat! utinam oculi mei deducerent exitus aquarum! Ita cor meum, ratione conſimili liquefactum, offerre tibi poſſem, JEſu pijſſime; ut ei imprimeres effigiem tuam ſanctiſſimam, nullâ dein vi expungendam. Fides me docet, animam meam ad imaginem & ſimilitudinem tuam fuiſſe efformatum; nec me latet etiam, toties me eandem deturpâſſe, commaculâſſe, ac omnino delêſſe, ſubſtitutâ dœmonis, hoſtis tui juratiſſimi, ideâ; quoties graviter te offendi.

Tu verò hanc denuo expunge; & Dagonem loco dejice, quo eum repoſueram; Tu formam primævam gratiâ tuâ reſtitue; ut ita ſis Deus cordis mei, & pars mea in æternum.

S. Cyrillus Alexandrinus, cujus hodie pariter meminit Eccleſia, de ſacro Altaris Myſterio ita ſtupens exclamat: (a) Dedit pijſſimus Dominus corpus ſuum pro vita omnium; & per illud rurſus vitam in nobis immiſit: ſanguinem ſuum fudit; ut redempti à miſerabili ſervitute, libertate donaremur: Jam corpore & ſanguine ſuo nos paſcit, ut vitam haberemus; ad modum, ſiquis liquefactæ ceræ alteram ceram infuderit; alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt; ſic, qui caruem & ſanguinem Domini accipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur.

Revera Deus humanum genus mirabiliter redemit, cùm corpus ſuum in Ara crucis holocauſtum Patri obtulit; ſed ratione magis adhuc prodigioſâ idem opus perficit; dum ejus ipſius ſacratiſſimi corporis medio vitam nobis rurſum immittit, poſteaquam animas noſtras per peccata iteratò occidiſſemus; Neque vitam ſolùm confert nobis, ſed & exoptabiliſſimam largitur unionem, haud aliter nobis conjunctus in ſacratiſſimo hoc myſterio, ac cera liquefacta alteri infundatur. Hanc unionem, omnium præſtantiſſimam, concede, Deus, ut intimè tibi jungar, tuque in me, & ego in te transferar:

*Fiat cor meum, tanquam cera liqueſcens.*

## iv. Cal. Febr. 29. Januarij.

### *S. Franciſcus Salaſius Epiſcopus Genev.*

INdicibili animarum Zelo ſuccenſus ſanctus hic Præſul, ſeptuaginta duo hominum millia ad Deum,

(a) *L. 4. in Joan. c.* 12.

Deum, mediâ fide Orthodoxâ cognoſcendum, reduxit. Nullus timor, eventus ſiniſter nullus, invictum ejus animum labefactare, nullus labor frangere potuit, nec ipsâ morte vincendum; ad quam ſæpiùs quæſitus ab hominibus ſceleratis, aliud in ore non habuit, quàm vivat JESUS.

Dicam & ego hodie, milliesque ingeminabo: vivat JEſus, triumphet JEſus, quem in Epulo divino hodie recepi. Elige tibi cor meum, JEſu piiſſime, in habitaculum, & eò ſubire omni morâ abjectâ feſtina. Ad hoc quippe Pater tuus cæleſtis ſuâ me omnipotentiâ ac pietate condidit, ut bonitate tuâ æternùm fruerer. Viſita ergo me, & appone erga me cor tuum; en ego viciſſim, tuâ acerbiſſimâ & ignominioſâ aſſertus paſſione, tibi, præ millibus electo ac dilecto, offero, quod à me petis ac deſideras, cor meum; id tibi conſigno, amore divino ex toto ſuccendendum. Scio, te, Deum Zelotem, nolle, ut cor inter te, & creaturas partiar; promitto itaque eo affectu, quo ſalutem meam amo, ita te amare, quantum poſſum, & quantum debeo; quantúmque ullus te hominum unquam amavit; neque vel ipſis ceſſurum Martyribus; ſed, ſi ita velis, laturum cum iiſdem quævis ſupplicia; vivat JEſus, triumphet JEſus, quem in Epulo divino hodie recepi.

Piiſſimus Servator noſter, nihil moratus imminentem paſſionis horam, Judæ proditione, & captivitate diriſſimâ nihil obſtantibus, egreſſus eſt ad montem olivarum ſecundùm conſuetudinem; ne videlicet hanc videretur neglexiſſe ob periculum

lum præſens, & mortem impendentem; illuſtri nobis exemplo, ut poſito omni reſpectu humano, contempto quovis diſcrimine, ipſius etiam vitæ, in ſancto Dei amore, ac bonorum operum exercitio perduremus, dicentes cum Apoſtolo: quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? perſecutio, aut gladius? &c. Ita ſanè D. Franciſcus Saleſius in medijs laboribus, inter perſecutiones ac diſcrimina identidem dicebat: vivat JEſus! Ita ſanctus Martyr Ignatius inter tormenta ac mortem ipſam proteſtabatur: JEſum mihi de ore, JEſum mihi de corde auferre non poteſtis. Nempe lapis lydius virtutis eſt tribulatio ac perſecutio; & exhibitio operis, probatio eſt dilectionis. Sic, bone JEſu, ſic & ego amabo te, quia tu amâſti me; ſic, in quo quis audet, audebo & ego. Nil me ſeparabit à charitate Chriſti; ipſum mihi de ore, ipſum mihi de corde auferre nemo poterit: triumphet JESUS.

*Vivat JESUS.*

---

## iij. Cal. Febr. 30. Januarij.

### *B. Aldegundis V.*

DEvotiſſima ſacroſancto Altaris Myſterio erat B. Aldegundis; cui aliquando Dominus, ſtans ad latus Altaris, apparuit, dicens: ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Utinam & mea tolleret peccata Agnus iſte manſuetiſſimus, pro nobis olim ductus ad occiſionem! O infinita Dei erga nos bonitas, largientis nobis Spiritum ſapientiæ, & cognitionis, hujus præci-

può

pùè Sacramenti adminiculo; ſummáque per idem, ac maximi pretij beneficia promittentis; inter quæ primum eſt, quòd medio hoc efficiamur divinæ conſortes naturæ; accipiamúsque pignus futuræ gloriæ, & adoptionis filiorum DEI. Veriſſimè pignus admirabile ac pretioſum in hoc depoſitum eſt myſterio; pignus, in ara crucis Patri æterno oblatum pro me, jam verò euchariſticis ſpeciebus concluſum. O verè Agnus DEI, qui tollis peccata mundi; cor mundum in me crea, quò te beatitudinis meæ pignus, dignè recipiam, ac devotè retineam. Cur verò, clementiſſime Deus, velut creditorem me in ſanctiſſimo hoc Sacramento conſtituis; te autem velut debitorem exhibes? Non mihi debes quidquam, Domine; ſed ego infinitis tibi devincior nominibus, quibus exolvendis me toto minimè ſufficio. En igitur, Pater æterne, pignus, in ſancta Altaris hoſtia mihi creditum, ſummo amoris affectu tibi offero, Filium videlicet tuum, JEſum Chriſtum Dominum noſtrum; offero cum eodem omnia ejus merita, paſſionem, ſanguinem, lacrymas, vulnera, dolores, crucem, mortem, & quidquid amore mei triginta tribus annis agit, ſuſtinuitque: (a) igitur propter tuam charitatem, quem erga hominem habes, & tuam paſſionem, indulge mihi paccata mea, qui dixiſti: ego ſum verus pelicanus, qui proprium ſanguinem do meis, & in præſenti reficio, & in futuro usque ad ſatietatem: quid enim eſt Altare meum, niſi illa cæleſtis menſa, &



(a) *Ex revel. Birgit. l. 6. c. 9.*

gloria in cœlis, de qua Angeli lætantur, & Sancti? Hoc repræſentat Altare in Eccleſia, de lapidibus erectum, ubi quotidiè corpus meum, in cruce fixum, immolatur. Ad hoc Altare indignè accedens nunquam ſtabit, nec videbit faciem meam. Filij autem mei videbunt faciem meam, quibus ſum ſalus, redemptio &

*Pignus futuræ gloriæ.*

## Pridie Cal. Febr. 31. Januarij.

### *S. Petrus Nolaſcus Conf.*

O Si vel micam haberem devotionis illius, & attentionis, quâ D. Petrus Nolaſcus ferebatur in ſacratiſſimum Chriſti corpus, quoties ſacris operabatur, eo ardore, ut à ſenſibus abiêrit ſæpiùs, & ad tempus ſat prolixum. (a) Heu quàm puſillum eſt, quod ago; quàm breve expleo tempus, cùm me ad celebrandum diſpono; rarò totus collectus, rariſſimè ob omni diſtractione purgatus; & certè in tuæ Deitatis præſentia nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla occupare creatura; quia non Angelum, ſed Angelorum Dominum ſuſcepturus ſum hoſpitio. Quare igitur non magis ad tuam divinam inardeſco præſentiam? cur non majori me præparo ſolicitudine ad tua ſancta ſumenda? Currunt multi ad diverſa loca pro viſitandis reliquijs Sanctorum; & oſculantur ſericis & auro involuta ſacra oſſa ipſorum; & ecce tu præſens es hîc apud me in Altari Deus meus, Sanctus ſanctorum, in manibus meis Creator hominum; & Dominus Angelorum. O in-

(a) *Kemp. l. 4. de Imit. Chriſti.*

O invisibilis mundi Conditor Deus, quàm mirabiliter agis nobiscum? quàm suaviter & gratiosè tum Electis tuis disponis; quibus temetipsum in Sacramento sumendum apponis: hoc omnem intellectum superat; hoc specialiter devotorum corda trahit, & accendit affectum; fideles quoque tui, qui vitam suam ad emendationem disponunt, ex hoc dignissimo Sacramento omnem devotionis gratiam & virtutum incremeuta recipiunt: in hoc Sacramento confertur spiritualis gratia, & reparatur in anima virtus amissa, & per peccatum deformata redit pulcritudo. Tanta est aliquando hæc gratia, ut ex plenitudine collatæ devotionis non tantùm mens, sed debile corpus vires sibi præstitas sentiat ampliores. Meritò inde à S. Dionysio Mysterium istud dictum est (a) *consumatio & perfectio Sacramentorum omnium*, se habens in præsenti regno cælorum, sancta videlicet Ecclesia, instar solis, quo apparente, stellæ non apparent; quo deficiente, tenebræ universum occupant: (b) quid enim est bonum ejus, aut quid pulcrum ejus, nisi frumentum Electorum, & vinum, germinans virgines? Cur igitur non maiori me præparo solicitudine? cur non magis ad divinam inardescopræsentiam? certè non Angelum, sed

*Angelorum Dominum suscipio hospitio.*

Calen-

(a) *De Hierarch. Eccl. cap.* 3. (b) *Zachar.* 9.

## Calendis Febr. 1. ejusdem.

### *S. Ignatius Martyr.*

(a) COlitur in Æde sacra Conventûs Summontoriani B. Wolfholdus, Præsbyter & Sacellanus ejusdem templi, prope tumulum beatæ Richtildis ibidem conditus, vir tantæ virtutis & meriti, ut limina templi nocturno tempore & paterent divinitùs & denuò sponte clauderentur, dum id subiret quotidie, Deum eucharisticum adoraturus. Quæ tamen gratia aliquando negata fuit, cùm montem ascendisset, nixus baculo, quem è sepe accolæ cujusdam detraxerat; mox tamen iterum concessa eadem, ubi baculo illo restituto ad templum remeâsset. Is præcipuè colitur, qui ex calculo laborant. Disce hinc, modica non esse spernenda.

O exigua quidem oculorum judicio panis species, sed rarum & charum in se complexa thesaurum, qui amplior est mundo, cœlo major, investigabilior mari, universis æstimabilior creaturis, pulcritudine quâvis speciosior, dignior, quocunque orbis Monarchâ, omnibus Angelis præstantior, rutilantior sideribus cœli. Hunc thesaurum ut inveniret psaltes regius, nulli pepercit labori, aut molestiæ: *mediâ*, inquit, *nocte surgebam ad confitendum tibi*; ut eo diteſceret. Templa adivit, canens: *Replebimur in bonis domûs tuæ; sanctum est templum tuum.* Hunc secuti plurimi servi Dei, de quibus Propheta idem prædixerat: *stantes erant pedes nostri in atrijs tuis.* Ad

(a) *Vulgò* Hochenwart. Rader in Bavar. S.

Ad idem faciendum efficaciter nos hortatur D. natius Martyr, cujus feſtam memoriam hodie colit Eccleſia, dum fervore exardeſcens ſcribit: ) feſtinate convenire frequenter ad Euchariſtiam, gloriam Dei: quando enim aſſiduè hoc agitur, pelluntut virtutes Sathanæ: ego enim non coedo eſcam corruptionis, neque voluptates hus vitæ deſidero; panem Dei volo, panem cœle:m, panem vitæ, qui eſt caro. JESU Chriſti lij DEI; & potum, ſanguinem ejus. Hunc pam aſpernantur divites mundi hujus; hunc appent pauperes mundi hujus; edent, & ſaturabunr; & laudabunt Dominum; (b) unico hoc conti ferculo, omnes mundi delicias contemnunt: ij hujus ſæculi manna hoc faſtidiunt cum Israëlitis, dicunt: nauſeat anima noſtra ſuper cibo hoc leſſimo; quippe (c) animalis homo non percipit , quæ ſunt Spiritûs Dei. At Filij Altiſſimi man idem maximo cum guſtu frequentant, dicentes m B. Ephrem: (d) præſtitit nobis Corpus & Sanuinem ſuum, frumentum electorum, vinum germinans virgines, medicamentum immortalitatis, ntidotum non moriendi, ſed vivendi in DEO per :ſum Chriſtum.

Veni igitur, JEſu deſideratiſſime, ſub ſpeciem involucro delitescens; qui veniſti in mundum, on miniſtrari, ſed miniſtrare; quoad mortem ſam, velut reus, & malefactor, pro me ſubires: :ni; ut & ego, hominem novum indutus, inſtar

(a) *Epiſt. ad Epheſ.* (b) *Cyprian.* (c) 1. *Cor.* 2. (d) *Serm. in Cœna Dom.*

ſtar veri, Zeloſi, ac conſtantis ſervi tui, per illa tua divina obſequia omni ex parte fidelis inveniar; dixiſti enim:

*Qui manducat me, vivet propter me.*

## iv. Non. Febr. 2. ejuſdem.

### *Purificatio B. Virginis Mariæ.*

ADerat quadrageſimus à partu virgineo dies, quo Dei Mater, in antiquæ legis ritibus inſtructiſſima, in Templi veſtibulo iſtere ſeſe, ac Unigenitum ſuum Patri æterno conſecrare ſtatuerat. Proin mulierum aliarum, quamvis immundarum, cætui miſta, *tulit JEſum in Jeruſalem, ut ſiſteret eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Manibus itaque Sacerdotum inſerens Puerum divinum, ſupremo, quem mens creata aſſequi poſſit, devotionis ardore, ſuo & totius humani generis nomine, his & ſimilibus eum affectibus offert: Omnipotens æterne Deus, ecce tuæ figuram ſubſtantiæ, tibi conſubſtantialem, & coævum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, pro ſalute tamen generis humani factum Hominem, tibi toto corde & affectu dico dedicóque. Tuus quidem eſt; quia tamen vis, ut à me quoque offeratur: tu eundem pro totius mundi ſalute in odorem ſuavitatis benignus accepta. Quis ambigat, quin oblatio hæc mea, & Abelis victimâ prætioſior, & Noëmi holocauſto ſuavior, & ſanctior ſacrificijs Abrahæ, omnibus demum, quæ hactenus præceſſerunt, hoſtijs excellentior *ſit, tuóque* dignior conſpectu,

O quàm

quàm potens apud Deum advocata eſt Maria, què quando divi Joſephi accedit patrocinium, ipſe in ſacrificio hodierno partem habuit. poſſunt hi non obtinere, quod petunt; quia filium divinum Patri offerunt, vim cælo infe-, ut in eorum preces nequeat non inclinari. quid, ô Virgo, ſole purior, candidior lilio, victimam offers pro peccato? nulla te nec malis, neque actualis culpæ labes, nulla in o tuo integerrimo macula, nullæ ſordes in divino. Nempe ſcelera mea victimis erant nda. Quas itaque grates tibi rependam, ia Mater, maxima peccatorum advocata? in i miſericordiæ tuæ me conjicio; tu peccata hoſtijs tuis redime; tu me emunda, tu me ica, tu me ſalva; tu præcipuè, puriſſima o, dulciſſimum amariſſimi agonis ſolatium, ihi in ſuprema lucta JEſum meum; tunc di- me cum Simeone in pace, quando cereus malis mihi prælucebit: equidem non recuſo ſu- huſtricas purgatorij flammas; modò tu earum eres ardores, doloreſque mitiges; modò m cor meum à ſordibus vitiorum tergere ac icare digneris, ut dignum Filij tui habitaculum mereatur, Amen.

---

## iij. Non. Febr. 3. ejuſdem.

### *S. Anſcarius Epiſcopus Bremenſ.*

Ommendaverat aliquando S. Anſcharius Deo negotia commiſſæ ſibi Eccleſiæ, cum ſactis aretur; & intellexit protinus, legationem,

quam

quam in Sueviam adornârat, felicem eventum fuiſſe ſortitam. Morti proximus, dum ad aram faceret, remiſſionem peccatorum ſuppliciter petut à Deo. Et ecce, coràm adeſt clementiſſimus Dominus, inquiens: firmiſſimè crede; & peccata tibi dimittam, pro quibus ſolicitus es; &, quæ tibi promiſi, implebo.

Agam & ego fiducialiter; omnia videlicet negotia mea, ardua quævis, & maturius exigentia conſilium, Domino Deo in ſacro Miſſæ ſacrificio commendabo. Chriſtus noſter apud Patrem divinum advocatus eſt; (a) rogatus à nobis, rogat in nobis, rogat pro nobis: ò me fortunatum, ſi audire & mihi contigeret: firmiſſimè crede; quia & peccata tibi dimittam, & quæ tibi promiſi, implebo. Promiſit Deus apertiſſimè: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem; in me manet, & ego in eo.* Felicem me, ſi impleat, quod promiſit. Addidit, tales victuros in æternum; beatum me, ſi impleat, quod promiſit. Porro ut impleas, Domine, quod promiſiſti; da, ut efficiam ego, quod juſſiſti.

Ingenti cum lucta, & non abſque magna refugientis naturæ difficultate calicem paſſionis acceptavit Chriſtus, ter rogans Patrem, ut is à ſe transferretur. Et quare? ſublimioris erat conditionis, non humanâ ſolùm, ſed & angelicâ naturâ ſuperior: inde majorem quoque vim inferre ſibi debuit. Siquidem ſi Carolus I. Magnæ Britanniæ Rex (a) ſuo-

(a) *Auguſtin de Orat.*

(a) ſuorum ſe judicio ſubmittere detrectavit, allegata immunitate ſuâ, & ſuperioritate regiâ; quanto minus divina Majeſtas ſubjicienda erat poteſtati hominum? Diſcant inde Sacerdotes, quorum vitæ conditio præ alijs eminet, & naturæ corrrptæ maximè adverſatur, vim ſibi inferre, ut puritatem tum internam, tum externam ad aliorum ædificationem conſervent illæſam; morum gravitatem præ ſe ferant, ſeque ipſos bonorum operum præbeant exemplum. Audiant magnum Auguſtinum, de ſublimitate Sacerdotij differentem: (b) *quod datum non eſt Angelis, conceſſum eſt hominis*; Sacerdos enim ineffabile hoc conficit myſterium; & Angeli conficienti aſſiſtunt: ſuper hoc tam inſigni privilegio ſtupet cœlum; terra miratur, homo vetetur, horret infernus, contremiſcit dæmon, & veneratur plurimum Angelica celſitudo.

Igitur, ut impleas, Domine, in me, quod promiſiſti, largire, ut faciam, quod juſſiſti. Da, ut convenienter ſtatui meo vivam, tibique dignè deſerviam, ut bonus odor ſim in omni loco, & vivum ſanctæ Eccleſiæ tuæ membrum: ô unica ſalus mea, Chriſte JEſu, da, ut per ſaluberrimam mortem tuam deleantur omnia peccata mea; tunc revera cum venerabili Simeone (quem hodie colit Eccleſia Græca) dicere potero: *nunc dimittis ſervum tuum in pace.* Etenim, (c) cum quis egreditur de hoc mundo, ut ad Deum vadat, ſumat JE-



(a) *Capite plexus à ſubditis anno* 1649. 30. *Jan.*
(b) *In Pſalmos.* (c) *Origen. Hom.* 15. *in Luc.*

ſum in manibus, totum habeat in ſinu; ita namque exultabundus ire poterit, quò deſiderat, *Ad DEUM, ſalutare ſuum.*

## Pridie Non. Febr. 4. ejuſdem.

### *S. Andreas Corſinus Epiſcopus Feſulan.*

QUanta vis ineſt ſacris Ædibus! Subit eò S. Joannes Gualbertus, hoſti ſuo reconciliatus antea; & videt Chriſtum, in Cruce ſuffixum, capite ſibi annuentem. Ingreditur Maria, Ægypti eatenùs probrum; & egreditur contrita. Intrat ad Matris imperium Eccleſiam Carmelitarum Andreat Corſinus, poſteaquam ad vitia declinare jam-jam cœpiſſet; &, qui lupus fuerat hucúsque, agnus redit; amplectitur inſtitutum Fratrum beatæ Mariæ de Monte Carmelo; & quia Virgini eidem à teneris fuerat devotus, meruit eandem, cùm primam Deo hoſtiam litaret, coràm aſpectabilem habere, hæcque audire loquentem: *Servus meus es tu; in te gloriabor.* Ab ea ipſa admonitus nocte, quâ Chriſti natalem veneratur Eccleſia, de morte, proximè impendente, dum hanc obit pijſſimè, cœlum velut ſcalis conſcendere viſus eſt.

Clementiſſime DEUS, ah quibus, quantísque affiicior doloribus, quòd te, Patrem amantiſſimum, toties, támque graviter offenderim! quàm autem doleo ex animó; tam efficaciter propono, omnem dehinc tui offenſam cavere. Nihili te, Deum, ac omne bonum meum, feci, ac contempſi; hoſtiliter te inſectatus ſum, méque reum per-

perduellionis adversum te admissæ constitui; & utinam non eodem adhucdum loco res meæ starent! Ergóne ponis me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Ecce nunc in pulvere ac cinere pœnitentiæ, quantamcunque subire potero, dormiam; &, si manè me quæsieris, tibi conciliatus, & in intimam denuò admissus amicitiam, subsistam. Absit, absit, ut deinceps te, Deum meum, ex essentia infinitè amabilem, ac creatis quibusvis præstantiorem, cum vili rerum terrenarum gleba permutem, cœlúmque posthabeam momentaneæ voluptati, & hâc æternos inferorum cruciatus mihi accersam. Nulla igitur res creata, nulla dœmonum suggestio, nulla titillatio carnis, nulla occasionis cujuslibet opportunitas, fallacia mundi nulla eò me adducere poterit, ut ulli peccato consentiam: quin nec ipsæ inferorum portæ adversum me prævalebunt: Subibo sacra limina; sub umbra arboris eucharisticæ tutus sedebo; ac colligam fructus ejus, dulces gutturi meo: millies mori præeligam, quàm graviter, imò etiam leviter deliberatè peccare; in ipsum potiùs demergar infernum, aut mille ejusdem sustinebo cruciatus, quàm ut te, Deum meum sciens offendam. Tu, Domine, in adjutorium meum intende: quantò enim firmiùs statui, omni deinceps gravi, & deliberatâ noxâ prorsus abstinere; tantò ardentiùs, ô Pater misericordiarum, cui omne bonum placet, te precor, gratiam efficacem mihi largiaris, cavendi committenda imposterum, &

## Nonis Febr. 5. ejuſdem.

### *B. Imelda V.*

UTi, ex communi diverbio, malitia haud rarò ætatem ſupplet in homine; ita ex adverſo gratia divina non infrequenter naturam prævertit. Gertrudis quarta ad ſepta Religioſa advolat, ut Sponſo cœleſti jam tum nuberet. Thereſia in primis mox annis indicia ſparſit ſeraphici illius ardoris, quo jam maturior conflagratura erat. Roſa Limana à quinto ætatis anno pudorem ſuum Chriſto per votum emiſſum ſacravit. Eadem gratia hodie eluxit in B. Imelda; quæ ordinis Dominicani alumna quidem, ad tyrocinium tamen Religioſum nondum admiſſa, utpote undecenni haud major, indicibili tamen erga Deum euchariſticum, in ſacra communione ſumendum, exæſtuabat deſiderio; quod à confeſſario, acceſſum ad menſam divinam adhucdum negante, ampliùs ſuccendebatur: Quoties itaque Sorores ſacro frui epulo cerneret, ſanctâ quâdam invidiâ, & amoris vi in lacrymas ſolvebatur: quibus affectibus cùm aliquando liberiùs indulget, & Dilecto amorosè objicit, ſortem tam beatam uni ſibi præripi; de repente quædam è ſacris particulis per aëra ad caput ſanctæ Virginis ſe tranſtulit, ſpectantibusque ſanam dedit, opinandi, velle Deum, ut ſacrum pignus tenellæ ſumendum præberetur. Id dum Confeſſarius reverenter exequitur, tanto devotionis ſenſu Sponſum amplexata eſt Virgo innocentiſſima; ut cor tenerum, amoris vio-

violentiâ diruptum, viam aperuerit animæ beatæ, ad æternos Christi amplexus rectà abeunti (a)

O Essentia essentiæ meæ, deficit in salutare tuum anima mea; præ lacrymis quoque deficiunt oculi mei, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? quando veniam, & coram te apparebo? quando me consolaberis adventu tuo. O vita vitæ meæ, amor meus, JEsu mi, torrens blande, incendium absque defectu, viscera misericordiæ, ardor, ex divini cordis medulla prorumpens; siccinè consumis, ut in cinerem redigatur caro; anima verò, igne amoris divini succensa, ad te abeat, & in te æternùm ardeat? Tu vera ac tutissima animæ via, JEsu dilectissime, aperi mihi ingressum in amantissimum cor tuum. Tu, qui omne bonum meum, omnesque divitias continès, veni, & optatissimâ præsentiâ tuâ me solare: Introduc animam meam in cellam vinariam tuam; eique, amore tui languenti, propina de vino tuo, quod omni redundat dulcedine, ac Spiritu tuo sancto reficit gustantes; Confige animam meam telo amoris tui, uti Theresiam Sponsam charissimam quondam sauciâsti; sit amor tuus animæ meæ mortis loco, quâ vinculis corporis exoluta, vitam æternam subingrediatur; quia

*Fortis est, ut mors, dilectio.*



(a) *Chron. Dominic.*

viij. Idus Febr. 6. ejuſdem.

*Prodigium S. Hoſtiæ.*

EXtant (a) Paſſavij monumenta ejus, quod hodiernâ contigit; dum Hebræus quidam Hoſtiam conſecratam, quam à ſacrilego quodam Sacerdote coëmerat, pugione appetijt quidem, ſed lædere nihil potuit; quoad ore ſceleſtiſſimo illam compellans, *ſi* DEUS, inquit, *Chriſtianorum es, talem jam te oſtende.* Tunc enim ſacra illa particula, in tres alias diviſa, magnam ſanguinis copiam effudit; quo tamen prodigio nihil motus homo nefarius, binas è dictis particulis, alijs ſectæ ejuſdem nebulonibus tradit; tertiam ipſe ſervat; & ſanguinem cultro rurſus elicit. Inde ſacrum Pignus per aquam probaturus, & ignem, in flumen primò abjicit; ſed uti quondam Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas; ita hîc ſacra Hoſtia ſupernatat: inde igitur eductam, ac farinæ ſubactæ miſtam, furno ſuccenſo immittit ſacrilegus; ſed is mox ingenti ſplendore colluſtratur; & pars illa panis, quæ ſacrum Pignus continebat, in faciem hominis impjiſſimi profilijt; qui reus factus corporis & ſanguinis Dominici, pœnas debitas exigente Magiſtratu, candentibus primùm forcipibus diſcerptus, inde ignibus meritiſſimis exuſtus fuit.

Pa-

(a) *In ea Urbis parte, quæ vulgò* die Ilzſtadt *dicitur, in Eccleſia etiamnum viſuntur lapis, ſanguine conſperſus, furnus &c.*

tiens es, & multùm miſericors, bone JEſu:
e dirupiſti cœlos tuos, qui ignibus ſuis nefa-
olecterent, nec terram, quæ eoſdem vivos
laret; nec manum arefeciſti ſacrilegam, pa-
iſſimè ſuſtinens: dum non hoſtes ſolùm tui,
rui, ſed & peccatores Sacerdotes gladium in
ingunt. Id hos agere docuiſti S. Margaritam
ortona Hetruſcam, & B. Angelam de Fulginio,
ui ſpectandum te præbuiſti corpore diſciſſo, &
re perfuſo, aſſerens, ita te à malis ſacerdoti-
, & ſacrilegis ſacrorum tuorum miniſtris ha-
. O me ſceleratum, Hebræo illo nihil me-
m, qui Filium Dei conculcavi, ſanguinem te-
enti pollutum duxi, ac Spiritui ſancto contu-
iam irrogavi! Nónne ſimilis ſum Philiſtæis,
Dagonem erigo, & Arcam Dei ad pedes ejus
oco? (a) Inimicus Dei factus, non poteſtate læ-
di, ſed voluntate reſiſtendi, juxta illud: *vos
ut Spiritui ſancto reſiſtitis.* Quid verò mihi, &
ſimilibus jam ſupereſt, niſi interitus? Veneran-
enim Dei-Hominis vulnera æterna nobis futura
incendia. Pro univerſis exceſſibus, ac de-
ibus meis, ecce hoſtiam offero, omnium tibi
eptiſſimam; reſpice, pijſſime Pater in faciem
ſti tui, qui obediens tibi extitit usque ad mor-
, ut à morte æterna me aſſereret. Hujus gra-
, hujus amore, hujus meritis dimitte mihi,
dquid mali, quidquid ſacrilegi contra te admiſi:
enim dixiſti:

*Nolo mortem peccatoris.*



(a) *Auguſt. lib. 12, de Civit Dei.*

vij. Id. Febr. 7. ejuſdem.

## *S. Romualdus Abbas.*

MOnachorum, eremum incolentium, Pater celebratiſſimus, S. Romualdus, religioſos filios per ſcalam, in cœlum usque protenſam, eò ſubire conſpexit. Dum ſacris operaretur, pijs affectibus adeò laxabat habenas, ut in lacrymas totus abiret, prohibitus inde, in aliorum oculis celebrare. Aliquando accuſatus per calumniam, ab ara ſuſpenſus fuit ſemeſtri integro; quo exacto, dum tremendum Myſterium primò peragit, ad ſecundam collectam raptus in ecſtaſin, mira intellexit, cœlitòs ſibi oſtenſa.

Non devotionis, ſed pœnitentiæ causâ ſacrum Altare lacrymis perpluere ego deberem. (*a*) Nam carnes Agni cum lactucis agreſtibus ſunt comedendæ; ut, dum Corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis noſtris in fletibus affligamus; quatenus ipſa amaritudo pœnitentiæ abſtergat à mentis ſtomacho perverſæ humorem vitæ. Tum revera dicere cum Davide poſſem: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non cuſtodierunt legem tuam.* Suſpenſus fuit à ſacro Altaris miniſterio D. Romualdus, ſed abſque culpa ſua; ô quoties idem meruiſſem ego, dignus ob offenſas plurimas, in quem fulmen inetur horrificum illud Prophetæ: *Tollatur impius, ne videat gloriam DEI.*

(*a*) Cle-

(*a*) *Gregor. in ſerm. de paſch.*

(a) Clericis ſuis præceperat Epiſcoporum nonnemo, ut, quoties Moyſes (magnus ille Dei ſervus, natione & colore Æthiops) accederet, ad aram miniſtraturus, repellerent eundem hoc dicterio: *Exi foras, Æthiops;* idque fine non alio, quàm ut ſummam ſancti illius viri humilitatem omnibus patefaceret. Quod & factum: nam indignum ſe officio tam ſublimi profeſſus, poſitis humi genibus aſtantium preces pro ſe expetebat. Non ad probandam virtutem meam, ſed ad oſtendendum demeritum, rejici ego poſſem verbis illis: *Exi foras, Æthiops;* anima quippe mea Æthiopem nigredine, ac deformitate longè ſuperat. Sed ſcio, Domine, quòd eum, qui venit ad te, foras non ejicias; ſed potiùs intrare compellas ad ſacrum convivium tuum: inde fiducialiter accedam, & non timebo. Quodſi Æthiops mutare pellem ſuam nequeat; tu tamen, Domine, potes mundum facere de immundo conceptum ſemine; tu peccatorem juſtificare, nigerrimum me ſuper nivem dealbare cum ijs, *qui laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni;* ſanguis enim tuus ſacratiſſimus

*Lavacrum eſt animæ.*

## vi. Id. Febr. 8. ejuſdem.

### *S. Joannes de Matha. Confeſ.*

SAnctus hic Author Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis, de Redemptione captivorum, Sacerdotio initiari aliquamdiu renuit; ſed ad id compulſus

I 5 eſt

(a) *Sur. hodie.*

eſt ab Archiepiſcopo Pariſienſi; cúmque ad eum ſacrum Ordinem ex præſcripto Eccleſiæ promoveretur, apparuit ſuper caput ipſius Globus igneus, qui inde in columnam ejuſdem ſpeciei, à capite aſſurgentem in aëra, mutatus eſt: Primam hoſtiam Deo cùm offerret, futuram Ordinis, initiò tacti, inſtitutionem, cælitus ſibi oſtenſam cognovit.

Quoties ad aram facio; flammæ amoris è corde meo prorumpere, & ad cœlos usque penetrare deberent. Sed aridum me! Querebatur olim Vates regius: *aruit cor meum*; cauſámque ſubtexit: *quia oblitus ſum comedere panem meum.* Non ex oblivione panis, & quidem ter ſacroſancti, cor meum exareſcit: quotidie ad eum ſumendum accedo; addo ſanguinis divini poculum; & tamen igni huic cæleſti proximus, imò deglutiens eundem, non calefio, defectu ſe tenente non ex parte panis, qui nutrit, & calefacit, ſed deſidiæ meæ, ac ſegnitiei. Propterea jure optimo ingemiſcam cum Davide: aruit cor meum; quia oblitus ſum comedere panem meum: nempe ex ſola accedens conſuetudine, non perpendo, quid agam. Accedo cum torpore, oblitus omnino, me Chriſti perſonam in terris ſuſtinere. Preces liturgicas, ut alias communes, recito, nil attendens, quantum myſterium peragam. Mentem non adverto, dum ſacratiſſima conſecrationis verba pronuntio, oblitus Dei mei, quem manibus teneo. Confitebor itaque adverſum me injuſtitiam meam Domino; & dicam cum Pſalmographo: aruit cor meum, quia oblitus ſum perpendere, quid agam, dum come-

ıedo panem meum. Tu, Domine, qui ve-
ad me; diverte apud me, ſicuti divertiſti in
ıo Zachæi, quem ad te converſum, ut fi-
ı Abrahæ complexus es: eâdem miſeratione
ıum cordis mei ſubiens, eam tibi conſecra,
ropriam: gratiſſimum tibi apparâſti habitacu-
in corde dilectæ, & præ millibus electæ Ger-
is, (a) ita ut pro eo tempore vix alibi, niſi
ıguſtiſſimo Euchariſtiæ myſterio, & in corde
ſanctæ virginis inveniendus fuiſſes: præpara,
ſo, & in meo corde ſedem; tibi placitam,
ttet enim te in domo mea manere, quam in
o Miſſæ ſacrificio ſubire quotidie dignaris.
nento mei, quemádmodum meminiſti Matt-
, & Sauli; dum illum vocâſti à telonio, hunc
ıſectatione Eccleſiæ tuæ retraxiſti. Memento
, ſicut meminiſti Petri & Magdalenæ; dum
mque pœnitentem complexus es; ſicuti deni-
meminiſti latronis, in cruce quamvis ſerò,
ı tamen reſipiſcentis, totque aliorum in veteri,
ova lege, quos ad ſinum miſericordiæ tuæ pa-
ò admiſiſti. Reſpice in me etiam, & miſerere
; ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſpe-
em in te; Adeſto mihi in quavis tentatione,
ii turbatione, corporis anguſtijs; memento
in omni afflictione, in ærumnis quibusvis,
ericulis: hæc ubi me obruerint,

*Memor eſto ſervi tui.*

v. Id.

---

a) *Ex Revel. S. Mechtild.*

## v. Id. Febr. 9. ejuſdem.

### *S. Apollonia Virgo & Martyr.*

OCtavum hodie diem agimus, quòd conſpicuus venerandâ canitie Simeon in Spiritu venerit in Templum; & Virginei Conjuges Filium divinum Patri æterno obtulerint. Neque mirum, promeruiſſe ſanctum ſenem, agnoſcere, amplecti ac revereri ſalutare Dei; ſiquidem, ut innuimus, in Spiritu venerit in Templum.

O utego etiam in Spiritu veniam, & adorem Dominum in Templo ſancto ſuo! Ductor ſit mihi Spiritus ſanctus; hic me deducat, & adducat in montem ſanctum Dei, & in tabernacula ejus. Nunquid enim Altare Dei, ad quod introibo, mons eſt? Nunquid in monte hoc Patres noſtri adoraverunt? (a) Nempe Spiritus eſt Deus; & eos, qui adorant, in Spiritu & veritate oportet adorare. Sacrificium magnum, imò maximum oblatum fuit olim in Monte Calvariæ; Sacrificium, quod univerſa totius mundi peccata abſtulit, quod ſalutem contulit nobis, quod aperuit cœlum, & dœmonem alligavit. Idem porro offertur quotidie in ara, velut monte ſancto, ſolâ quoad modum differentiâ, quòd videlicet jam ſit incruentum. Illud in cruce exaltabant tortores, adinſtar ſerpentis ænei, ex cujus aſpectu percuſſi ſanarentur; hoc in ara elevatur à Sacerdote, ut, qui id adorant, à languoribus ſuis ſanentur.

Nun-

(a) *Joan.* 4.

Nunquid mons est Altare, in quo DEUS adoratur?

Gratias tibi ago, JEsu pijssime, Sponsa candide, & rubicunde, quòd sub candidissima panis specie corpus tuum, & sanguinem nobis reliquens, velut rubicundæ passionis tuæ memoriale. Quid, oro, retribuam pro omnibus, quæ retribuisti mihi? si me ipsum, quantuluscunque sum, totum tibi consigno; nihil dedi. Tradidit semetipsam amore tui sanctaApollonia Partheno-Martyr; & ne te perderet, dentes sibi excuti passa est: tradidit semetipsam; & ne in amore tuo tepesceret, in rogum ardentem ultrò se injecit; vitam ipsam pro te exposuit, ut in te æternum viveret. Tales videlicet gratæ tibi sunt hostiæ, victimæ tales arridenti. At in me nil est, quod placeat; si enim neque laus sola, speciosa est in ore peccatoris; quid erit in manibus ejusdem sacrificium, quod offerre intendit? Ecce, Domine, substituo aliquid, quod acceptum tibi sit, suppleatque defectum meum, divinum nempe amorem tuum, qui te pro salute mea usque ad mortem crucis deduxit, & adduxit ad montem sanctum tuum; ad montem, quem passione ac morte tuâ sanctificâsti. Divinum, inquam, amorem tuum substituo; qui, ut miselias animas nostras reficeres, in angustias specierum sacramentalium coëgit immensitatem tuam; qui, ut servares nos, te impulit, ut parares nobis mensam adversus omnes, qui tribulant nos. Intensissimus iste amor tuus gratias tibi agat pro ineffabili beneficio redemptionis, ac conservationis;

tionis; id quod maximè præstas per hoc Sacramentum vivificum,

*Hostia in Altari placabilis.*

## iv. Id. Febr. 10. ejusdem.

### *S. Guilielmus Eremita.*

E Duce Aquitaniæ eremi incola, è scelerum colluvie pœnitentiæ exemplar factus est S. Guilielmus. Nónne hæc mutatio dexteræ excelsi? Nempe qui fecit potentiam in brachio suo, eandem exeruit in corpore suo; quod, speciebus eucharisticis contectum, manu præferens D. Bernardus, adeo Ducem, ad omnia inflexibilem antea, & in malo pertinacem, terruit, ut in terram abjectus, tremens ac pavidus promitteret, imperata se facturum; id quod non segniùs deinde executus fuit, ac promiserat.

Teneo & ego quotidie in manibus meis Deum, qui potens est, & sanctum nomen ejus; neque tamen contremisco, quamvis fide certus, in manus ejusdem brevi me tradendum. Jam submittere se manibus meis dignatur: (*a*) nisi enim humilis esset, non manducaretur, neque biberetur; dum post pauculos forsan dies anima mea manibus ipsius consignabitur. Et si horrendum est, incidere in manus Dei viventis; me miserum, & omni misericordiâ prorsus indignum; si justus vix salvabitur; ego peccator ubi parebo? Optime JEsu, ne intres, quæso, in judicium cum servo tuo, quo-

(*a*) *Augustin.*

quousque per merita tua plenè tibi reconcilier, ac dignos pœnitentiæ fructus faciam. Divine Judex, priusquam decretoriam in me proferas ſententiam, aſpice prius manus tuas, in quibus deſcripſiſti me; aſpice in pedibus ſacratiſſimis fixuram clavorum; mitte manum tuam in latus tuum; & miſericordiæ recordaberis. Ideo ſiquidem, patent vulnera tua, ut dimittantur ſcelera noſtra. Cor meum, & caro mea prævaricando ad iram te provocaverunt; cor tuum, & caro tua, acerbiſſimè pro me ſauciata in paſſione, ad clementiam te inflectent. Tu tot & tanta pro me ſuſtinuiſti, ac in eorum memoriam tremendum Euchariſtiæ Myſterium inſtituiſti; largire igitur gratiam, ut memoriâ memor ſim illorum, & tabeſcat in me anima mea ad præſentiam tuam, qui potentes humilias, & ad terram proſternis. Intende mihi, piiſſime Servator, eâ teneritudine, quâ filij ſui Mater recordatur; ſiquidem in manibus tuis me deſcripſiſti. Effice demum, ne ullo unquam peccato te deſeram, ac proinde merear, à te viciſſim derelinqui: tu enim neminem deſeris, à quo antea non fueris deſertus,

*Miſericors, & miſerator Dominus.*

---

## iij. Id. Febr. 11. ejuſdem,

### *BB. Fridericus & Ludanus.*

SAncti non deſunt, ſi fides in Deum, & fiducia non deficiant. Patet id gemino exemplo in beatis Friderico & Ludano, qui diem ſuum hodie feli-

feliciter objerunt. (a) Prior natale ſolum habuit Ratisbonam, Bavariæ olim Metropolim: inter Divi Auguſtini filios adlectus, litterarum quidem rudis, peritiſſimus tamen rerum divinarum, ſatis oſtendit, magis probari Deo ſimplicem obedientiam, curam pauperum, ac mores illibatos, quàm variam, & exquiſitam ſcientiam. Occurrerat aliquando Priori ſuo, panes ferens, quos famelicis, ad fores Monaſterij expectantibus diſtribueret; ſed rogatus, quid geſtaret, cædua ligni ſchidia è ſinu protulit, in quæ miraculo abjerant panes; quos inde ad priſtinam reverſos ſpeciem, petentibus dedit. In cella vinaria, dum extracto epiſtomio, intraque cingulum condito, vinum in vas ſubjectum demitteret; à cænobiarcha vocatus advolat; quin vel guttula liquoris interim per canalem patulum defluxerit. Occupatum in lignili, ingeus Cibi euchariſtici inceſſerat deſiderium; dum interea notat ſacer Myſta, hoſtiæ conſecratæ particulam ſibi deeſſe; quam ſcilicet cælitum nonnemo detulerat Friderico. Ita nempe ſimplices & indocti rapiunt cœlum; dum nos doctrinâ noſtrâ mergimur ad infernum

Ludanus Ducis Scotorum filius, terram cœlo poſtponens, peregrini habitu loca ſacra obivit, quoad ſubito, eoque lethali morbo corriperetur: itaque ſub diu cubans, elatis in cœlum oculis rogavit Deum, ſupremi morientium viatici copiam ſibi fieri. Et ecce, adeſt Angelus, qui ſacrum Pignus Ludano porrexit; quo ſumpto, vinculis cor-

(a) *Rader in Bav. S.*

corporis ſolutus, regiam cœeleſtem adivit. Non itaque deſunt ſancti, ſi fides in Deum, ac fiducia non deficiant.

Inſiſtam itaque horum ſanctorum veſtigijs, & affectu ardentiſſimo Panem euchariſticum deſiderabo cum Friderico; ita ut unus mihi ſit dolor, hâc eſcâ privari, cum Ludano autem loca ſacra, & DEI Eccleſias frequentabo, regem Regum, & Dominum dominantium ibidem ſub panis ſpecie adoraturus. Nulla erit Eccleſia, locus ſacer nullus, quem pertranſiens non inviſam, Deumque omnipotentem in Sanctis ſuis collaudem. Juſſi fuerant Hebræi Agnum paſchalem comedere feſtinanter, tenentes baculos in manibus; ut meminerimus, peregrinos nos eſſe in hoc mundo, ac petere Jeroſolymam cœleſtem, uti illi terram promiſſionis adibant. Volat tempus, non rediturum, tacitisque ſeneſcimus annis; neque momentum labitur, quo ad finem non properemus. Ut proinde viam univerſæ carnis feliciter decurramus, agnum immaculatum viatici loco ſæpe manducemus. Quò autem hinc egreſſo, domum æternitatis beatæ ſubintrare tutò liceat; Angelum cuſtodem meum ſupplex rogo, non quidem ipſe mihi miniſtret ſacrum viaticum (quâ gratiâ indigniſſimum me profiteor) ſuâ tamen vigili curâ efficiat, ne abſque eodem hinc decedam. Attulit Eliæ panem Angelus, monuitque: *Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via*: idem mihi obſequium exhibe, cuſtos fidiſſime, quando via illa longiſſima, ſummi momenti ac periculi, & à qua ſalus mea pendet,

det, adeunda mihi erit; ut in fortitudine cibi istius pertingam ad montem DEI, Horeb, ibique

*Videam Dominum facie ad faciem.*

## Pridie Id. Febr. 12. ejusdem.

### *S. Benedictus Abbas.*

NArbonæ in Gallia Abbatiali fulgebat honore S. Benedictus, à devotione præprimis, & attentione in sacro Altaris ministerio commendandus. Sacram Hostiam quum sumeret, tantam lacrymarum vim profundebat, ut guttæ defluentes terram madefacerent.

Quanta distantia hominis miseri à Deo suo? ille cœlos inhabitat; nos lacrymarum vallem perrepimus; & utinam imo ex corde ingemiscere cum Propheta possem, & dicere: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! quis liberabit me de corpore mortis hujus?* Tum *volabo; & requiescam.* Sint mihi lacrymæ die, ac nocte; (a) ut manducando lacrymas, plus sitiam fontem aquarum. Sed quando dicitur mihi: ubi est Deus tuus? audio responsum: Dominus in templo sancto suo; Dominus, in cœlo sedes ejus. In mundo hoc templa peculiari ratione incolit Deus; uti in mundo altero cœlos inhabitat, ceu solium gloriæ suæ: in hoc mundo sub candidissima panis specie velatus; in altero spectabilis facie ad faciem;

cibus

(a) *Augustin.*

cibus & potus viatorum eſurientium hîc ; ibi perpetua ſatietas beatorum : hîc promittens vitam æternam , ibi eandem largiens : utrobiqúe is , in quo vivimus , movemur , & ſumus. Ita videlicet honoratur , quemcunque rex voluerit honorare ; ut vitam in ipſo habeant , & abundantiùs habeant , qui vitam ſuam vel profuderunt pro ipſo , vel vitâ crucifixâ in vita hac vixerunt. Suam hodie Chriſti amore Barcinone profudit (a) S. Eulalia, annorum quatuordecim juvencula , eo tamen animi robore , ut Daciano Præſidi ſuam in Chriſtianos barbariem liberrimè exprobrârit. Flagris inde dirum in modum conſciſſa , excruciata in equuleo , poſt toleratas ungulas , flammam , calcem vivam , cruci affixa eſt , atque Redemptori ſuo immortua : ejus anima columbæ ſpecie ad cœlos evolare viſa eſt , ut in Deo viveret , & abundantiùs viveret. Sic honorabitur , quemcunque rex voluerit honorare. Corpus ſanctæ Partheno-Martyris nive contectum prodigiosè fuit , ſymbolo nempe virginei pudoris. Mira per eam Deus hodieque patrat ; cùm ipſa miraculum extiterit ætatis , fortitudinis , & pietatis. Lampas , ad tumulum illuſtris hetoïnæ ſuſpenſa , numquam emoritur , oleo equidem deficiente ; & cuſtos Eccleſiæ pulſu prodigioſo excitatur : ut pateat , Virginem hanc fuiſſe unam ex prudentibus ; & ad Sponſi adventum pervigilâſſe. Sic honorabitur , quemcunque Rex voluerit honorare. Sint itaque mihi lacrymæ die ac nocte , quousque veniam , & ap-



(a) *Scr. hodie.*

paream ante faciem Dei mei. (a) Patriam noſtram paradiſum computamus; amplectamur diem, qui aſſignet ſingulos domicilio ſuo; qui nos, iſthinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exolutos, paradiſo incorporet, & regno cœleſti. Quantus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, quàm copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſolicita. O quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; præ deſiderio concupiſcit, & deficit anima mea! ô

*Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini!*

## Idibus Febr. 13. ejuſdem.

### *S. Licinius Epiſcopus.*

TOto in id conatu incumbit hoſtis ſtygius, ut animum devotum tempore orationis, liturgicæ præprimis ad aram, in diverſa trahat, & affectum imminuat erga auguſtiſſimum Sacramentum. (b) Ita egit, divo Licinio, Andegavenſium, al. Turonenſium Antiſtite, ſacris operante: fæminam quippe inſidens, adſtantes jam ad riſum, jam ad terrorem, deniqúe ad fugam è templo impulit. Id notans ſanctus Præſul, à ſacro deſtitit, quoad hoſpitem tartareum ſede, quam occupârat, Dei ope expuliſſet. cœptum inde myſterium ad finem usque maximâ populi devotione proſecutus.

Quàm verè dixit os aureum, diabolum eos, qui divina myſteria pio ac reverenti animo pertractant,

(a) S. Cyp. in act. ſſ. om. 2. Nott. (b) Bolland. act. ſſ. hac die.

ctant, pertimeſcere. Hi, ſi dæmonem è corporibus aliorum non pellunt; à ſuo certè arcent, ut accedere ſuggeſtionibus ſuis non præſumat. Sanctum Martinianum (a) eremicolam adortus per mulierem laſcivam, ſtatione penè dejeciſſet; niſi is ignes ignibus ſuperâſſet: in ignem quippé accenſum inſiliens, age, inquit, experire, an rogos inferorum ferre poſſis; & tum peccare lubeat. Neque tamen quievit hoſtis ſtygius; ſiquidem dum Martinianus, charybdin vitaturus in terra, rupem quamdam in oceano prominentem, ſibi incolendam deligit, in Scyllam incidit, eò enim delata naufraga puella optimi vultûs, vix non ignes denuò ſuccendit in ſancto pugile; hos itaque aquis ſuffocaturus, mari ſeſe credidit. Sed qui olim cetum Jonæ, delphinem ſubmiſit Martiniano, qui tuto eum loco expoſuit. Ita virtus ubique periclitatur. Et tuta ſit inter delicias & voluptates? Pijſſime Deus, largire & mihi poteſtatem, dæmonem è corpore, ſenſibus, corde ac mente expellendi. Non ceſſat nequiſſimus, vanis me ad aram imaginibus turbare, diſtrahere objectis indecentibus, ſicque animum à divinis avertere. Quoties faces pravæ concupiſcentiæ ſubjicit? Quod proinde vires meæ nequeunt, tu potentiâ tuâ divinâ effice; fulgura coruſcationem tuam, & diſſipabis aſtus malignos; emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos. Unde autem hæ proſilient validiùs, quàm ex auguſtiſſimo corpore tuo; à quo jam olim virtus exibat, & ſanabat omnes, oppreſſos à diabo-



(a) *Sur. hodie.*

lo: ſana ergo me, Domine; & ſanabor; ſalvum me fac; & ſalvus ero; tu enim

*Salvas ſperantes in te, Domine.*

## xvj. Cal. Mart. 14. Februarij.

### *S. Sigefridus Epiſcopus.*

SIgna infidelibus dari, ex mente Magni Gregorij, non fidelibus, in D. Eduardo Rege comprobatur. Is, invitatus ad audiendam Miſſam pij cujuspiam Sacerdotis, viſurus ſub elevatis ſpeciebus puellum ſpecioſiſſimum, magno animo repoſuit, accederent, qui de myſterio tanto ambigerent; ſibi unam fidem ſufficere. Ex adverſo cùm Olaus rex præſentiam Chriſti in ſacra Hoſtia nullatenus credere vellet; quidquid ad illam adſtruendam proponeret B. Sigefridus; prodigio opus fuit; quo ad ſancti Præſulis orationem ſecuto, cùm puſionem amabiliſſimum in ſacroſanctæ Euchariſtiæ elevatione cernerent tum alij multi, tum ipſe Rex Olaus; victas tandem fidei manus dedit.

Apparet plerúmque Deus-Homo, dum ſe in ſacro Altaris myſterio viſibiliter exhibet ſpectandum, ſub ſchemate pueruli; quamvis aliâ etiam formâ, & fortè ad noſtrum conſiderandi modum magis appoſitâ, ſiſtere ſe poſſet. Cùm enim Sacramentum hoc paſſionis Dominicæ ſit memoriale; forma Chriſti patientis accommoda magis videtur.

Sed innocentiæ forſan typum exhibere conſtituit Servator noſter ſub ſpecie infantuli: in hujus quippe naturam redeuntibus cœlorum regnum promiſit;

ſit; ut, ſicut ille puriſſimus eſt, innocens, impollutus, & ſegregatus à peccatoribus; ita nos quoque puritate ac innocentiâ efficiamur parvuli, ſi intrare in regnum cœlorum, & Chriſtum, certiſſimum hujus pignus, ſuſcipere cum fructu cupiamus. Revertendum igitur ad ſimplicitatem parvulorum; ut in ea collocati, ſpeciem humilitatis dominicæ circumferamus.

O JEſu, in quo omnis cœlorum pulcritudo, omnis decor Angelorum, omnis beatorum ſpecioſitas, creaturarum omnium tota formoſitas eminentiâ infinities perfectiori continetur, ac tota Divinitatis plenitudo corporaliter inhabitat; en ardore maximo ad te venire cupio, animitus gaudens, me, utut ſummè deformem, ſpecioſiſſimum te Dei, ac Matris-Virginis Filium in me habere; cujus formâ gratiſſimâ, ac eximiâ pulcritudine monſtroſitas mea, ac deformitas aufertur. Da mihi, deſiderabiliſſime JEſu, ſub ſpecie puelli gratioſiſſimi gratiam tuam, quâ fervidiſſimo mentis impulſu curram ad te; curram poſt te; ſim licèt indignus, ac immundus; tu, puſio formoſiſſime, reclinari voluiſti in ſtabulo Bethlehemitico, non adeò mundo à ſordibus, ab omni tamen iniquitate longè ſemoto. Cor meum ſtabulum eſt, mundum in ſe, immundiſſimum tamen ex me. Illius aſpectu, utut paupere, nullatenus fuiſti offenſus: diſplicet tamen in me aſpectus tot monſtrorum. Doleo inde, optime Deus; & utinam illud ipſum cor doloris vehementiâ in mille partes ſcinderetur; ô ſi lacrymæ ſanguineæ perenni ſcatu-

rigine ex oculis defluerent; Doleo, quòd tam indignè hactenus divinum Infantulum ſuſceperim, collocaverim, tractaverim; ignoſce, Deus miſericordiarum; ignoſce, & parce ſupplici; ne reminiſcaris delicta mea, quæ admiſi hucúsque; cavebo, ne denuò ea admittam, teque offendam

*Unicum Bonum meum, Deus meus.*

---

## xv. Cal. Mart. 15. Februarij.

### *S. Jordanus, Ord. Prad. Magiſter Gener.*

ORdini S. Dominici tertius cum ſumma poteſtate præerat S. Jordanus. Is à fratre quodam ſui Ordinis, quem à morbo ſontico divinâ virtute liberaverat, novaculâ in gutture ac manu utrâque graviſſimè ſauciatus, cùm triduo poſtea ſacrum ſanguinem ſumſiſſet in Miſſa; vino, quo calix ablui conſuevit, vulnera contingens, momento ſanavit.

*Quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus?*
Quos anguis dirus triſti mulcedine pavit;
Hos ſanguis mirus Chriſti dulcedine lavit.

Itaque ſi ablutio vini, aquâ mixti in calice, vim habuit medendi vulneribus carnis; quâ non pollebit virtute ipſe ſanguis Dominicus in cicatricibus animæ obducendis? O vulnera JEſu mei, cunctis aſtris ſplendidiora, ſalvete; ſanate, mundate, purgate, ſanctificate animam meam per Omnipotentiam Patris, per Sapientiam Filij, & per Spiritûs Bonitatem. Vos monumenta charita-

ritatis, obedientiæ teſſeræ, ſolatia fidelium, redemptionis noſtræ pretia, pignora gloriæ futuræ. Vos fortitudo Martyrum, Confeſſorum patientia, gloria Virginum, gaudium omnium Sanctorum. Vos Angelorum deliciæ, ſplendida cœli ſidera, aſylum peccatorum, pœnitentium refugium, ſpes mea, ſolatium ac requies animæ meæ.

Cœli, terra, & creata quævis, veniam date juſtiſſimo dolori meo, quem adeò optarem intendi, ut tota rerum universitas in lacrymas mecum abiret. JEſus, bonorum omnium ſcaturigo, velut malorum omnium author proclamatur, capitur, percutitur, flagellis ac ſpinis diriſſimè laceratur, cruci denique duobus latronibus medius affigitur ac trucidatur: Dominus virtutum, & Rex gloriæ, ut ſcelerum omnium colluvies, cenſuræ, ac judicio iniquiſſimo ſubditus, ad mortem damnatur: Pater optimus, ut nequiſſimum mancipium, in furcam agitur, magnâ ſpectantium offenſione. Amantiſſime Servator, tot libare juvat oſcula ſacratiſſimis vulneribus tuis, quot pro me pati in corpore tuo dignatus es; ſint ea medicamen ſaluberrimum vulnerum meorum; ſint antidotum contra venenum ſtygij draconis; uti fuêre robur Martyrum, Virginum tutamen, & patientia Confeſſorum.

SS. Fauſtinus presbyter, & Jovita Diaconus, ut ſanguine, ita etiam ſpiritu ac fortitudine germani, per complures Italiæ urbes circumducti, acerbiſſima quævis ſupplicia invicto animo tolerâunt; in ignem modò injecti, jam objecti feris,

illæsi tamen utrobique servati sunt, concinentes inter tormenta, in carcere Eucharistiam ministrantes fidelibus, Angelorum ipsi ministerio usi.

Orate pro me, sancti Martyres, ut verâ devotione, ardenti amore, totóque cordis affectu & fervore Dominum Angelorum recipiam; ac proinde Angelorum dignus habear consortio, & *Redemptionis fructum sentiam.*

## xiv. Cal. Mart. 16. Februarij.

### *S. Juliana Virgo & Martyr.*

EXpendens causam (a) D. Ambrosius, cur Petrus, Christum aquis inambulantem cernens cum alijs condiscipulis, in aquas se projecerit, quò citiùs illi propinquaret; ait, serum eum æstimâsse, si cum cæteris ad eum remigio veniret: tantum erat desiderium Petri amantis.

Quàm magna sit multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te; quàm ardens horum desiderium, sub speciebus sacris te devotè suscipiendi; patet in Venerabili Isabella Gomezia, Religiosa sancti Dominici filia: Siquidem Hostia sacra non semel è manu Sacerdotis dilapsa, ad os ipsius properavit, quò fervidissimis ejus votis satisfieret, serum æstimantis, si sacrum epulum per manus Sacerdotis ad se veniret.

Os meum aperui, & attraxi Spiritum, inquiebat olim Psaltes regius; utinam & ego attraherem Spiritum Dei, dum os meum aperio quotidie,

(a) *In Evang.*

die, Dominum meum ſuſcepturus. Caro Chriſti, vita eſt: niſi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Vita autem quid eſt, niſi Spiritus? Cur ergo, quamvis indies attraham Spiritum, non tamen vivo? (a) quia in deſiderio animæ meæ non attraxi ventum amoris divini; affixus & infixus ſum limo terræ; ad ſuperna dum laboro emergere, denuò retrahor: inde vivo non Spiritu Dei, ſed ſpiritu carnis, pravis conſuetudinibus captus, ligatus & irretitus. Miſerum me, & infelicem! à planta pedis usque ad verticem non eſt in me ſanitas, ſeu carnem ſpectem, ſeu animam; ſiquidem iniquitates meæ gravatæ ſunt ſuper me, & ſupergreſſæ caput meum. Cur gladium contra me hoſtem ac perduellem, non ſtringis, vindex Deus; cùm honorem, majeſtate tuæ debitum, læſerim; Filium tuum conculcaverim; & bona ac talenta, mihi credita, prodegerim ac diſſipârim? Quoties metui terrâ dehiſcente abſorberi, vivusque ad inferos demergi, rogo illo funeſto millies promeritus cruciari? Equidem prætexo fomitem peccati, ad malum me inflectentem; culpam refundo in violentiam tentationum; incuſo illicia occaſionum; at nónne Sancti & Electi omnes tentati, exagitati, ac tribulati *vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones?* Vicit beata (b) Juliana Eleuſium; quem, quia amatorem dedignata eſt, experta eſt carnificem. Ad rogum damnata, lacrymis ignes reſtinxit: lebetem, a-

quis

(a) *Auguſtin. in ſolil.* (b) *Sur. hodie.*

quis ebullientem fervidiſſimis precibus rupit: dæmonem ipſum, in Angelum lucis transfiguratum, quòd minùs honeſta ſuaderet, ex cantu avem noſcens, vinculis alligavit, ac diriſſimè cecidit; ut diſceremus, ſuggeſtiones rejicere, ſi vincere ſuggerentem velimus. Virtutem Julianæ æmulatus non eſt (a) Sapritius, concepti contra Nicephorum odij tenaciſſimus: ſtetit equidem in tormentis infractus; & cervicem pro fide dare non dubitavit: ſed quia veniam dare ſupplici Nicephoro pertinaciter abnuit; deſertus à gratia divina, fidem, corollam Martyrij, & animam perdidit, Nicephoro, ſuccedaneæ victimæ inſtar, caput enſi ſubjiciente.

Pater æterne, peccavi in cælum, & coram te; doleo verò, & tantum cupio dolere, quantum, ut doleam, ipſe deſideras; quòd offenderim te, Deum meum Patrem tam bonum, tam pium, tantâ me charitate complectentem, qui necdum mali aliquid mihi irrogâſti, ſed innumeris etiam cumulâſti beneficijs. Statuo firmiſſimè, durare in tentationibus quibusvis, malas occaſiones devitare, inclinationes pravas reprimere. Tu miſerere,

*Qui es præſtabilis ſuper malitiæ.*

## xiij. Cal. Mart. 17. Februarij.

### *S. Sylvinus Epiſc. Toloſ.*

DEſtitutus viribus, doloribus confectus S. Sylvinus in Gallia Epiſcopus, cùm ad aram ipſe ſuæ-

(a) *Idem hodie.*

facere in ſuprema ægritudine non poſſet ; Miſſæ tamen , ſe præſente celebratæ quotidie , tantâ Spiritûs intenſione adficit , epulúmque divinum ſpiritualiter ſumere ſtuduit ; ut nihil moleſtiæ vel dolorum ex morbo tum pateretur.

Jacob , Angelo , quocum luctabatur , urgente miſſionem , reſpondit : *Non dimittam te , niſi benedixeris mihi.* Ratione conſimili ( veniam dabis , JEſu benigniſſime ) nec minori fiduciâ dicam ego : non dimittam te ; non deſiſtam à ſacerrimo Altaris miniſterio ; à divinis non ceſſabo. Mihi ſiquidem adhærere Deo bonum eſt : & quonam modo faciliori, quàm inhærendo Deo ? Quòdſi quando retrahar, vel virium, defectu, vel infirmitate quâvis aliâ, ultimâ maximè ; non dimittam te , niſi benedixeris mihi in alieno ſacrificio , cui adero quotidie , dum ſuppetat facultas. Tunc , Salvator pijſſime , omni , quâ poſſum , mentis demiſſione provolutus ad pedes tuos ſacratiſſimos , rogo , ne me deſeras in tempore malo , cùm defecerint corporis vires ; ne me derelinquas in inſtanti illo decretorio , quo anima è corpore egredietur ; quo dæmones magno numero , veluti totidem leones præparati ad eſcam , irruere in me conabuntur, ut ad æternæ miſeriæ barathrum abripiant. Tunc , bone JEſu , ſuccurre ; & , cùm veneris judicare , nol me condemnare ; noli mortis æternæ in me fulmen evibrare ; reſpice tunc in me , & miſerere mei , qui ſalvos facis ſperantes in te ; & quamvis tum deſerendus ſim ab omnibus , tu recedere noli.

Mortem in cruce ſubijſti, optime JEſu, caput inclinando, ut amorem & benevolentiam teſtareris etiam erga crucifixores, & hoſtes tuos, à quibus vultum avertere, velut iratus, aut oculos ad cœlum ſublevare, tanquam petiturus à Patre vindictam, noluiſti: quin, cervice ad pectus uſque demiſſâ, cor paternum, & optimam erga omnes voluntatis tuæ propenſionem demonſtrare voluiſti, omnes cupiens ſalvari; omnes juvare deſiderans: caput terram verſùs inflexiſti, in amicitiæ mutuæ, ac reconciliationis teſſeram; & ut oſtenderes affectum erga genus humanum, cui totum te impendiſti; præcipuè verò erga moribundos, quibus auxilium pro eo articulo jam tum pollicitus es, & brachia explicuiſti, ut accedentes ad te paternè amplexareris. Caput deniqúe inclinâſti, ut eorum precibus jam tum annueres, ac ignoſceres peccatis. O figura amabilis, tota amorem ſpirans! Et mihi ſupplici ad pedes tuos, ſic occurre, JEſu amantiſſime in ſupremo illo conflictu: inclina tum aurem tuam mihi, & exaudi me; mirifica tunc, & amplifica miſericordias tuas; pande mihi cor tuum, & viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus tum viſitabis me per communicationem ſacratiſſimi corporis tui, quod viatici loco tum ſuſcipiam; &

*Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.*

## xij. Cal. Mart. 18. Februarij.

### *S. Theodonius Conf.*

DE primævæ Eccleſiæ fidelibus ſcribit Tertullianus,

intâ eos modeſtiâ & pudicitiâ diſceſſiſſe à
ijs, ut viderentur non cænam cœnâſſe, ſed
nam. Diſciplinam hanc æmulari deberent
lrem Myſtæ, quoties ad epulum divinum ac-
, recedúntque. (a) Sacerdos etenim An-
licitur, id eſt, nuntius; quia DEi, & homi-
queſter eſt, ejúsque ad populum nuntiat vo-
m. Eadem habet Chryſoſtomus: (b) Me-
it Sacerdos inter Deum, & humanam natu-
llinc beneficia ad nos venientia deferens,
ninum iratum reconcilians. Néque id agit
mine, ſed (c) pro Chriſto legatione fungi-
oinde vi ſtatûs, officij injuncti, & ſuſceptæ
nis Sacerdos nihil vulgare, nihil commune
ibus cum populo habeat oportet, ſegrega-
eccatoribus, & excelſior cœlis factus. Tu,
e, quia bonus es tu, in bonitate tua doce
tificationes tuas; doce me bonitatem, di-
m, & ſcientiam; veniant mihi miſeratio-
:, & vivam. Fiat cor meum immaculatum,
:cedo ad Altare tuum; nihil ſit, quod me di-
; nihil, quod ſenſus aliò vocet; ſanctiſſimo
yſterio unicè ſim intentus.

o hoc à beato Theodonio, Priore celeber-
nventûs ſanctæ Crucis in Luſitania: indue-
veſtes ſacras, aram jamjam acceſſurus, ut ſa-
le Virgine beatiſſima diceret; cùm ecce a-
) aula Ephebus, Reginæ nomine denuntians,
is citò ſeſe expediret, magni enim ponde-

ris

(a) Hier. in Malach. c. 2. (b) Hom. 5. in Eſ. (c) 2. Cor. 5.

tis negotia impendere. Sed reſpondit intrepidè vir beatus, habere ſe, quod jam agat, non cum terreſtri, ſed cœlorum Regina; quidquid inſtet, Miſſam negotium eſſe negotiorum.

Principum, aut Regum imperio non avocatur ad alia mens mea, neque periculum imminet, gratiâ eorum excidendi; ſed rebus leviculis, & indignis prorſus, quæ vel memorentur. Tu, Domine, illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum; ut vanos quosque, & humanos reſpectus vilifaciens vincam, neque confidam in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Salvum me fac ab illuſionibus dæmonum, omníque eo, quod turbare me in negotio hoc, omnium ſacerrimo, quoquo modo poſſit. Qui olim populum tuum de Ægypto eduxiſti in manu forti, & brachio extento; porrige & mihi dexteram cœleſtis auxilij tui, quâ eripias me de Ægypto carnalium deſideriorum; quò ſecurus deníque pertingam in terram promiſſionis tuæ. Concede gratiam, ut collectâ mente, animóque devoto accedam ad Altare tuum; eſt enim tremendum Miſſæ ſacrificium

*Negotium negotiorum.*

---

xj. Cal. Mart. 19. Februarij.

*B. Amadeus Epiſcopus.*

COntemplabatur infinitum DEI amorem erga hominem B. Amadeus Lauſſannenſium Præſul; deprehenditque tam grandem, ut cum anima unire ſe cupiat; deliciarum locò habeat, *eſſe cum filijs*

*filijs hominum*; manducari à nobis velit, & libentissimè quidem. Inde, quoties litavit, in lacrymas totus abibat. Quæ devotio in tantum Christo placuit, ut genios cœlestes ablegârit; qui aram utrímque ambire, & capita sancto Antistiti reverenter inflectare visi sunt.

Non eâ teneritudine te diligit anima mea, Servator dulcissime, quâ tu me me complecteris; non eâ te inquiro diligentiâ, quâ, me ovem perditam tu quæsijsti; non eâ promptitudine gestio, totum me amore tuî prodigere, quâ totum te & olim dedisti, & etiamnum das quot diebus in augustissimo Altaris Sacramento. Néque lacrymas saltem, mei in te amoris testes, profundo. Imò si vel doloris impulsu, & in amaritudine animæ meæ, tot peccata, in te admissa, deplorarem! Occurre, quæso, Pater superne, filio tuo, redeunti de regione longinqua vitæ perversæ; admitte in domum gratiæ tuæ; & mercenarijs tuis saltem æqua. Veni, obsecro, in propria tua, corpus videlicet, & animam meam; & perfice, quidquid utrobíque defectuosum est; quod ruinosum, erige; quod fluctuosum, solida; ut in obsequio tuo acceptus tibi persistam. O JEsu, tu unica vitæ meæ vita! visita me, & visitatio tua custodiat spiritum meum; quo statui, perfectiùs tibi deinceps famulari, & in hoc, studium Electorum tuorum pro viribus æmulari. Succende in corde meo ardentissimum tuî amorem; animos mihi suffice, quasvis mundi voluptates, ac honores omnes conculcandi; largire Spiritum sanctæ mortificationis, quo mentis

ac corporis integritatem conſervem. (a) In veretum, plurimis horridum aculeis, projecit ſeſe D. Conradus Placentinus, ut ignes impuros ſanguine reſtingueret. Exemplo dudum præjerant ſancti Patriarchæ Benedictus & Franciſcus; & ego mollibus veſtiar? Tu, bone JEſu, vires concede; tu eſto ſufficientia mea, ſanctificatio, perfectio ac refectio mea; ut ego viciſſim, ad te converſus,

*Unus tecum fiam Spiritus.*

## x. Cal. Mart. 20. Februarij.

### *S. Eleutherius Epiſcopus.*

INtraverat Eccleſiam Clodovæus Francorum Rex; cùm à S. Eleutherio, Tornacenſi Antiſtite correptus fuit de peccato quodam, quod admiſſum, confeſſione nondum expiârat. Territus Rex, Præſulem rogat, hoſtiam placationis pro delicto ſuo offerret. Quod dum peragit Eleutherius; priusquam Corpus divinum ſumpſiſſet, Angelum ſplendidiſſimum vidit, audivitque dicentem: oratio tua pro Rege exaudita eſt.

Excanduit Rex ille Evangelicus, cùm ingreſſus, ut videret diſcumbentes, notavit, hominem adeſſe, veſte nuptiali deſtitutum; quem compellans, *quomodo*, inquit, *huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem?* (b) Non dixit: quomodo diſcubuiſti, ſed quomodo intrâſti ſine veſte nuptiali? tanquam majus eſſet, accedere ad divinum Convivium abſque ornatu decente, quàm diſcumbere. Quoties ego convivio

(a) *Sur. hodie.* (b) *S. Chryſoſt. in Evang.*

vio Dominico; ac mensæ me ingero, absque vestitu nuptiali, absque debitâ præparatione, non præmissâ peccatorum confessione! Si Rex supernus indignatur convivæ, veste nuptiali carenti; quid fuisset acturus, ubi habitu sordido, ac conscisso advertisset indutum? Heu miserum me, qui ad esum Agni immaculati accedo sordibus oppletus, veste lacerâ, imò nudus sæpissimè! Abyssus abyssum invocat, abyssus miseriarum & tenebrarum, abyssum misericordiæ, & luminis immensi. O JEsu Salvator, qui es ipsa innocentia, puritas, perfectio & sanctitas; quod deficit mihi, abundantissimè in te invenio: tu solus mundum me facere potes, de immundo conceptum semine, maculisque innumeris sordidatum; tu meam potes contegere nuditatem, fovere miseriam; tu reparare potes, quod ruinam spectat; quod languet, solidare; tu sanguine tuo sacratissimo, ac meritorum balneo abluere me potes, ut nivem candore, castitate Angelos, sidera splendore exæquem: Virtus passionis tuæ ab inferorum pœnis me eripiet; Corpus tuum sanctissimum, ceu gloriæ futuræ pignus, Electorum cœtui me sociabit.

Dixerat olim Salomon de domesticis mulieris fortis: *omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Hi verò qui sunt, nisi Sacerdotes? & quid duplicia hæc indumenta, nisi charitas erga Deum & proximum? His contecti vestibus Deum facilè placant; uti Eleutherius veniam Clodovæo mox impetravit; dum ex adverso (*a*) misera Sacerdotum



(*a*) *S. Bern. ad Eugen.*

converſatio, plebis dominicæ eſt ſubverſio. Felicem me, ſi, dum ad aram accedo, Deum pro me & aliis exoraturus, merear audire: *Exaudita eſt oratio tua.*

## ix. Cal. Mart. 21. Februarij.

### *B. Petrus Damiani.*

SI ob alia pia opera beatus dici meruit Petrus Damiani; beatiſſimus profectò prædicandus erit ob ſingularem erga ſanctiſſimam Euchariſtiam devotionem. Sic enim inter alia conſueverat orare: (a) libet toto mentis affectu, libet pretioſiſſimum Sanguinem in ore meo ſuſcipere diſtillantem. Tu enim Sacerdos es, & hoſtia; tu Redemptor, & pretium. Abluat, obſecro, Sanguis tuus ſordes animæ meæ; nec ulteriùs teneat exactor obnoxium, pro quo tam ſublime pretium ſolutum eſt.

Domine JEſu Chriſte, qui ſedes ad dexteram Patris, imò ipſe es dextera Patris, per quam is uſquemodò operatur, & facit omnia; ita, ut, quidquid ille agit, univerſa ſint opera digitorum tuorum; magnifice rerum opifex, quanta feciſti magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro! quanta oſtendiſti prodigia in Eccleſia ſancta tua, dilecta tibi Sponſa! Tu, qui in digito DEI ejeciſti olim dæmonia, manus ejuſdem virtute expelle è corde meo, quidquid affectum ibi viget, quòd minùs tibi placeat: eſto mecum, tamquam bellator fortis; doce manus meas

(a) *De div. Sacr.*

meas ad prœlium, & digitos meos ad bellum contra hostes invisibiles; ut confusi, gratiâque ac virtute tuâ superati discedant & fugiant à me; neque ulterius teneat exactor obnoxium, pro quo tam sublime pretium solutum est. Benedictus es, Domine JEsu, & laudabilis, & gloriosus in sæcula. Libet toto mentis affectu pretiosissimum Sanguinem tuum suscipere; tu enim Sacerdos es, & hostia, tu pretium & Redemptor. Signa tua, signa magna, & mirabilia; signa fortia & valida: Tu enim das prodigia in cœlo sursum, & in terra deorsum; in signis hisce devictus est Maxentius, periit Julianus, Ecclesiæ persecutores dejecti sunt; per signa hæc etiam in sexu fragili victor gloriosus extitisti, dum humilia elegisti, ut confunderes fortia; ut humilia exaltares, fortissima quæque prostravisti. Vicit in signo hoc S. Mauritius, (*a*) generosæ militum cohortis in Syria Ductor strenuus; & cum suis uncos primùm, & equuleos, tum flagra, ignes ac tela superavit; Inde Photinum filium, prope paludem quamdam stipiti alligatum, vespatum muscarúmque aculeis, ac demum sagittis configi vidit; ac confici, tandem & ipse cum socijs, melle oblitus, eorumdem animalculorum spiculis necatus. Signa tua, signa magna & valida, quorum non est numerus. Fac itaque, Domine, & mecum signum in bonum; ut videant, qui oderunt me, & confundantur; quoniam tu adjuvisti me; neque porrò exactor teneat obnoxium, pro quo

*Tam sublime pretium solutum est.*



(*a*) *Ex Menæis.*

## viij. Cal. Mart. 22. Februarij.

### *S. Margarita de Cortona.*

CONſpecto Amaſij occiſi cadavere, ad quod ſub lignorum congeriem projectum, & vermibus undequaque ſcatens, à catella fuerat deducta, vitæ tranſactæ turpitudinem deteſtata S. Margarita de Cortona, in fletus amariſſimos prorupit ſumptâque veſte religioſâ tam pœnituit ſincerè, u Virgini Deiparæ facta admodùm familiaris, eosden cruciatus meruerit experiri, quos illa, ſub cruce Filij conſiſtens, ſenſerat, intenſos adeò, ut per horas complures exanimi ſimilis jaceret. Menſam Euchariſticam, utut ardentiſſimo ad divinum iſtud Myſterium ferretur affectu, frequentare tamen auſa non eſt, annos antiquos in amaritudine animæ ſuæ recogitans: unde Chriſtus, ſpectabili formâ apparens, ad cœleſte hoc convivium invitavit illam, inquiens: *veni, & ſuſcipe me.* Repoſuit Margarita inter lacrymas & ſuſpiria: & quomodo id facere præſumam? tanta ac talis eſt divina Majeſtas tua, tanta puritas; ut, ſi eo te cernerem loco, quo ſol oriens emergit, ego verò in ultimo occidentis angulo delitescerem; oculos tamen meos ad te attollere non auderem. Et qui audaciâ in animam meam te ſuſcipiam, tot peccatorum monſtris horrentem? Timidè itaque, & magna cum formidine ad ſacram Synaxin acceſſit; quamvis id Chriſtus præciperet, & confeſſarius ad idem hortaretur.

(a) Qualem te DEO paraveris, talis, oporter, ut appareat tibi, amanti amans, vacans vacanti. Si itaque in ſpiritu humilitatis, ac animo contrito acceſſeris; benignus viciſſim, & clemens apparebit; dicit enim: *mitis ſum, & humilis corde;* qui humilia reſpicit; & ſuperbos mente cordis ſui diſpergit. Dicam igitur, & potiori quidem ratione, quàm B. Margarita: ſi tu in oriente appareres, Domine, & ego in Occidente eſſem; non auderem ad te reſpicere: & quomodo audebo te intra me recipere? O puriſſime, & infinitè perfecte Spiritus, utinam nullum unquam cognoviſſem peccatum, ne dicam, perpetrâſſem! utinam à primo meæ conceptionis inſtanti ita mundus extitiſſem, ac innocens, ut omnis à me nævus longiſſimè abfuiſſet, nec in peccatis me concepiſſet mater mea; utinam vixiſſem in omni cordis puritate; virtutibus ſtuduiſſem ex animo, & DEO ferventer ſervijſſem! quàm optarem fuiſſe, & etiamnum eſſe Creatura juxta cor & voluntatem DEI! Nunc autem, benigniſſime Domine, in cujus conſpectu cœli non ſunt mundi, quique in Angelis etiam reperiſti pravitatem, ignoſce fragilitati meæ, & tepiditatem condona. Quodſi hactenus ſecutus fui Saulum ſævientem, Magdalenam peccantem, ac Petrum negantem; en ſector eorundem veſtigia ad pœnitentiam, & ingenuè fateor, ſi tu in Oriente appareres, ego in Occidente eſſem; omnino indignum me, qui vel oculos ad te attollam. Heu Domine, quid feci? quò abripuerunt me cogitationes



(a) S. Bern.

tiones meæ? quare te relicto fœdus inij cum juratiſſimo hoſte tuo? cur peccata ſectando ambulavi vias difficiles, laſſatus in via iniquitatis? Ab hac lava me r Domine; & ſuper nivem dealbabor. Concede, obſecro, ut innocentiâ efficiar, ſicut parvulus, corporis ac animæ puritate, ut Angelus; & ita

*Placeam tibi, Domine DEUS.*

## vij. Cal. Mart. 23. Februarij.

### *S. Phenenus Abbas.*

PRo ſuggeſtu verba ad populum fecerat in Anglia S. Phenenus Abbas: cúmque Sacris operari exinde vellet, ara defuit, in qua hoſtiam divinam offerret. Et ecce! Angelorum miniſterio menſa ſacra defertur; ſuper qua Dei famulus cum gratiarum actione Miſſam celebravit, &, quotquot aderant, epulo divino refecit.

Neſcitis, quia templum Dei eſtis? imò aræ etiam, & quidquid præterea ad miniſterium ſacrum adhibetur. (a) Menſæ, ſeu aræ locum tenebit hocce pectus meum (dicebat S. Lucianus Martyr ad circumfuſos ſibi in carcere diſcipulos, & jam in paſſione ſodales) utpote non inanime, ſed ad imaginem Dei animatum ac formatum. Et bene altare dicitur cor noſtrum, ſive anima, ad imaginem DEI facta, ejúsque præcipuas complectens perfectiones; potentiam videlicet, in uſu liberi arbitrij, quo velle poteſt, ac nolle, operari, vel non;

(a) *Vide 7. Januarij.*

ſapientiam in ſequendo dictamen intellectûs,
en rationis; deniqúe bonitatem, obedien-
piritûs ſancti inſtinctui ad rectè agendum.
i verò cor meum ara talis non eſſet, neque
n coram te conſiſteret; tu, Deus optime,
undum in me crea; & ſpiritum rectum in-
n viſceribus meis. In lege veteri Altaria ſer-
ut pro victimis, quæ ſuper ijſdem crema-
, flammis ad ſuperna aſcendentibus. Ergo,
ſunt corda noſtra, flammulæ divini amoris
tendant; devotæ mentis ſuſpiria, ac pij
us cœlos penetrent; & oratio in conſpectu
velut incenſum dirigatur. Victima ſit vo-
noſtra, per integram in beneplacitum divi-
onſignationem mactanda; victima etiam ſint
ſenſus & affectus malè ordinati, igne mor-
ionis ac omnimodæ abnegationis concre-
. O Altare digniſſimum, ter ſacroſanctæ
conſecratum, non ex inanimata, ſed viven-
ſtantia erectum. Itaque cor mundum crea
, Deus; & Spiritum rectum innova in viſce-
meis. Præcepiſti olim, cinere mundari Altaria
rgire gratiam, ut & cordis mei ara mundetur
: pœnitentiæ; ut ſic caſto corpore totum
holocauſtum tibi valeam offerre. Adde lu-
a fidei ac ſpei indeficientis, charitatis tuæ
nimata. Media his ſtatuatur Crucifixi ima-
ugem amariſſimæ paſſionis tuæ memoriam
ans, ac contemplationem. Mappæ vices
at requiſita in Sacerdote animæ ac corporis
s; palliique loco propendeat patientia cum

humilitate. Ita exornatus, idem merebor encomium, quo B. (4) Nicolaum Buschenum, magni Benedicti alumnum celebravit Christus; eum videlicet Domini sui vestigia presse secutum fuisse; & cum Davide ero

*Vir secundùm cor, & voluntatem DEI.*

## vj. Cal. Mart. 24. Februarij.

### *S. Mathias Apostolus.*

SAcerdos quidam, uti divo Mathiæ apprimè devotus, ita in tremendo Altaris ministerio indevotissimus, tepidè id, & negligenter obibat: & videis, quàm nemo gratis liberalis sit in sanctos: adest clienti tepido in somnis Apostolus, corripit eum de segnitie, monetque, cum fervore peragat Mysterium tam excelsum. Et ne monitum hoc cœleste mente excideret, stigma quoddam indelibile fronti hominis Sanctus impressit.

Me infelicem, si tot mihi stigmata inureret manus divina, quot admittere soleo negligentias, dum Agnum illibatum immolo! imò, ut verùs dicam, felicem me, si sic amorosè correptus, majorem inde attentionem devotionemque adhiberem!

(b) O JESU; tu Dominus mortis & vitæ; quantocius ad me venire festina, ut anima mea cor tuum dulcissimum ingredi & inhabitare mereatur.

Ego

(4) *Bolland. hodie.* (b) *Senas hasce orationculas efficaces esse ad animam à damnatione æterna servandam asserit Thamler.*

Ego enim ſum ille, quem cœleſtis tuus, ac noſter ſimul Pater omnipotentiâ ſuâ ad hoc condidit, ut æternæ gloriæ tuæ particeps fiam.

JESU, juſtiſſime Judex; viſita me, & appone erga me cor tuum; ego enim ſum ille, quem tu acerbiſſimâ tuâ paſſione, & morte ignominioſiſſimâ de poteſtate inimici redemiſti; libera & redime me amodò nunc, & in hora mortis meæ ab inſidijs Sathanæ, qui ſolus ſalvare me potes.

Pijſſime JEſu, cujus deliciæ ſunt, eſſe cum filijs hominum; elige cor meum, ut ſit æternum habitaculum tuum. Ego enim ſum ille, quem Spiritus ſanctus ſuâ divinâ bonitate ſanctificavit in baptiſmi ſuſceptione. Ideò confido & ſpero, ejuſdem ſancti Spiritûs immensâ bonitate me ſalvandum.

O JESU, Judex præ omnibus electiſſime; cujus cor in horto Gethſemani ſummis obruebatur anguſtijs; ne abhorreas cor meum. Ecce enim ſupplex te deprecor per agoniam illam, & orationem, quâ in Monte Oliveti Patrem rogâſti, dum Sanguinem ſudâſti; ut ſudorem illum Sanguineum, timore mortis inſtantis expreſſum, eidem Patri offeras ac exhibeas; meque in hora mortis liberes ab omnibus anguſtijs ac pœnis, quas per peccata mea timeo me promeruiſſe.

O JESU mitiſſime, veni ac ſolare me irrevocabili cordis tui traditione; qui ſæviſſimis mortis ſtimulis cor tuum pro me in cruce agitari voluiſti, ac diſrumpi dolorum vehementiâ. Te precor per amaritudinem illam, quâ anima tua ſanctiſſima exſtreſſa eſt de benedicto corpore tuo; ut illa omnia,

quæ

quæ pro me perpeſſus es, Patri æterno offeras peccatrice anima mea; quam in hora mortis li rare velis ab omnibus anguſtijs & pœnis, quas p catis meis promerui.

JESU admirabilis, qui hoc ſanctiſſimum Sa mentum inſtituiſti in ſignum illius charitatis pe tuæ, quam mihi per os Prophetæ pollicitus inquiens: in charitate perpetua dilexi re; ideò traxi te, miſerans tui; precor te per charitatem lam, quæ te de cœlis ad tolerandas quasvis præſentis miſerias attraxit, ut eandem Patri exhibere ac offerre digneris pro miſera anima m méque liberes ob omnibus anguſtijs ac pœ quas per peccata mea me timeo promeruiſſe.

---

## v. Cal. Mart. 25. Februarij.

### *S. Birſtanus Epiſcopus.*

ECcleſiam DEI in Anglia moderabatur D. Bir nus. Habebat in more, pro fidelibus piè functis plerúmque ſacrificare; benè & relig ſe facere cogitans cum Juda Macchabæo, ſi marum, in flammis piacularibus detentarum, miniſſet ad aram, quoties per Eccleſiam lic Certè ipſi manes defuncti id probârunt, dur crum aliquando claudenti conſuetâ illâ apprec ne: *requieſcant in pace*; è tumulis, Eccleſiæ nis, elatâ voce repoſuerunt: *Amen. Amen.*

(*a*) Munus abſconditum extinguit iras; De delicet, ut exponit Doctor Angelicus, in pu

---

(*a*) *Prov.* 21.

ulum ſtupendum, & poteſtas ineffabilis, &
ndum Sacerdotis miniſterium, ſpirituale,
m, irreprehenſibile: excedit omnem intel-
n donum altitudinis, dignitas Sacerdotalis.
*tum habemus apud Patrem*, inquit Apoſtolus,
*Chriſtum juſtum*; in cœlis nempe: in terra
advocati ſunt Sacerdotes; ſiquidem pro Chri-
gatione funguntur. Venale eſt omne, quod
Deus; emere, redimere, liberare per ſan-
Miſſæ Sacrificium poteſt omnis Sacerdos.
id magis venale, quàm animæ, defunctæ
m in DEI gratia, quæ tamen juſtitiæ divinæ,
viſſimum exigenti quadrantem, ſatis nondum
nt? Hæ, quia juvare ſeipſas nequeunt, vi-
s identidem inclamant: *miſeremini mei, mi-
ni mei*; panem famelicis porrigite, ſed panem,
t vita mundi; ex quo ſiquis manducaverit,
in æternum; qui inſtitutus eſt pro omnium ſa-

præter alia dixit: (*a*) nunc igitur, quia datum est mihi auxilium petere, rogo te, ut per annum in tegrum facias continuè celebrari Missas de sanctissima Virgine Maria, de Angelis, de omnibus Sanctis, & pro defunctis; insuper de passione Christi Salvatoris nostri; quia spero, me citiùs liberari. Dicam itaque hodie cum Apostolo: (*b*) libenter me impendam, & superimpendar pro vobis, & animabus vestris; in sacro Altari me impendam pro vobis, & in divisione panis divini partem ejus donabo vobis, quam calici immitto, quæque tolli peccata mundi, ut requiem vobis indulgeat; ad dam ipsum calicem salutarem, ut eo inebriemini neque cruciatus vestros ultrà sentiatis; è quibus assiduò flagitatis opem tam efficacem, ingeminantes flebile illud:

*Miseremini mei.*

## iv. Cal. Mart. 26. Februarij.

### *B. Villana.*

TEstatus de seipso fuit Regius Vates: *Inflammatum est cor meum; & renes mei commutati sunt; & ego ad nihilum redactus sum.* Verba priora usurpare jure optimo poterat beata Villana Florentina; cujus pectus adeo inardescebat, quum ad mensam divinam accederet; ut necesse habuerit, velum à capite diducere, quò via ardori nimio divini amoris panderetur, & ipsa respirare nonnihil posset. Sequentia convenire videntur beatæ Mechtildi

(*a*) *Revel. l. 57. c. 56. fol. 775.* (*b*) *2. Cor. 12.*

divi Benedicti familia; quæ, ſacro epulo aliquando, & extra ſe rapta, vidit Chriſtum Dominum; qui cor è viſceribus ejus protractum, ac liquefactum omnino, in cor ſuum dimittens, transfudit: dicere utique tunc poterat: *cor meum, & renes mei commutati ſunt; & ego ad nihilum redacta ſum*: poterat cum pſalte eodem exclamare: *Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.*

Nobilem quemdam virum in hæc ſcripſit S. Pater: (a) certiſſimè ſuas, quòd diabolus inter, quantum poteſt, conatur, ut munditia charitas, & amor carnalis divinam ſupergrediatur charitatem. Unde, quotieſcunque munditia amor divinæ charitati ſe præferre in tuo corde voluerit; confeſtim cuſtodem, id eſt, rationem, ei obviàm mitte, cum præceptis Dei, videlicet, quòd malis in anima & corpore mori ſtinere, quàm ad hoc vivere, ut tam bene in Deum verbo vel opere ad iram provocaſti imò quòd nec propriæ vitæ parcere velis, ut Deo poſſis totaliter complacere, ipſúmque omnibus honorare; magis quoque omnibus tribulationibus te ſubijcere, quàm alicui tuo proximo majori vel minori, damnum aliquod, ſcandalum aut tribulationem facere. Sic Deum plus, quam teipſum, & proximum tuum, ſicut teipſum, vere comprobaris.

Mi

(a) *Revel. l. 7. c. 6. fol. 582.*

Mi Deus, non tardes venire ad me; ſed intende mihi, & exaudi preces meas. Intinge ſenſus meos in medullam charitatis tuæ, ut diligam te toto corde, totâ animâ, totis viribus, ac omnibus ſenſibus meis. Utinam omnium Angelorum ac Sanctorum affectus haberem, quibus JEſum perfectiùs ad me invitarem, & in cor meum, velut affectuum omnium ac deſideriorum centrum, dignè ſciperem; collocarem inibi, ac detinerem. Quotics jam ſpiro, ac ſuſpiro; ad te, pie JEſu aſpiro, animitùs deſiderans, ut anima mea moriatur mundo, ac tibi ſoli vivat; ut ita tandem moriar ex puro amore tui, tibique æternùm vivens canam:

*DEUS cordis mei, & pars mea, DEUS.*

## iij. Cal. Mart. 27. Februarij.

### *B. Edigna Virgo.*

(a) E Gente Francorum, ac ſtirpe regia progna-ta B. Edigna, ut pudorem illibatum Chriſto ſervaret, amore ejuſdem in exilium ſponte profecta eſt, monita cœlitus, ibi conſiſtere, ubi præter æris campani clangorem, alitis quoque criſtati vocem perceptura eſſet. Hæc ergo utraque, plauſtro impoſita, ſecum devehens, boves, jugum ultrò trahentes, ſecuta eſt usque ad locum quemdam, vulgari idiomate Buech appellatum, tribúſque horis Monachio (urbe Principe Bavariæ) diſtantem; ubi tam campanæ, quàm Galli con-cen-

(a) *Rader. in Bavar. S.*

centus inſperatò audiri cœpit. Ibi ergo in cavo arboris cujuſdam trunco (Eccleſiæ modò contiguo) vitam ſanctiſſimè tranſegit; & Ter ſacroſanctum Euchariſtiæ Myſterium, ſub crate ferrea obſeratum, in oculis perpetuò habuit, adoravitque; donec ab eo exilio ad patriam cœleſtem fuerit evocata. Arbor, per ſæcula complura oleum ſalubre ſtillans, adhuc florere cernitur.

Quisquis ſe DEO conſecravit, è mundo abeat, relinquat terram, cœlum incolat, juxta illud Apoſtoli: *Converſatio autem noſtra in cœlis eſt.* Et quibus magis id competit, quàm Sacerdotibus? Hi Deum non, ut olim Hebræi, ſibi propinquum, ſed in ſeipſis continuò habent, ac circumferunt, Chriſtiferi inde meritò appellati. Hæc arctiſſima cum Deo conjunctio in cauſa fuit, cur tot Sancti ſuis in orationibus, præcipuè Miſſæ tempore, à ſenſibus abjerint, in ſublime à terra elevati. Contigit id hoc ipſo, quem agimus, die ſancto Dominico; (a) qui poſt conſecrationem ſacrorum Myſteriorum, confertâ populi multitudine inſpectante, cubiti ſpatio à terra elevatus, eò ſequi volebat corpore, quò anima præceſſerat pio affectu: ſacro abſoluto nobilem Romanum, qui ex equo lapſus obierat, ad vitam revocavit.

(b) Anima, quæ amat, aſcendit ſemper, & currit per plateas cœleſtis Jeruſalem. Impellit nos ad ſimilem mentis in Deum elevationem ipſe cibus divinus: (c) Si enim volatilia pennata populo Israëlitico pluerat Deus, non certè ferarum quadrupe-

 dum,

(a) *Sur.* (b) *Origen.* (c) *Rabau.*

dum, vel terreſtrium animalium carnes dando, ſed volucrum; ut ex ipſa perceptione alimenti, quod in ſublime volitat, ſuperna magis diſcerent deſiderare, quàm terrena, ſpiritualia potiùs, quàm temporalia; quantò fortiùs monet nos cibus, non terrenus, ſed planè divinus, ut, quæ ſurſum ſunt, ſapiamus, non, quæ ſuper terram? Bene igitur jubet ſancta Mater Eccleſia, ſurſum cor elevare; (a) ut, dum corpus gerimus terrenum, volitet in nobis ales interior; dum Chriſtum circumferimus, ſimus ſemper cum eodem & animo: æquum enim eſt, ut anima ſit,

*Ubi amat, non, ubi animat.*

## Pridie Cal. Mart. 28. Februarij.

### *S. Oſwaldus Epiſcopus.*

TAntæ puritatis, tantæque erga auguſtiſſimum Altaris Myſterium devotionis erat S. Oſwaldus, Eccleſiæ Wigornienſis in Anglia Antiſtes; ut Angelum habere meruerit, ad aram ſibi miniſtrantem, cùm ſacris operaretur. En prenſant Angeli miniſterium hoc; & hominem pudeat?

(b) Lætantur plurimùm Angeli, ſi communicantis mentem cognoverint ad Deum elevatam; ſi videant humilem, charitate fervidam, Deum laudantem, in ſpiritu jubilantem, & ſuavitate quâdam pij amoris iunixam ſuper dilectum ſuum. Tam ſublimis eſt dignitas Sacerdotis, ut eminentiſſimo Seraphinorum ordini collata, peculiarem ab eis reve-

(a) *Auguſt.* (b) *Laur. Juſtin. de amor. div.*

verentiam depoſcat. Cui enim Angelorum alinando data eſt poteſtas in carnem & ſanguinem, nimam ac corpus, divinitatem & humanitatem Chriti? Transfert Sacerdos Dei Filium è cœlo in terus, ut ibi incipiat eſſe, ubi non eſt; & tamen perveret, ubi antea fuit. Traducit peccatores ad ratiam, juſtos ad gloriam. Volant equidem Seraphini; volat & Sacerdos: illi ſenis alis; iſte uno motu voluntatis & intentionis. Suſtulit illorum iquis forcipe calculum ignitum de Altari; tollit Sacerdos de corde Patris Filium Unigenitum. (a) ngelicam exinde vitam in terris ducamus, quia anis Angelorum non, niſi Angelicæ vitæ ſtipenium eſt. Quapropter oportet Sacerdotem tam urum eſſe, ac ſi in cœlis ipſis poſitus, inter ſuperas illas virtutes medius conſiſteret, pſalleretque i conſpectu Angelorum. Tu, bone JEſu, puum me, & fervidum ſancti Altaris tui ſerva minirum; præſerva me ab omni labe peccati, non ravis ſolummodò, ſed levis etiam; ab omnibus etique immunem tuere, quæ Sacerdotem minis decent. Alienis exornatus veſtibus Riggo, otilæ Regis Spatharius, ſanctum Benedictum ntare volebat; at mox audijt ſibi dicentem: *pone, fili, depone, quod geris; nam tuum non eſt* Quidni idem S. Patriarcha nobis quoque vellat autem, dicatque: deponite, filij, deponite, quod eſtrum non eſt; deponite animi tumorem, ambinem, arrogantiam; deponite rancorem, olum, ſenſum libidinis, gulæ illecebras: induite



(a) *Algerus.*

mores, ac ſenſus animi, Sacerdote dignos, ut interna reſpondeant externis, actiones characteri. Ita, mi JEſu, ſacris me vulneribus tuis, doloribus, paſſione, ſanguine pretioſiſſimo, cruce & morte exorna, & veſtem nuptialem largire; ut in tuo ſancto convivio decenter tectus appaream: indue me meritorum tuorum ornatu; paſſionis tuæ purpurâ cinge; candidâ puritatis ſtolâ ambi; rutilet in me fides; ſpes floreat, ardeat charitas; ut ſic ornatus ac veſtitus, ſpiritibus Angelicis comparari queam; nam

*Hominem paulò minùs ab Angelis minuiſti.*

## 29. Februarij, pro Anno biſſextili.

(a) APparuit aliquando S. Birgittæ eo ipſo tempore, quo corpus dominicum elevabatur in Miſſa, teterrimâ ſpecie dæmon, inquiens: credis tu, quòd hæc panis particula Deus ſit? qui pridem conſumptus eſſet, etiamſi mons integer fuiſſet. Sed nec crede, quòd Deus ab immundiſſimo Sacerdote, qui cor (b) caninum habet, tangi ſe dignetur, & amari. Et ut ſcias, quod dico, iſte Sacerdos eſt meus, quem, cùm voluero, auferam ad me ipſum. Verùm eodem temporis puncto ſpectabilis adfuit Deus etiam, dæmoni exprobrans, quòd turbaret ſponſam ac filiam ſuam; eum quoque convincens, & explanans Myſterium Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ per typum virgæ Moſaicæ,

(a) *Lib. Revel. c. 51. fol. 279.* (b) *canis redit ad vomitum &c.*

, in colubrum verſæ, non Prophetæ virtute, Dei potentiâ; ità pariter in Altari ante verba nſecrationis adeſſe panem, qui inde totâ ſubtiâ ſuâ tranſiret in corpus Chriſti; & hoc quim à bonis malisque, ab uno, ac millenis ſumi lem rei veritate, effectu tamen multùm diverſo: ùd verò à comedentibus haud abſumatur, exſuit per figuram ſerpentis æneï; quo viſo ſanatur, quotquot à ſerpentibus fuerant percuſſi, in conſumeretur ſerpens ipſe, qui ſanabat; Ita mpe corpus Dominicum ſpirituale quid eſſe, & ſe inconſumptibile; cæterùm Deum nec malum ldi ex miniſtri malitia, nec bonum ex probitate, ote undequaque immutabilem: Quoad Sacertem præſentem deniqùe, verum equidem eſſe, n damnandum, niſi reſipiſcat; cùm cor canin habeat, inſipidus ſit ad omnia, quæ Dei ſunt, vidus verò in carnalibus; inde dicto *Agnus Dei*, ſumpto divino epulo, ab illo recedere Patris tentiam, dulciſſimam Filij præſentiam, &, poſt poſitas ſacras veſtes, benignitatem Spiritûs ſan, qui eſt vinculum conjunctionis; abri tamen tartara non poſſe, niſi DEUS ipſe permit-

Quid ad hæc, anima mea? Si ſenſus tibi eſt, is; ſapis, ſi bene capias. Deus eſt, quem in cramento ſumis, totus in toto, & totus in alibet parte totius, tantus ſub fragmento, quan in integra hoſtia, indiviſus, quamvis hæc frantur in partes, inconſumptibilis, reficiens tamen nelicum, debilem confortans, ditans egentem,

præter alia dixit: (*a*) nunc igitur, quia datum eſt mihi auxilium petere, rogo te, ut per annum integrum facias continuè celebrari Miſſas de ſanctiſſima Virgine Maria, de Angelis, de omnibus Sanctis, & pro defunctis; inſuper de paſſione Chriſti Salvatoris noſtri; quia ſpero, me citiùs liberari. Dicam itaque hodie cum Apoſtolo: (*b*) libenter me impendam, & ſuperimpendar pro vobis, & animabus veſtris; in ſacro Altari me impendam pro vobis, & in diviſione panis divini partem ejus donabo vobis, quam calici immitto, quæque tollit peccata mundi, ut requiem vobis indulgeat; addam ipſum calicem ſalutarem, ut eo inebrientini, neque cruciatus veſtros ultrà ſentiatis; è quibus aſſiduò flagitatis opem tam efficacem, ingeminantes flebile illud:

*Miſeremini mei.*

## iv. Cal. Mart. 26. Februarij.

### *B. Villana.*

TEſtatus de ſeipſo fuit Regius Vates: *Inflammatum eſt cor meum; & renes mei commutati ſunt; & ego ad nihilum redactus ſum.* Verba priora uſurpare jure optimo poterat beata Villana Florentina; cujus pectus adeo inardeſcebat, quum ad menſam divinam accederet; ut neceſſe habuerit, velum à capite diducere, quò via ardori nimio divini amoris panderetur, & ipſa reſpirare nonnihil poſſet. Sequentia convenire videntur beatæ Mechtildi

(*a*) *Revel. l. 57. c. 56. fol. 775.* (*b*) *2. Cor. 12.*

ildi è divi Benedicti familia; quæ, ſacro epulo paſta aliquando, & extra ſe rapta, vidit Chriſtum Dominum; qui cor è viſceribus ejus protractum, ac liquefactum omnino, in cor ſuum divinum transfudit: dicere utique tunc poterat: *cor meum, & renes mei commutati ſunt; & ego ad nihilum redacta ſum*: poterat cum pſalte eodem exclamare: *Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.*

Ad nobilem quemdam virum in hæc ſcripſit S. Birgitta: (a) certiſſimè ſuas, quòd diabolus inceſſanter, quantum poteſt, conatur, ut mundanæ charitas, & amor carnalis divinam ſupergrediatur charitatem. Unde, quotiescunque mundanus amor divinæ charitati ſe præferre in tuo corde tentaverit; confeſtim cuſtodem, id eſt, rationem, ei obviàm mitte, cum præceptis Dei, dicentem, quòd malis in anima & corpore mortem ſuſtinere, quàm ad hoc vivere, ut tam benignum Deum verbo vel opere ad iram provocares; imò quòd nec propriæ vitæ parcere velis, ut ſoli Deo poſſis totaliter complacere, ipſumque in omnibus honorare; magis quoque omnibus tribulationibus te ſubijcere, quàm alicui tuo proximo, majori vel minori, damnum aliquod, ſcandalum aut tribulationem facere. Sic Deum plus, quàm teipſum, & proximum tuum, ſicut teipſum, diligere comprobaris.

Mi

(a) *Revel. l. 7. c. 6. fol. 582.*

rè. Hæc arma, hoc ſcutum expugnabit, quidquid molitur inimicus, quidquid tentat, quidquid audet. Quidam ſancto Philippo Nerio devotus, quoſdam è capillis magni iſtius Dei ſervi ſecum ferebat; cúmque loca infamia adiret, pectus crebro, eóque valido ictu concuti ſenſit; móxque advertit, à ſancto ſeſe retrahi à ſceleris occaſione. O monear & ego ab ipſo ſacratiſſimo Domini mei corpore, quod pectore circumfero, quoties ad illicita invitat caro blandiens, mundus decipiens, inimicus ſuadens! Audio ſiquidem eum mihi dicentem: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. (a) Attendamus nobis ipſis, talibus fruentes bonis; &, cùm aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam hujusmodi vitio, conſideremus, quibus facti ſumus digni; talíſque cogitatio nobis irrationabilium motuum ſit correctio. Quodſi verò aures habeam obturatas; Tu, Domine, qui ſuper Auguſtinum (b) detonâſti voce grandi, & ſurditatem ejus rupiſti; multiplica ictus, correctionem repete, eleva vocem, qui aures ſurdi aperuiſti, dicendo: Ephetha, quod eſt: adaperire; qui habes vocem aquarum multarum, vocem tonitrui magni; qui multiplicâſti infirmitates recedentium à te, ut accelerarent redire; gratiam tamen largire, audiendi vocem tuam, non ut Adam, qui ſe abſcondit; neque ut Jonas, qui fugit à facie tua; nec deniqúe ut infelix ille Udo, qui in ludo peſſimo, utut revocatus ſæpiùs, obdura-

(a) *Chryſoſt. lect. in octava Corp. Chriſti.* (b) *In Confeſſionibus.*

ratus perrexit ; ſed ut humilis Saulus vocanti ox reſpondeam:

*Domine, quid me vis facere ?*

---

## vj. Non. Mart. 2. ejuſdem.

### *S. Carolus Comes Mart.*

)VIs Corpus Chriſti honorare ? nudum ne deſpicias. Qui namque dixit: *hoc eſt Cors meum*, & verbum facto confirmavit; idem em dixit: *eſurientem me vidiſtis, nec paviſtis me;* quod minimis meis non feciſtis, nec mihi feciſti. Id ſibi dictum credens S. Carolus Comes andriæ, ac poſtea Martyr, quoties ſacram æm adijt, Chriſtum in ſacro Altaris myſterio veraturus; largam in pauperes ſtipem profudit, eleemoſynæ merito, ac precibus egentium ijus quotidie in divino obſequio caperet increntum.

Ego vir, videns paupertatem meam, dum entes alios Chriſti amore juvo (id quod majori lles liberalitate facere decerno) neque ſolum uperem-me-agnoſco, ſed multis quoque lanoribus oppreſſum. Et quis me conſoletur ? fixus ſum lecto humani affectûs, linteis vitiom ac imperfectionum habitualium involutus, in bres peccatorum identidem relabens. Tu, omine, qui omnia potes; qui veniſti peccatores vos facere, quorum ego primus ſum; qui ſaus contritos corde; ſana & ſalva me; tu, qui



---

(*a*) *S. Chryſoſt.*

juſtificas impios, & mortuos vivificas; qui convertis peccatores, & ampliùs non ſunt; converte me, & convertar. Tu, qui habes claves abyſſi, mortis & inferni; cui mare & terra obediunt; veni, & libera me. Tu, qui de lapidibus ſuſcitas filios Abrahæ; tolle à me, quidquid tibi diſplicet in me; vide, ad quantam miſeriam devenerim, quantis periculis ſim expoſitus: Cecidi de ſublimi in profundum; de ſtatu innocentiæ ad peccati miſerias dejectus ſum; excidi gratiâ tuâ; odium incurri; à gloria ad pœnam, ad inferos è cœlo deturbatus ſum. Sanus eram; jam infirmor; bonus fui; jam malitiæ immergor; gaudebam, jam triſtor, filius Dei, diaboli mancipium effectus ſum, ô quàm in me verificatur illud pſalmographi: *homo, cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Verè miſer ſum, & vir, videns paupertatem meam. Tu, Domine, qui pauperem facis, & ditas; humilias, & ſublevas; qui ſuſcitas de pulvere egenum, & de ſtercore pauperem elevas; dita me pauperculum, egenum ſubleva, imbecillum conforta, reple me virtutibus ſacris; eſuriem denique meam ſacratiſſimo pane tuo refice; tu enim

*Eſurientes reples bonis.*

## v. Non. Mart. 3. ejuſdem.

### *S. Winvvalocus Abbas.*

DE tempore mortis imminentis edoctus ab Angelo Sanctus hic Abbas, die præſtituto templum

plum adijt, ſacrúmque dixit eâ devotione, quam opus tantum, & ſupremum quidem in vita hac exigebat, ut antè è vivis, quàm ab ara diſceſſerit, à menſa Euchariſtica ad ſuperûm epulas invitatus.

O quantus amor Sanctorum pertranſiens viſcera, & ſolvens compages corporis & ſpiritûs! Quàm appoſitè ſanctus Cyprianus: dejicit ſe à culmine generoſitatis, qui aliud, præter Deum, amare poteſt. Ecce Alpha & Omega, Deus noſter, ad quem conditi ſumus; ad quem ut pertingamus, in mundo hoc peregrinamur. Quidquid ergo hîc amamus; vel propter eum amemus, vel amare deſinamus. Terrena omnia nobis ſerviunt, non ut ijs immergamur, ſed utamur tanquam adminiculis in Dei obſequio, & velut medijs finem ultimum aſſequamur. Quodſi à ſcopo præfixo abducant, reſpui debent. Abdicanda igitur mundana gaudia, converſatio minùs decens, occaſio quævis, ad malum pelliciens; ſolus ſapiat JEſus, cibus noſter, ac potus, centrum ac finis. Ad hunc ut pertingam, omnia cum D. Petro relinquo; ut comprehendam, inceſſanter curro; omnia denique patior, & ago, ut in eo æternùm conquieſcam. JEſus rebus quibusvis infinito exceſſu pulchrior, melior, charior, amabilior, nobilior, pretioſior & delectabilior: ſolus ergo ſapiat JEſus, cibus ac potus noſter.

Sapiebat JEſus præ omnibus ſanctæ Kunegundi Auguſtæ, (a) ita, ut licito conjugij terreni uſui præ-

(a) *Sur. hodie.*

præferret caſtas cum Sponſo Virginum nuptias, virgo ipſa, utut nupta; ut culmini ſupremæ in terris poteſtatis anteponeret cœnobium, cucullum purpuræ, aularum pompæ humilem inter religioſas virgines converſationem. Quis ergo miretur, ipſam ferrum ignitum pede nihil læſo calcâſſe?

O quantæ deliciæ hominis, cum JEſu incedentis! nónne potatur à fonte vitæ? nónne Angelorum pane nutritur? Tanta eſt hæc dulcedo, ut ſordeat purpura, ſceptra vileſcant, Regna ſint faſtidio, mundúsque cum omnibus illecebris ſuis ſtomachum moveat. Ut ergo guſtes illas,

*Solus ſapiat JEſus, cibus ac potus noſter.*

---

## iv. Non. Mart. 4. ejuſdem.

### *S. Caſimirus Conf.*

PUdorem à teneris ſervavit illibatum S. Caſimirus, Regis Poloniæ filius; cui tuendo corpus cilicio adſtrinxit, humo uſus pro lectulo, cùm maximè ſæviret hyems, templa nudis pedibus obivit. Mori juvenis etiamnum maluit, quàm cum virginitatis jactura ſeneſcere. Corpus ejuſdem poſt annos centum quinquaginta à morte repertum eſt à corruptione prorſus immune, unà cum hymno Mariano, cujus initium: *omni die dic Mariæ &c.* quem à ſe compoſitum deſcriptúmque tumulo intulerat. Diſce hinc, neceſſariò combinari corporis odium cum caſtitatis amore.

Davidem, ſic loquentem, inducit magnus Auguſtinus: non adeo memini, ſupra quod ſum, ut obli-

oblitus ſim, ſub quo ſum; quantumcunque tranſiliero, ſub Deo ero. Probè id expendit Princeps regius, quem hodie Eccleſia veneratur. Sacrificio incruento mente in Deum adeò erectâ adſtabat, ut extra ſe rapi videretur. Nihil attendebat ad natales regios, quos erat ſortitus, nihil ad aulæ, Procerumque obſequia; ſoli Deo, ac divinis myſterijs immerſus erat. Nempe (a) inde mens ad ſumma volat, unde caro in infimis duriùs laborat. Si etenim dignitates compedes ſunt, quæ hominem in terris detinent; quàm celſus Caſimiri animus, qui, illas nihil moratus, adeò totus in ſuperna evolat, ut à ſenſibus abire crederetur?

Infixus ſum ego in limo profundi; & non eſt ſubſtantia. Non diadema regium, aut purpura, ſed nugæ inanes, cerebri delirantis ſomnia, affectus ad reculas pueriles me conſtringunt. Infigor limo terræ; res nullius ſubſtantiæ me occupant; rumor leviculus, riſus effuſior, curioſitas quælibet, diſtinctio perſonarum, quodvis vanitatis objectum ſufficit, ut animum in diverſa diſtrahat, & à Dei præſentia abduçat, dum in templo moras traho, vel etiam ſacris operor. Diſcedere ab Altari non licet, poſt ſacrum ſemel cœptum; & licitum ſit, mente aliò evagati, ac forum percurrere; neque attendere ad Deum præſentem, prorſus ac ſi non totum negotium cum ipſo eſſet? Numquid hoc eſt colloqui Deo, & tergum ſimul obvertere eidem? numquid hoc eſt genu ipſi inflecte-

(a) *Gregor. in Job. 5.*

... cum ſcurris, coronam ſpineam ... dere? Numquid de talibus ma... apud Prophetam: populus hic la... ; cor autem eorum longe eſt à ...

... ſu, qui ſummum es bonum, ſumma ... requies mea; tibi ſoli, ac miniſte... mo, cum D. Caſimiro intentus ero, ... niam incruentam tibi deinceps obtu... largire gratiam, ut corde, ore, opere ... continens, ac devotus; malimque

***Mori, quàm fœdari.***

---

## iij. Non. Mart. 5. ejuſdem.

### *S. Conon Martyr.*

EXiſtimat Dionyſius Carthuſianus, (*a*) Angelum illum, qui ad aram templi conſiſtens, thuribulum aureum in manu geſtabat, divum Michaëlem fuiſſe, ſummum Eccleſiæ cuſtodem; hic ſiquidem ſtat ante Altare aureum, habens thuribulum, charitatem nempe ardentiſſimam, quâ clientes ſuos complectitur; & colligens opera eorum bona, ut Deo offerat, velut incenſum.

Operam ſuam Princeps iſte exercituum ſuperno-rum præſtitit ſancto Cononi Martyri, oſtendens modum, ac rationem, quâ ad menſam divinam devotè accederet, ſacrificiúmque omnium diviniſſimum offerret. Inde magnum in dœmones impe... cinuit Sanctus ille, aureolâ Martyrum pla...

nè

nè digniſſimus, ad quam parentes ſuos ( quos Chriſto genuerat antè ) præmiſit.

Collige, militiæ cœleſtis Signifer, & Ductor Angelorum, ſacrificia mea quotidiana; & ut digna fiant Dei oculis, injice ea thuribulo tuo aureo. ta ab omni perpurgata labe, Deo grata in odorem ſuavitatis aſcendent. Multa de lapide ſuo omminiſcuntur philoſophi, cujus virtute metalla iliora in aurum mutari volunt: tu gemma es preioſiſſima, S. Archangele, cujus virtus longè efficacior eâ, quam lapidi illi fabuloſo affingunt inaiſſimi naturæ ſcrutatores; opera autem mea de metallis vilioribus habent plurimum: de plumbo, uia terram ſapiunt; de ferro, quia à rubigine exeuntur; tu igne amoris tu Seraphici ea ſolve, ac i aurum transmuta; depura illa, ac digere, ut e manu tua, velut fumus aromatum in conſpectu omini aſcendant. Scio, te præcipuè delectari hoiæ incruenta oblatione; cùm enim ſancta Gerudis accederet aliquando ad ſacram Communioem, eámque Spiritibus Angelicis offerret; vidit s ipſos gratias ampliſſimas ſibi agentes pro muere tam divino, ac patrocinium ſuum, tutelámne prolixiùs inde promittentes. Accipe igitur, ncte Archangele, tutelaris colendiſſime, de maa mea Sacrificium hodiernum, quod Deo optio maximo pro augmento cultûs tui, ac gloriæ ſero, rogans ſuppliciter, Angelico patrocinio o mihi adeſſe non dedigneris, præcipuè pro ſuema illa ac decretoria pugna, quæ diſceſſurum e ex vita hac manet. Suſcipe tunc animam

meam,

meam, qui à Deo constitutus es super omnes animas suscipiendas; adesto tum, quando appendendus sum in statera; ne inventus minùs habens, projiciar in tenebras exteriores; effice meritis tuis, ac precibus efficacissimis, ut in tuo, omniúmque Angelorum conspectu

*Psallam æternùm DEO nostro.*

## Pridie Non. Mart. 6. ejusdem.

### *B. Coleta Virgo.*

RElegiosas sanctæ Claræ filias ad rigorem primævum revocavit B. Coleta, Christo desponsata à divo Joanne Apostolo paranympho. Matri dolorosæ devotissima, ex ejus sinu Christum, vulneribus confectum, meruit suscipere, ac amplexu stringere, edocta insuper eâdem Magistrâ, quæ Christus à cunis singillatim passus fuit. Martyrum cruciatus perpeti desiderans, dolores sensit atrocissimos. Agnum innocentem docuit sacram Hostiam, dum elevaretur, adorare. Cùm oblitus fuisset aliquando confessarius consecrare particulam, quam Coletæ porrigeret; adfuit ipse Christus, Sponsámque epulo divino refecit; & morientem denique in thalamum cœlestem induxit.

Dixerat olim Hæmorrhoissa: si tetigero solummodo fimbriam vestimenti ejus, salva ero. Quidni & nos sanemur, dum non fimbriam, aut vestes corporis, sed ipsum corpus divinum tangimus, imò manducamus? (a) Ii, qui fimbriam vestimenti ejus teti-

(a) *Chrysost. Hom. 5. in Matth.*

uic minime conformari; tuus eit enim or-
rum, & quidquid ejus ambitu continetur;
:cipis à nobis munera, ſed ea potiùs in nos
inu ſpargis. Scio denique, quam à nobis
mercedem: præbe, inquis, fili, cor tuum
'aratum cor meum, Deus, ad hoc operæ
ium ex animo tibi rependendum: ecce
m, contritum & humiliatum, immundum
ſed quod tu, medice divine, mundare po-
ddò velis; ſordidum, tu illud expurga;
ı, tu nexu obſequij tui conſtringe. (a) Ap-
olim mulierculæ cuidam, & eo ipſo qui-
npore, quo ob mortem amaſij ſui acta in
maledictis blasphemiisque in te debaccha-
órque dulciſſimum manu præferens, amo-
n allocutus dixiſti: quid me blasphemas,
dono tibi cor meum, amore erga te ple-
ta videlicet ſanas inſaniam noſtram, Me-
irande; ita curas vulnera; ita bonis ma-
enſas. Equidem non te blasphemo ego;
ùs ipſe maledictum, & ignis æterni pa-
abjectio hominum, & opprobrium unio
n. Quum itaque maledicis etiam tam ſua-
exhibeas; utique ſperandum mihi erit de

tua miſericordia, manúque medica, applicanda malis meis; tu enim

*Sanas contritos corde.*

## Non. Mart. 7. ejuſdem.

### *S. Thomas Aquinas E. D.*

DOctorum Angelus Thomas exactiſſimè ſtuduit pudori ſervando; turpem quippe mulierculam titione, quem è foco rapuerat, in fugam egit: tum coram cruce, quam deſcripſerat in pariete, orans, cùm obdormiſſet, lumbos ſibi cingulo adſtringi ſenſit ab Angelis, ab omni poſthac libidinis ſenſu prorſus immunis. Eum ſolam Dei in omnibus reſpexiſſe gloriam, ſtella teſtata eſt, quâ inſignitus in pectore, poſt mortem ſe præbuit viſendum. Studium ab oratione ſemper auſpicatus eſt, eo ſucceſſu, quem præclariſſima ejus opera loquuntur. Ita nempe Deo placet, cui viciſſim placet Deus. Verùm non in ſcholis ſolùm Magiſtrum ſe probavit D. Thomas, ſed in digno etiam ad Altare acceſſu; cui ſemper præmiſit amoroſam conſiderationem de infinito Chriſti erga nos amore, de paſſione item dominica, exhomologeſin quotidianam ſubjungendo; dicere ſolitus, ſindone mundâ Chriſtum involvi, quum purâ mente recipitur. Ortâ inter Doctores Pariſienſes quæſtione, quâ ratione accidentia panis & vini ſubſiſtere poſſint, nullâ nixa ſubſtantiâ? rogatus, ut mentem ſuam exponeret Thomas, inducias in diem alterum pactus, conceptam in charta

inam ſuam aræ manè impoſuit, fervidiſſi-
ibus inſiſtens apud Chriſtum, è cruce ſu-
, dignaretur ſibi revelare, an ſcopum te-
Mox audijt ex ore dominico: bene ſcrip-
oma, & tantum, quantum viator poteſt
le tanto myſterio. Simile oraculum ac-
ore imaginis cujuſdam Chriſti crucifixi
vieti etiamnum ſervator) probantis Offi-
iod ex mandato Urbani IV. ſummi Ponti-
npoſuerat ſanctus Doctor in honorem Au-
i Sacramenti.
dhæret Domino, unus Spiritus cum ipſo
, inquit Apoſtolus. Indè de corde bono
io prodeunt opera bona, juxta illud: bo-
io de theſauro bono profert bona. Mi-
inde non eſt; doctrinam Angelicam tradi-
ctum Thomam, qui angelicè vixit. Ve-
m abominabilis coram Deo eſt anima mea,
is languoribus oppreſſa continuò, febri-
arium propenſionum indies effervescens
m ingruunt frequentes relapſuum paroxis-
animi mœrores ac remorſus conſcientiæ
:; modò nutat in bono voluntas; nunc
npatientiæ inſurgunt; nunc mens dejecta
modò lethargus memoriam eripit Dei, ac
livinarum. Sileo complura alia, miſellam
meam infeſtantia; ut proin meritò timor
conturbet me; quid namque impendet ob-
n malo, niſi ultrix Dei manus? De hac verò
liberabit? quis à morte perpetua aſſereret?
bitur ab ira Judicis venturi? Tu ipſe, Sal-

vator meus, miſerator & miſericors, qui n veniſti vocare juſtos, ſed peccatores; cujus n ſerationes ſuper omnia opera ejus, qui es

*Agnus DEI, tollens peccata mundi.*

---

viij. Idus Martij. 8. ejuſdem.

*S. Joannes de Deo Fratrum Miſeric. fund.*

FElix hic Dei famulus, cùm ſacratiſſimo ritè d cedentium viatico muniretur, præſentes h buit Virginem Deiparam, unáque ſanctum Joa nem Evangeliſtam, cum Angelorum Principe M chaele: è quibus illa ſudorem moribundi deterge ſtrophiolo mundiſſimo, opem maternam pro gone impendente ultrò benevolè adpromiſit.

Refugium peccatorum, Maria, ſis Mediatrix i ter me, & Filium tuum; ut eundem ſuffragio tu dignè recipere merear in hac vita, habeámque pl catum; nec poſt mortem ſentiam iratum. Sp mea unica, poſt Deum, appone erga me cor tuum ut nil amem, quod mundum non ſit; nil, n quod ſanctum, cogitem; nil affectem, quod non more dignum. Cùm itaque poſt Deum ſumma te ſit puritas, ſanctitas celſiſſima, & abſoluta am bilitas; præ alia quavis re creata te amem arden ſiſſimè, mente aſſiduò volvam, & animitùs de derem. (*a*) O benedicta, in qua Deus magnus f ctus eſt puer parvus, Deus ſempiternus creatura id tamen, quod fuit, permanſit. Impetra mihi ut nullius peccati delectatio me alliciat; ut mun

amor

---

(*a*) *Revel. S. Birg. l. 3. c. 29. fol.* 203.

amor in me moriatur; ut contritio perperàm admiſſorum ſit ſtabilis, perſeverans patientia, pœnitentia fructuoſa. Fateor, tenebris me obvolutum propter vitia mea, ſordibus oppletum propter libidinem, diſtortum ob perverſas cupiditates, ob ſuperbiam inſtabilem, labilem ex vanitate; Tu Templum es Solymæum, cujus parietes auro obducti, tecta nitentia, interiora ſplendidiſſima; in quo verus oblectatur Salomon; in quo ima ſummis reconciliata; data vita mortuis, & pauperes ab exactore liberati. Parietes Templi ſunt vita tua, aſſiduo virtutum celſiſſimarum contexta exercitio; tectum, ſubmiſſa cœlo voluntas tua; inde nullo turbata ès opprobrio; nullo honore elata; nullâ concuſſa impatientiâ: omnia in te tranquilla, omnia conſona rationi, & ad leges divinas exacta. Mane itaque mecum, ô Maria, per gratiam tuam, nec unquam me deſere; tum præcipuè, quum irruent in me beſtiæ, ad devorandum. In illa hora decretoria abſterge, ô pijſſima afflictorum conſolatrix, ſudorem, quem mortis præſentis, ac impendentis judicij metus eliciet; animos tum ſuggere, ac JEſum, fructum benedictum ventris tui oſtende; cùmque is in tribunali ſuo conſederit, ſententiam nullatenus revocabilem in me pronunciaturus; tu pro me intercede, ac placabilem illum redde,

*O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

## vij. Id. Martij 9. ejuſdem.

### *S. Franciſca Romana.*

OB morum integritatem, ac vitæ auſteritatem, Angelo tutelari familiariſſimè uſa eſt ſancta hæc Matrona. Non minùs propitios habuit Chriſtum ſponſum divinum, & ſanctiſſimam ejus Matrem: ille ſiquidem comedenti, hæc decumbenti aſſedit; imò & Infantulum divinum Franciſcæ credidit, ſinu fovendum. Chriſtum in ſacra hoſtia vidit aliquando ſub nivis candidiſſimæ, aliàs ſub ignis ſchemate; in cujus ſumptione à ſe frequenter abiens, mira Dei arcana didicit. Cùm ambigeret, ánne abſtinendum ſibi à menſa Euchariſtica ob defectus quotidianos; Deiparam ſpectabilem habuit, monentem, communionem ſacram inde non omitteret; veniam daturum Deum, modò fide ardenti, ac reverentiâ debitâ, cum humili perperàm factorum deprecatione accederet.

Non vereor ego, optime JEſu, Altare tuum accedere, utut ijsdem ſemper defectibus onuſtus, quin ſeriam eorum emendationem unquam proponam. Imò plures haud rarò, & graviores ſuperaddo. Certè deſperandum mihi eſſet, niſii de bonitate tua ſperare me juberes inquiens: *eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* En, hâc inductus invitatione, venio ad te ardenti fide, omni poſſibili reverentiâ, & humili malè admiſſorum deprecatione. Venio ad te, à quo receſſi, *ſicut ovis, quæ perijt*; doleo, quantum poſſum, & angor animi *tuis, quòd* peccata eadem toties iterârim; quòd

canis adinſtar redierim ad vomitum, eáque reſorbuerim, quæ toties ore ac corde, ad pedes tuos abjectus, fueram deteſtatus, clavibúsque Eccleſiæ ſubmiſeram: Spem tamen nunc etiam retineo, ac in tua confido miſericordia; tu enim Petro, quærenti: quoties dimittam fratri meo? uſque ſepties? ore divino repoſuiſti: non dico tibi: ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties; quoties videlicet ab eo fuiſſet offenſus. Inde venio ad te, Pater miſericordiarum, qui, cùm è regione longinqua remearet prodigus, in amplexus prior ruiſti. Venio ad te, cœleſtis Archiater, qui ſanas contritos corde, & alligas contritiones eorum; ut medearis mihi pretioſiſſimo balſamo vulnerum, livorum, languorum ac dolorum tuorum. Venio ad te, animarum noſtrarum Paſtor ſolicite, qui oves perditas requiris, colligis diſperſas; qui vias duras & aſperas percurriſti, ac veniſti, ut quæreres, & ſalvum faceres, quod perierat: Suſcipe me, velut Pater; ut medicus, ſana; cura, velut Paſtor, qui cuore proprio oves tuas ſaginas: Ita ſanguine tuo diviniſſimo lotus

*Super nivem dealbabor.*

---

## vi. Id. Martij 10. ejuſdem.

### *Converſio S. Mariæ Magdalenæ.*

BEata Maria Magdalena, Chriſti verbo & exemplo revocata ad frugem, lacrymis hodie lavit maculas criminis; & amoris magnitudine veniam promeruit delictorum, auditque ex ore Domini:

*Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* (*a*) Conſideravit enim, quod fecit, & noluit (utut in publico convivio) moderari, quod faceret. Cujus igitur vel ſaxeum pectus illæ lacrymæ ad pœnitentiam non emolliant? (*b*) Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam; (*c*) neceſſe enim eſt, talem præmitti præparationem, qualem ciborum ratio petit. Recipis ſupremam majeſtatem; humilitatem infimam affer: Filius Dei ſeipſum donat tibi; tu teipſum viciſſim exhibe in ſervum ac mancipium ſempiternum: recipis fructum ſanctiſſimæ Humanitatis ejus; tu ergo fructifica in domo Dei, ſicut oliva fructifera: capis item fructum amariſſimæ paſſionis illius; itaque ſubmitte te divinæ ejus diſpoſitioni, tam in proſperis, quàm adverſis. Inde quotidiana ſacri hujus myſterij frequentatio remedij locô ſerviet contra peccata quotidiana; erit præſidium in infirmitate, in fragilitate munimen, in egeſtate locupletatio; propenſiones malas frænabit, expugnabit vitia, ſolidabit in bono, mediúmque erit, gratitudinem noſtram pro beneficijs acceptis erga Deum teſtandi. Itaque cum Magdalena menſæ divinæ me ingeram hodie; & ad pedes Domini mei abjectus, humili cum reverentia eos exoſculabor, rigabo fletibus, confitebor adversùm me injuſtitiam meam, vulnera detegam medico cœleſti, & exactiſſimè inſpiciam, faciámque ſecundùm exemplar, in domo Simonis lepro-

(*a*) *S. Gregor.* (*b*) *Prov.* 23. (*c*) *Carthuſ. in opuſc. de vit. Incrat. c.* 26.

leproſi mihi monſtratum hodie; audiámque Chriſtum, me compellantem: vides hanc mulierem? Hæc ſtella eſt, à recto tramite exerrans hactenus, ſed ad ſolem divinum converſa, felicem curſum ſuum modò auſpicata eſt. Petra eſt duriſſima, nulli hucusque cedens ictui; ſed percuſſa virgâ pœnitentiæ, lacrymas dedit adeo copioſas, ut pedes Domini ijſdem rigârit. Tu verò (meritò mihi Chriſtus exprobrat) aquam pedibus meis non dediſti; culpas tuas non eluiſti; neque tantâ me, ut Maria, teneritudine dilexiſti. Confiteor, ô Domine, confiteor adversùm me injuſtitiam meam; fletu uberi culpas expio, dicóque ex animo:

*Væ tempori illi, in quo non amavi te.*

## v. Idus Martij 11. ejuſdem.

### *S. Catharina Bononienſis. (a)*

IPsâ nati Servatoris nocte alma Mater ſanctæ Catharinæ Bononienſi divinum Infantulum ſtringendum brachijs dedit, ac diſuaviandum. Sacro aliquando aſſiſtens, Angelos canentes audijt: *Gloria ejus in te videbitur.* Devotionem, quâ in Auguſtiſſimum amoris myſterium ferebatur ſancta hæc Virgo, ut minueret invidens orcus; acerrimis eam tentationibus de præſentia Chriſti in ſacra Hoſtia aggreſſus eſt. Inde ſummos angores, mentis exilia, tenebras intellectûs, in ipſa etiam divini epuli ſumptione perpeſſa eſt. Sacrum ejus cor-



(a) *Ord. S. Claræ, mort. anno* 1463. *Sanctorum albo inſcrip.* 1712. *à Clem. XI.*

pus decimo nono, poſtquam deceſſerat, die à Sanctimonialibus erutum, ut loco decentiori poneretur, faciem primò exhibuit, omni ſpecie prorſus deſtitutam, cùm reliquæ corporis partes apparerent formoſæ, & à corruptione immunes: Cùm verò Eccleſiæ limina attigiſſent bajulæ; integra priùs, tum vivo colore, & mirâ luce circumfuſa conſpecta eſt; &, quod ſtupendum magis, quum funus ante aram principem locaretur, è ſandapila ſeſe erexit Virgo beata, Deúmque Euchariſticum, ibi latentem, demiſſo geſtu venerata eſt. Sacræ hæ Reliquiæ, ab omni prorſus corruptione intactæ, ad magnam Dei, in Sanctis ſuis mirabilis, gloriam, hodiéque ſpectandæ exhibentur.

Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, non ex voluntate Dei, anguſtias cordis, ac mentis aridiatem immittentis bono meo, ſed ex ſpiritûs mei tepiditate, evagatione animi, & rationis inopia, quâ ad aram accedo, ac inde recedo. Quare meritò timeam fulmen illud terrificum: *quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo.* Tu, Domine, qui micas, è divina menſa tua decidentes, haud negas famentibus; me quoque indignum iſdem refocilla. Scio equidem, non accendum ob dulcedinem, quam in filios, tibi ſpeciatim dilectos, demonſtrare quandoque ſoles; id quippe aliud non foret, quàm quæſtus ſuiipſius: Si tamen illam meritò mihi ſubtraxiſti; vel micam denuò indulge, non ut ſuavitate tuâ inebrier; ſed ut ad majorem excitet devotionem. Cæterùm

dum

dum quis attentè ſacrum perficit myſterium, debitáque cum præparatione & devotione accedit, receditque; non eſt, quod quis timeat, exemplis aliorum Dei famulorum roboratus, qui ſpiritûs aridítatem frequenter ſunt experti. *Aruit cor meum*, ut queritur David, *quia oblitus ſum comedere panem meum.* Idem ne mihi accidat, accedam quotidie; & (*a*) unus mihi dolor erit, hâc eſcâ privari. Quando enim (*b*) Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Eccleſiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præſtat, & ſeſe bonorum omnium participem efficit. Dum ex adverſo (*c*) Sacerdos, non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in ſe eſt, privat SS. Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, juſtos ſubſidio & gratiâ, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpirituali beneficio, & ſeipſum medicinâ & remedio. Sit igitur

*Unicus mihi dolor, hâc eſcâ privari.*

## iv. Idus Martij, 12. ejuſdem.

### *S. Gregorius Magnus. E. D.*

NOmine magnus, officio maximus erat S. Gregorius, tanti meriti Pontifex, ut inter pauperes, ipſos etiam Angelos, & Angelorum Dominum, Chriſtum, hoſpites habere meruerit. Cùm ſæva per Urbem lues fureret; imaginem Virginis

(*a*) *S. Chryſoſt.* (*b*) *Kemp. l. 4. de Imit.* (*c*) *Ven. Beda.*

ginis Deiparæ ( quam ſancti Lucæ opus eſſe volunt) ſolenni ſpuplicantium agmine deferens, in vertice molis Celiæ vidit Angelum, cruentum mucronem abſtergentem, ac vaginâ eum recondentem; alios inſuper genios cœleſtes audivit, feſtivum illud *Regina cœli* Eccleſiæ præcinentes. Cùm intellexiſſet aliquando, fame nonneminem confectum obijiſſe; magnopere ſibi ſuccenſuit, ſéque reum mortis illius egit, utpote Patrem, quì providere ſuis neglexiſſet, juxta illud Apoſtoli: (a) *Siquis ſuorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Quare ut meritas ſe judice lueret pœnas, epulo divino ſibi per dies aliquot interdixit, à ſacro Altari abſtinendo. Quot jam patres-familias ac Magnates pane ſuos fraudant!

Altiori nempe indagine ſancti ac juſti errores ſuos ſcrutantur; ac nævos ſubinde deprehendiſſe credunt, ubi nulli ſunt. Alijs, & plusquam lynceis oculis vel minima detegunt, ſéque incuſant, ubi nos defectum nec ſuſpicamur. O JEſu, hominum Judex æquiſſime, en pedibus tuis advolutus, ſummo cum tremore, de ſalute vix non dubito: ſi enim *juſtus vix ſalvabitur*; impius ego, & peccator ubi parebo? qui, etſi juſtum quid habuero; tamen Judicem meum deprecabor. Te igitur, quem Judicem ſuſtinere non potero, ſalvatorem habere exopto. Quodſi meritæ ſatisfactionis loco aliquid exigis; quid aliud offeram, quàm hoſtiam placationis, teipſum, qui in ara

Cru-

(a) 1. *Tim.* 5.

Crucis pro totius mundi ſoſpitate temet immolâſti. Ut igitur de donis tuis, ac datis placatum te habeam; infinita tibi merita tua, paſſionem, dolores, vulnera, flagella atrociſſima, diriſſimas ſpinas, crucem & mortem acerbiſſimam ſimul ac ignominioſiſſimam offero. Secundùm hæc itaque dignare me judicare, non juxta demerita mea; pone paſſionem, crucem & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam. Ita te ſpero pium mihi ſervatorem,

*Quem Judicem non potero ſuſtinere.*

---

## iij. Idus Martij, 13. ejuſdem.

### *S. Damianus Archiep.*

RAvennates paſcebat S. Damianus Archiepiſcopus; cui cùm ſacris operaretur aliquando, ad latus adſtitit juvenis, veſte ac facie ſplendidiſſimâ, cujus fulgor in ſancti Præſulis vultu reflectebatur; videbatúuque is adſtantibus Angelum lucis induiſſe. Aliàs, cùm noctem coram ſacratiſſimo Euchariſtiæ Myſterio ageret pervigilem, fervoréque Spiritûs elatus caneret: *montes & colles cantabunt Deo laudem*; mox vidit lapides ac muros templi, columnas item, & trabes, velut in tripudio, ſe movere, Deóque laudes hâc ratione decantare; quo ſtupendo motus prodigio, ſacram Hoſtiam paulò pòſt Deo obtulit eâ teneritudine, ac devotione, ut Hebræus quidam, fortè præſens, converſus petierit ſacrum epulum; quod ei Antiſtes pijſſimus, poſteaquam ſacris undis luſtratus fuiſſet, ſuâ manu porrexit. Si-

(a) Sicut ſolis lumen ſanis oculis eſt delectabile, ægris verò exoſum; ſic corpus Dominicum innocentibus, ſalutis eſt medicamentum, ſceleſtis autem mors animæ. (b) Ita venit mundiſſimus Sol usque ad ipſum miſerum hominem, cum propria carne & ſanguine, juſtis quidem in adjutorium, injuſtis in perditionem. Sol juſtitiæ, JEſus Chriſtus, Dominus noſter, Sacramentum hoc in Eccleſia ſua oriri facit ſuper bonos & malos; uti quondam carnem ſuam ac ſanguinem proditori æquè, ac Petro porrexit.

Quoties ego, cùm proditionis reus eſſem, te ſuſcepi, JEſu piiſſime, ijs mixtus, qui (c) amant veritatem lucentem, oderunt autem eam redarguentem. Accedens delector in te, tanquam bono ſummè delectabili; recedens à te, ſimilis ſum montibus, ubi tacti fuerint, fumigantibus; ſimilis arundini, à quolibet vento in partem quamcunque impellendæ Convivio paſcor cœleſti; ſed menſam quoque libo Babylonicam, in qua mundus, caro, ac dæmon, dapes apponunt ſummè noxias, dulcíque veneno infectas. Nunquid propudioſum foret, menſæ regiæ lautitijs ſaginatum, mediaſtinorum ſeſe intrudere convivio, & viliſſimis eorum cibis farcire? Ita fideles tui, Domine, (d) qui verè cognoverunt te in fractione panis, hoc uno contenti ferculo, omues mundi delitias aſpernantur. Euphraxia (e) puella ſeptennis, regij

(a) *Laur. Juſtin. de Ven. Sacr.* (b) *Anſelm. in Rel. alloqu. n. 43.* (c) *Auguſtin.* (d) *Cypr. ſerm. de Cœna Dom.* (e) *Surius hâc die.*

gij ſanguinis, Monaſterium quoddam Sanctimonialium ingreſſa cum Matre, imaginem Chriſti crucifixi tenerrimè amplexata, adeo ejus amore exarſit, ut ſpretis principis adoleſcentis nuptijs totam ſe Deo conſecrârit; abſtinentiaque & patientiâ munita, poſt iteratos cum dœmone, & invidia congreſſus, viſa ſit ab Angelis in cœlum deduci, & à Maria Virgine ſerto nuptiali decorari.

Igitur & mihi Deus ſolus ſufficiat, ſolus ſapiat cibus Euchariſticus; quæ enim conjunctio Chriſti ad Belial? vel quæ pars Deo in infideli? Hic totum poſcit hominem, & exitium minatur ijs, quorum cor diviſum eſt: Aſſere me, pijſſime JEſu, ab hoc exitio; & effice lapidem vivum, lapidem ſanctuarij, qui de pariete clamet ad te:

*Miſerere mei, quia in te confidit anima mea.*

## Pridie Id. Mart. 14. ejuſdem.

### *S. Mathildis Regina.*

OThonis Magni, Cæſaris Auguſtiſſimi, Mater, S. Mathildis Regina, aſſidua in divinis laudibus celebrandis, in egenos profuſa, blanda erga peregrinos, domeſticorum in via virtutum magiſtra; cujus anima innumeris ſtipata Angelorum myriadibus, unà cum anima Bernardi Epiſcopi, tunc pariter vitâ functi, cœlis illata fuit.

Dixerat olim de ſe vates regius: unam petij à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Idem optavit, & omnino obtinuit S. Mathildis, vidua; quæ,

ut ſacro Altaris Myſterio propior eſſet, cellulam conſtrui juſſit, Eccleſiæ contiguam; quam noctu ingreſſa, poſt modicam quietem coram auguſtiſſimo Sacramento in terram abjecta, in legendis, audiendisque divinis laudibus tempus dulciſſimè inſumpſit.

O ut & ſpiritus meus exultet in Deum vivum! ut ſitiat anima mea ad fontem aquæ, ſalientis in vitam æternam! Certè ſi moleſtum videatur, mediâ nocte Deum adorare, id ſaltem fiat, antequam ad quietem me componam. Quodſi aditus ad templum minùs pateat; licebit è feneſtra vultum cum Daniele eò convertere, ubi theſaurus divinus aſſervatur. Et quid vetat, precibus matutinis juxtà, ac veſpertinis crebrò inſerere verba illa: *Laudetur, & adoretur* ſacratiſſimum Altaris Sacramentum?

Pijſſime JESU, infinitæ pietati tuæ commendo me, undequaque miſerrimum; qui cor tuum dulciſſimum, amore mei transfixum in cruce, in hoc admirabili myſterio appoſuiſti erga me: facultatem indulge, ſubeundi illud tutiſſimum animæ meæ aſylum; ibi me abſcondam, ibi latebo ſecurus; &, ſi fueris iratus, miſericordiæ recordaberis, cernens, ſacratiſſimo cordi tuo me inſerrum.

Ibi deliteſcam, ſicut tu in ſacra Hoſtia panis ſpeciebus involveris. Verùm cur ita lates, Domine; Nempe ut bonis malisque te adaptes; his, dum tenebris offuſos meritò relinquis; uti enim palpebræ debiles nictant ad lucem, ita hoſtes Chriſti,

elut noctuæ, offenduntur, dum cernunt, homihem verè hìc manducari. Certè ſi perfidi abierunt retrò, dicentes: quomo- teſt hic nobis carnem ſuam dare ad mandu- m? durus eſt hic ſermo: quid jurati Chriſti , & nefarij hæretici dicent? Bonis igitur n eſt: (a) *comedite, amici.*, & vitam qui- non mortem; (b) ſiquidem ut noſtræ infir- parcat, ſemetipſum in ſuæ Majeſtatis clari- on manifeſtat, ſed quaſi ſub quodam vela- ſe occultat. Quodſi enim Daniel ſolo An- ſibi colloquentis, aſpectu ita defecit, ut vi- omnino deſtitueretur: (c) emarcui, nec nam habui virium, ſed & ſpecies mea im- a eſt: quid foret, ſi non Angelum, ſed An- m Dominum, non ſtellam aliquam, ſed ſo- ſum contueremur? Revera impij ab incre- ie vultûs divini perirent; boni verò maje- n tantam ferre non poſſent; Bonum proin, mentum Regis hìc abſcondi; ſed & mihi bo- in Domo DEI mei abjectum latere, ſub a arboris Euchariſticæ quieſcere, cujus fru- ulcis gutturi meo. Domine virtutum, Rex , & Deus meus,

*ti, qui habitant in Domo tua.*

---

## Idibus Mart. 15. ejuſdem.

### *S. Longinus Martyr.*

lantæ efficaciæ fuerit Chriſti, in cruce pro

O ini-

---

*Cant.* 5. (b) *Hugo à S. Vict. in Cant.* 3. *Dan.* c. 10.

inimicis Patrem deprecantis, oratio, in Lo
patet; is quippe, cùm ex gutta cruoris d
quem lanceâ è Servatoris latere ipſe elici
oculorum ſalutem recepiſſet, in animum
fidei lumen admiſit, Chriſti exemplum, quo
hauſerat oculis, auribúsque, facto ipſo ſe
ſiquidem miſſos à Pilato ad ſe necandum milite
paro excepit convivio; inde veſte albâ candi
ultrò ſe obtulit gladio feriendum.

Vidit hâc die S. Franciſca Romana, à ſac
pulo redux, apertum Servatoris latus, è qu
rus fulgor promicabat; ipſum verò ſacratiſſ
Domini corpus tam ei videbatur glorioſun
Deitatem in illo, velut ſpeculo, contueretu

Humilitate ſolitâ motus de ſe dixit S. Phil
Nerius, idque ego revera uſurpare poſſum:
num eſt vulnus ſacratiſſimi lateris tui, piſſime
vator; ſed niſi tu manus mihi teneres, long
gis id lacerarem. (a) Ferrea ſcilicet vol
mea, quæ nec bonis flectitur, nec malis inhib
lancea illa immanis eſt, cor tuum ſanctiſſimum
nerans. Equidem (b) ne amplius fugeremus
humanitatem meam tibi inſeparabiliter co
gere voluiſti; at ferrea mea voluntas nec fl
nec conjungi vult; ferrum ſaltem igne moll
ignem ſuccendiſti in furore tuo, qui ardebit
que ad inferni noviſſima, diabolo paratus, &
gelis ejus; verùm nec huic cedit voluntas mea
rea: vincat igitur eandem ignis, non viole

il

(a) Lege Juſtin. incend. amor. div. c. 2. (b) Be
de div. amor.

ille, ſed totus ſuavis, non infernalis, ſed divinus, ignis ille, quem miſiſti in terras, nec aliud vis, niſi ut toti eo ardeamus, ignis amoris tui; quo ſi minùs placuit hucusque te amare, ſaltem non jam diſpliceat, te redamare; ſic enim amâſti me, ut totum te dederis pro me; ut ipſum jam (a) dominicum ſanguinem ſugamus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera linguam figamus; totus itaque hoc ardeam amore, totus abeam in te, totus abſorbear ac contegar vulnere ſanctiſſimi lateris tui. Et (b) quomodo non tota abſorbeatur anima mea, cùm intrat per venas ad cor JEſu? Permiſiſti, Domine, ut ferrum illud, creatura inſenſibilis, ſacratiſſimum corpus tuum penetraret, ac cor tuum attingeret; & me, ſenſu ac ratione præditum, cujus amore talia paſſus es, non feras eò ſubire? (c) Inſignia Domini mei JEſu porto; & ſic nullus ſupra me jus habet, præter ipſum. (d) Non ſaxum, creaturas, ſed portum, Deum, quæro. O fortunatiſſima, & peculiari affectu dilecta Chriſto Sponſa, Gertrudis, cujus anima, hinc decedens, latus Chriſti ingreſſa, ac ſic cœlo illata, Patri æterno exhibita eſt! Ora pro me, ut & mihi morienti pateat cor dulciſſimum ſervatoris mei; ſit vulnus ſacri lateris tum aſylum mihi tutiſſimum; ſit perfugium, in quo hoſtibus, tum vel maximè imminentibus, me ſubducam; ſiquidem

*Intra brachia Redemptoris mei vivere volo, & mori deſidero.*



(a) *Cyprian. ſerm. de Cœn. Dom.* (b) *Bonav.* (c) *S. Thom. in Pſalt.* (d) *S. Aug. l. 2. c. 2.*

xvij. Cal. April. 16. Martij.

*S. Heribertus Colon. Archiepiſcopus.*

SUmma cum reverentia, morúmque gravitate Sacrum obibat S. Heribertus, Archiepiſcopus Colonienſis; in cujus geſtis refert Surius, Epiſcopum quemdam, linguæ garrulæ fræna laxantem ſub Miſſa, ſeveriſſimè à Deo fuiſſe punitum. Aqua, quâ ſanctus Pontifex digitos abluit, dum ad aram faceret, diuturnum capitis oculorúmque dolorem abſterſit ſancto Fulberto Abbati: eadem aqua cæcæ mulieri diem reddidit.

Quantâ incuriâ, immodeſtia, morúmque levitate ſacris operari ego ſóleo, & multi mecum Sacerdotes, commiſſum miniſterium non, ut par eſt, æſtimantes! Verè non eſt ſcientia Dei in terra, apud eos quoque, qui illam profitentur. Equidem non ſemper punit Deus; monet tamen ad emendationem: (a) quantum (verba ſunt magni Gregorij) quantum nobis noſtri judicis facta eſt ſeveritas temperata; tantum erga ſe debet fieri noſtra infirmitas accenſa: peccata enim, quibus Deus per manſuetudinem parcit, in nobis per pœnitentiam punire opus eſt. Mores proin externos, affectúsque internos reformabo, quoties ad ſacrum Altare accedo; cohibebo linguæ libertatem, immodeſtiam ponam ac levitatem, dum ſacro me paro; in ara ipſa attentus ero, devotus, oculis ac animo collectus; ſtudebo pro viri-

(a) *Hom. 30. in Evang.*

ribus ac imbecillitate mea rem tantam dignè rtractare, ac fructum debitum inde capere; bnectam deniqúe humilem gratiarum actionem, uâ nova à DEO beneficia mereas obtinere. uodſi à divino hoc ſacrificio vis tanta vel in ſolam olutionem derivata fuit, ut externos corporis ſterſerit defectus; quanta virtus ipſi inerit Sacra- ento, dum ad medullas usque animæ penètrat, obísque intimè unitur? Hæc tanta eſt, ut nedum fficiat ampliſſimè defectibus mentis eluendis in ac vita; ſed & beatitudinem æternam conferre altera poſſit: (a) tenemus ſanguinem Chriſti; , quod majus eſt, tenemus; quod minus eſt, eremus: majus autem eſt pretium ſanguinis Do- inici, quàm univerſa cœli gloria. Quia verò ad anc nil intrabit coinquinatum; ipſe ſanguis Chri- i ab omni peccato nos emundabit. Teſtem ad- uco Mariam, S. Abrahæ eremicolæ neptem, (b) uam patruus vidit in ſomnis ſub columbæ ſche- ate devorari ab immani dracone; rupto tamen ein beſtiæ ventre liberam iterum evolare; cujus mnij ſenſum mox percepit, ubi cognovit, nep- m cellâ relictâ ad ſæculum tranſiiſſe, ac ibidem eneri operari. Militem proinde indutus, ad ellam cognatam ſe contulit; eſque reditum ad emum perſuaſit; ubi ipſa ſordes vitæ prioris ju- ibus lacrymis abluit, Chriſti ſanguine ab omni ccato emundata. (c) Ephraim quaſi columba ducta, non habens cor; avolavit, quaſi avis:



(a) *Aug. ſerm. 74. ad Fr. in eremo.* (b) *Ruffin. ibidem.* (c) *Oſe. 7.*

huic ſimilis anima mea, ad exteriora totam ſe diffundens. Fac, Domine, redeat ad ſe, ut columba illa, dimiſſa à Noëmo, reverſa eſt ad arcam: neque enim Sacerdos, tibi initiatus, invenit, ubi requieſcat affectus ejus, niſi

*In DEO ſalutari ſuo.*

## xvj. Cal. April. 17. Martij.

### *S. Gertrudis Nivellenſis.*

HÆc Virgo, DEO ſub regula D. Benedicti militans, & Antiſtita Nivellenſis, aliquando veniam admiſſorum multis perfuſa lacrymis à Chriſto petijt Virginis Deiparæ ſuffragio; eámque nedum obtinuit, JESUM quoque è ſinu Matris Virginis meruit recipere; promiſitque hæc, ſemper ſe famulæ devotæ cum filio adfuturam. In caput orantis demiſſa cœlo ſphæra ignea aliquando deſcendit. Tumba ejus odorem ſuaviſſimum ſpiravit: ipſa familiarium non uni ſpectandam ſe exhibuit, multâ luce circumfuſa. Tempore quodam, poſt receptum epulum divinum, vidit Chriſtum ſub ſchemate pelicani, pectus ſibi roſtro aperientis, ac cruore inde profluente pullos reficientis.

Hâc ipſâ die meminit Eccleſia Joſephi filius ab Arimathæa, nobilis Decurionis, qui funus Servatoris noſtri piè curavit. Huic Chriſtus apparens dixit: ſcito, peccatorem, quoties actu me offendit, manus mihi, ac pedes extendere, & cruci affigere; quum verò peccata ſua deplorat, veniámque rogat, de cruce rurſus me deponit, ac *ſibi conciliat.* Di-

Diſcamus (mellifluo Bernardo monente) animum jaculari in id, quod ſuum eſt, & tantò ſuavis, quantò naturalius. Servator noſter pectus erit, ut ſuo nos cruore refocillet; ſitibundi itaque accedamus. O vere pelicane, JESU Domine, me immundum munda tuo Sanguine. O Pectus Domini mei venerandiſſimum, tu ærarium miſericiarum DEI; quot non pro miſerrimo me furia emiſiſti? quot non ſuſtinuiſti dolores ac angores? quin pelicanum imitatus, id aperiri voluiſti, ut profluo inde Sanguine nos potares, ſalvésque. O cor dulciſſimum Domini mei, fons ſcaturigo gratiarum omnium, ſummâ plenum caritudine, ac tandem in cruce amore mei dirumpens; ſcio me mortis tuæ reum; fateor, doſque impenſiſſimè, ſed ſcio etiam, inde inim ſumpſiſſe omnem animæ noſtræ medelam. e pelicane, JESU Domine, me immundum unda tuo Sanguine. Patent vulnera tua, patet cor; tet inde ſalus noſtra, & vitæ balſamum: itaque me mundum munda tuo Sanguine.

*Pie Pelicane, JESU Domine.*

## XV. Cal. Aprilis, 18. Martij.

### *S. Gabriel Archangelus.*

QUærenti, cur DEUS formato è limo terræ homini inſpiraverit in faciem ſpiraculum vitæ? poſuit D. Ambroſius, quia ibi ſenſus omnis, ibi les atque illecebra delectationis, in oculis, nasus, auribus, & ore: Ea de cauſa Dominus

Deus inſufflavit in faciem hominis, ut ſenſus noſtros adversùs delectationes peccati ſpiritu ſuo redderet fortiores. Quàm potens ſit Deus, vel nomine ſuo teſtatur Gabriel Archangelus, utpote fortitudinem DEI ſignificans; hic Virginem, futuram DEI Matrem, ſalutans aſſerit, non eſſe impoſſibile apud DEUM omne verbum. Porro hanc ſuam potentiam ubi evidentiùs exeruit, exercuitque DEUS, quàm in auguſtiſſimo Altaris myſterio? ſi námque fecit antèa in Ægypto magnalia, terribilia in mari rubro; ſi cœli ſunt opera digitorum ejus; hîc certè fecit potentiam in brachio ſuo, in conſpectu noſtro parans menſam adversùs omnes, qui tribulant nos, terribilis atque laudabilis; terribilis hoſtibus, amicis laudabilis; hi cibum ſumunt, omne in ſe habentem delectamentum; illi judicium ſibi manducant, corporis Dominici rei; illi pignus capiunt futuræ gloriæ; hi mortem cum Juda proditore glutiunt; illi pharmacum ſumunt immortalitatis; hi, utpote ſordidi, ſordeſcunt adhuc; illi, epulo divino refecti, cum dilecto diſcipulo quieſcunt in ſinu Domini; in hos poſt acceptam buccellam intrat ſathanas; illi imitantur D. Anſelmum, Lucenſem in Italia Epiſcopum, (a) cui unus fuit dolor, hâc eſcâ divinâ privari; neque enim ullam conſolationem, aut gaudium eâ ſentiebat die, quâ à ſacro fuerat impeditus; cæterum quot diebus illud offerens, ac ſub eo cognoſcens arcana, in illorum recondita cordibus, quorum ſalutem curabat. (b) Sanguinem ſolvit Fi-

(a) *Bolland. hodie.* (b) *Ambr. l. 1. de Virg.*

Filius DEI; ſanguinem debes. Sed non poſſum, inquies, ſanguinem reddere. Dignum te præbe pretio illo Sanguinis Filij DEI; ne dicere tibi cogatur: quæ uti tas in Sanguine meo? (a) Cujus autem vel ferreum pectus, vel adamantina mens non liqueſcat præ devotione; cùm DEUM ſibi, & ſe DEO ſenſerit corporaliter unitum? ô JESU, cibus meus eſſe dignaris; ſis & amor meus: diligam te ſuper omnia; tibi ſoli adhæream; optémque animitùs cum dilecta tibi Gertrude, ut præ amore tui incineretur tota ſubſtantia mea, qui

*Terribilis es, atque laudabilis.*

## xiv. Cal. April. 19. Martij.

### *S. Joſephus, Chriſti Nutritius.*

GLoria illa, ad quam evectus fuit Joſephus, Ægypti prorex, umbra quædam extitit honoris, glorioſo Chriſti Nutricio, & Virginis Sponſo delati. Dictum illi fuit à Pharaone: (b) tu eris ſuper domum meam; & ad tui oris imperium cunctus populus obediet; uno tantùm regni ſolio te præcedam. Juſſus præterea fuit, ſecundum à rege currum aſcendere, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent terræ Ægypti. Neque tamen minor hunc gloria excepit: (c) quantus enim in cœlis cenſendus eſt juſtus Joſeph, qui talis ac tantus inventus eſt in terris? profectò ſi, ubi ego ſum, illic & mini-



(a) *Laur. Juſtin. de diſcipl. monaſt. c.* 19. (b) *Gen* 41. (c) *Gerſon p.* 4. *c.* 2.

miniſter meus ; ille proximior in cœlis eſt collocandus, qui in miniſterio fuit vicinior. Nemo autem poſt Mariam in miniſterio Chriſto proximior, in fide fidus magis, quàm Joſephus. Inde nemo miretur gloriam, ad quam evectus eſt: Chriſtus enim, amore in dilectum ſibi Nutritium motus, haud dubiè his aut ſimilibus eum Patri æterno commendârit: (a) Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit eſſe beneficijs ejus? tot mihi annis famulatus eſt ſummâ fide; in Ægyptum me duxit, ac reduxit incolumem; ſudore ſuo aluit, veſtivitque; paternâ ſolicitudine educavit; furenti Herodi ſubduxit; Matris virgineæ famam ſartam tectam ſervavit. Quid ergo dabimus viro iſti? audi Gerſonem: (b) primam in cœlo hierarchiam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus conſtituunt; alteram JESUS, Maria, & Joſephus; ſancti reliqui univerſi his inferiores ſunt; & primas quidem tenere poſſunt, intra ordinum ſuorum limites, non tamen unionis hypoſtaticæ fines attingere, quò ij tantùm pertinent, qui JESUM proximiùs contingunt, ut Maria, & Joſephus, circa tantæ dignitatis myſterium aſſiduò occupati. Hujus ergo merces magna nimis: (c) non æſtimo, eſſe temerarium, ſed pium, ſiquis opinetur, ſanctum Joſephum reliquos omnes in gratia & beatitudine antecellere. Merces magna profectò; ſiquidem (d) univerſa curia cœleſtis toties exultat præ gaudio, quoties ab

(a) *Tob.* 12. (b) *In Joſephina.* (c) *Carthagena T. 1. l. 4. Hom.* 8. (d) *Jaqu. de S. Joſ. dev. 4. n.* 6.

nibus Nutritius Salvatoris exaltatur. Mer-
que magna: dum, quod poſſibilitas no-
obtinet, ejus nobis interceſſione do-

tiſſime apud DEUM ſancte Joſephe, &
quis magis amate, en ego, clientum tuo-
tremus, homagium tibi perpetuæ ſervi-
eſto; id unum pro obſequijs meis rogans,
i Virgini proximus aſſides, ſanctis cæte-
nior, in periculis mihi adeſſe, & cœli-
ſortio me ſociare digneris.
tunatiſſime ſancte, cujus brachia ſtrin-
um-Hominem, ſinus fovere, os diſua-
oculi contueri meruerunt. Sed quamvis
exceperit DEI Filium beatus Nutritius,
ſcera tamen ſua non recepit; utut cordi
ſtrinxerit, in cor tamen non admiſit,
ulatus fuerit, ore tamen non deglutijt;
igitur, anima mea, quali ſis inſignita ho-
lum ampliùs tibi conceditur, quàm licuerit
oſepho. Te tamen precor, Pater ſan-
, Filium tuum divinum mihi concrede,
um denuo renaſcar, ac filius tuus fiam:
qui manducat panem hunc, inviſibiliter
r; intus infans eſt, novus intus eſt; ibi
ur, ibi ſatiatur. Cæterùm haud ignoro,
lutritie, ſummum, qui tibi deferri poſſit,
n eſſe ſacratiſſimi Altaris myſterij oblatio-
EO in tui honorem factam. Ita Ven. Joan-
. Angelis, Religioſæ divi Franciſci Paulani
filiæ

---

*g. ſerm. 1. de temp.*

filiæ in Gallijs, ipſe revelâſti; quæ, dum integro novendio te colit ſynaxi quotidianâ, dæmonem corpore, quod inſederat, exegit. Par ferè prodigium Lutetiæ Pariſiorum contigit, ubi pia quædam perſona devotione novemdiali Sacerdotem quemdam ſacrilegum ad frugem reduxit. Inde & ego anſam capio, hâc die, & ſequenti octiduo ſacrum in tui memoriam offerendi, cum certa ſpe vitæ ac morum, in melius commutandorum; conſequendi item,

*Quod poſſibilitas noſtra non obtinet.*

## xiij. Cal. April. 20. Martij.

### *S. Joachim, Pater B. V. Mariæ.*

PArens Mariæ, Virginis Deiparæ, CHriſti Avus, & ſanctæ Annæ ſanctus Conjux Joachimus, cenſum annuum trifariàm partitus eſt; pars prima templo Solymæo cedebat; in egenos profundebatur altera; tertia rei familiari curandæ impendebatur. Inde Filiam, Sanctorum omnium ſanctiſſimam meruit habere. (a) DEUS ſiquidem, cujus conſpectui omnia futura, ſicut & præſentia, clara ſunt, & aperta, dum univerſa juſta & honeſta conjugia, quæ à primi hominis creatione usque in diem noviſſimum fieri debebant, proſpiceret, nullum ſimile Conjugio Joachimi & Annæ in omni divina charitate & honeſtate prævidit; & idcirco placuit ei, de hoc ſancto conjugio honeſtiſſimæ ſuæ Matris corpus procreari, in quo

(a) *Revel. S. Birg. in lect. f. 722.*

quo ipſe cum omni conſolatione quieſcere dignaretur.

Per te, ſancte Pater, Maria, &c &c per hanc JESUS mundo natus eſt, non ut judicet mundum, ſed ut mundus ſalvetur per ipſum. Tu utrúmque roga, ne pereat in me pretium Sanguinis illius, quem de filia tua hauſtum pro me olim fudit Servator; quémque adhuc quotidie in ara Patri æterno per Sacerdores ſuos offert. Id expendens S. Cotbertus, (a) Lindisfarnenſis in Anglia Præſul, vim lacrymarum profundebat, quoties ſacrificandum eſſet; & adeò ſibi vivaciter ponebat ob oculos dominicam paſſionem; ut dolores vehementes perſentiſceret.

(b) Eſto nubes ad pluviam lacrymarum; ut poſſis extinguere flammas peccatorum, hortatur D. Anſelmus. Et omninò dignum eſſet, aliquot ſaltem lacrymulas nobis exprimere memoriam Chriſti patientis, qui tot amore noſtri, non dicam, lacrymas, ſed etiam Sanguinis ſui pretioſiſſimi guttas profudit. O ſpectaculum, lacrymis dignum, Chriſtus in Crucem ſuffixus inter duos latrones, ceu eorum coryphæus, ut omnium ludibrio pateret! Quàm verò de te dicis apud pſalmographum, JESU optime: quæ non rapui, tunc exolvebam. Mea ſiquidem erant debita illa; mea vincula, quibus adſtrictus es; mea flagella, quibus dilaceratus; meæ ſpinæ, quibus redimitus; mea Crux, in quam ſuffixus; mea opprobria, quibus ſubſannatus; mea denique

(a) *Sur. hodie.* (b) *Anſelm. lib. exhort.*

que mors, quâ ſublatus es: quæ non rapueras, tunc exolvebas. Quis igitur dabit capiti meo aquam; & oculis meis fontem lacrymarum; & plorabo die, ac nocte! quia innocens Dominus occiſus eſt; Agnus à lupis, à peccatoribus juſtus, ſanctus ab invidis, à filijs hominum Filius DEI. O Joachim, ô Anna, ſi triſti illi ſpectaculo coràm adſtitiſſetis, nonne percutientes pectora inde redijſſetis? nónne extrema gaudij veſtri luctus occupâſſet? Interim moritur juſtus; & nemo percipit corde; nemo conſiderat, quis, quid, pro quo, & quo fine tam indigna patiatur. Quis ergo capiti meo dabit aquam, & oculis meis fontem lacrymarum; &

*Plorabo die ac nocte.*

---

## xij. Cal. April. 21. Martij.

### *S. Benedictus Abbas.*

SPiritum impuritatis, fœdiſſima quævis ingerentem animo, fugavit Benedictus Adoleſcens, dum corpus in vepretum abjecit, ab omni deinceps ejus generis tentatione immunis. Crucis ſigno vaſculum rupit, quo mors ei propinabatur. (a) Anima ejus erat quaſi Angelus; omne tranſitorium contempſit; carnem ſuam animæ ſervire coëgit; ne macularentur aures inanium auditu, oculi viſione delectabilium, in eremum ſeſe abdidit, magni Præcurſoris æmulus; utut vel in mediis turbis cœlum conſequi potuiſſet, mundo perfecte

(a) *Revel. & Birg. l. 3. c. 20. & 21.*

ſectè mortuus, ac plenus DEO. Magnus in vita Benedictus, magnus in morte; quam proſpiciens, ſexto antè die aperiri tumulum juſſit; tum ſuorum manibus delatus in Eccleſiam, ſacro viatico refectus, corpore in pedes erecto, manibusque in cœlum protenſis placidiſſimè obijt, viſus Sponſi inſtar ornatus cœlum conſcendere. Delectaris gloriâ conſimili? Virtutes imitare.

(a) Non dabatur manna, niſi in deſerto, ubi delectabile non fuit; ſic non ſentitur dulcedo gratiæ, & ſapor Euchariſtiæ, niſi ab his, qui ſe in deſertum ad minus corde transferunt, ut mundanas non ſentiant delectationes. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, in hoc Sacramento! Tanta videlicet, ut Sancti tui, & juſti, nec mortem ipſam, utut terribilium omnium terribiliſſimam, ſenſerint; imò tanta, ut vel poſt mortem eam experiri deſiderârint. Ita legimus hâc die de beato Mauritio, ex Ordine D. Dominici in Hungaria mortuo, cùm Epiſcopus quidam ſacro corpore adhucdum exiſtente in Eccleſia ſacrum piaculare faceret, oculos defunctum aperuiſſe, cùm Hoſtia divina elevaretur, neque clauſiſſe ante ſacri calicis adorationem. Meritò igitur quæro ex me ipſo, cur ſpiritum hunc dulciſſimum ego non experiar? Nempe DEUS eundem abſcondit timentibus ſe; ſoli Sacerdotes ſancti incenſum & panes offerunt, qui DEO placeant; ad Abelis ſolius, non verò ad Caini reprobi munera DEUS reſpexit. Quia deficit ſanctitas, timor Domini, & in-

(a) *Alb. Magn. de ſacr. Euch. diſt. 3. tr. 1. c. 1.*

& innocentia; deficit quoque ſpiritualis dulcedo. Dicebat olim populo Samuel: (a) ſanctificamini, & venite mecum, ut immolem. Et quid immolaturus erat Propheta? carnes taurorum, & hircorum ſanguinem. Quantum igitur (b) debet eſſe Sacerdos purus, ubi invitatæ ad ſacrificium non, niſi ſanctificatæ veniunt plebes? ubi non carnes aut ſanguinis animalium, ſed ipſius Filij DEI corpus & ſanguis offertur. Quantum igitur debet eſſe Sacerdos purus? Docuit id ſanctum Franciſcum Seraphicum genius cœleſtis, exhibens ei cryſtallum luciditſimam, omni nævo prorſus immunem, eam ſymbolum eſſe dicens munditiei, in Sacerdote requiſitæ. Quæ res adeo terruit Sanctum, ut indignum ſe Sacerdotio ſudicaret. Eodem intuitu ſanctus Benedictus dignitatem illam nunquam voluit admittere; D. verò Cajetanus quâvis die anniverſariâ ſuſcepti Sacerdotij in planctus amariſſimos effundebatur, aſſerens, ambitûs ſe reum, qui tantum honorem immeritus affectâſſet. Siſte hîc, anima mea, & animi tui ſenſum hac in re expende. Interim

Quæram ego manna in deſerto, vanam converſationem matutino ſaltem tempore relinquendo, quo ſacro me Altari paro; deponendo item omnem ad mundana affectum; ut ſic dulcedinem gratiæ, & ſaporis Euchariſtici deguſtem, fiatque fructus iſte dulcis gutturi meo. Quodſi de cætero agendum cum hominibus erit, mente nunquam excidat illud Ambroſij:

Ha-

(a) 1. Reg. 16. (b) Greg. M. de Euch.

*Habentes converſationem in urbibus, mente ſimus in deſerto.*

## xi. Cal. April. 22. Martij.

### *Venerabilis Nicolaus de Rupe.*

(*a*) TAnta virtus ineſt ſacratiſſimo Altaris epulo, ut nedum anima, verùm & debile corpus vires inde ſuffici ſibi ſentiat ampliores, teſte devotiſſimo Aſcetâ. Prodigium hoc patuit in Venerabili DEI famulo, Nicolao de Rupe, (*b*) inclito Helvetiorum ſidere; qui meliorem vitæ partem in ſolitudine exigens, ſacro in Eccleſia, à qua proximè aberat, quot diebus adſiſtens, divino inſuper pabulo ſemder reficiebatur, cibo alio haud indigus: rei tam ſtupendæ rationem Majorum juſſu reddens, Corpus Chriſti, inquiebat, ac ſanguinem omnis ſibi alimenti loco eſſe; hunc in ſe vivere; hunc cibum ſibi, potum, ſanitatem ac medicinam eſſe.

(*c*) Viſcera charitatis extende, ait Fulbertus; & ſume panem vitæ, interioris hominis alimentum, panem ſanctum, panem quotidianum; quem qui manducat, vivit in æternum. Inde verba illa, effectûs plena, quâ DEUM Sacerdotis ore compellat in canone Eccleſia; quam oblationem, quæſumus, benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, accaptabiémque facere digneris; ut Corpus & Sanguis fiat dilectiſſimi Filij



(*a*) *Lib. 4. Imit.* (*b*) *Bolland. hâc die.* (*c*) *Apud Novar. c. 12.*

tui, Domini noſtri JESU Chriſti; ſeu, quod idem eſt, commentante Paſchaſio: (a) rogamus hanc oblationem benedictam, per quam benedicamur; adſcriptam, per quam in cœlum conſcribamur; ratam, per quam in Chriſti viſceribus cenſeamur; rationabilem, per quam à beſtiali ſenſu eruamur: Ita fiet ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo, ut placeat tibi, & proſit nobis ad ſalutem, & tutamentum, nec non corporis animæque alimentum.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra; Indies ſiquidem creas novum ſuper terram; ubi Sacerdos ſpeciebus exilibus circumdat virum, virgineis olim definitum viſceribus; virum, qui rex gentium eſt, ac ſæculorum; virum, qui eſt ſatietas perfecta; ſuorum cibus, & ſufficientia; deſideriorum omnium centrum, cibus, potus, ſanitas ac medicina. Effectus hoſce experta eſt Catharina, (b) ſanctæ Birgittæ ſancta non minùs filia; quæ, ut pudorem virgineum locaret in tuto, humi corpuſculum tenerum abjecit pannis viliſſimis contecta, digna inde, quam modeſtiſſimè cubantem ipſa Dei para inviſeret, precibus viciſſim invocata ab eadem, quoties operis quidquam auſpicaretur. Divum Sebaſtianum puritatis ſuæ tutelarem habuit ſancta eadem; ſenſitque præſentem in periculis propugnatorem. Placet conſimilis Mariæ ac Cælitum favor? placeat & obſequium.

Pla-

(a) *L. de Corp. Chriſti, c. 12.* (b) *Surius hodie.*

Placet omnino cultus tuus, Maria, placet obſequium, Proli tuæ ſacratiſſimæ debitum. Os meum, pijſſime JESU, patet ad te; & cor meum dilatatum eſt ad te ſuſcipiendum. Quis mihi det, ut anima mea digna fiat amplexibus tuis dulciſſimis, longè ſuperioribus omni eo, quod terra ac caro gaudiorum propinant? verè enim

*Tu cibus, potus, ſanitas ac medicina.*

## x. Cal. April. 23. Martij.

### *Laliballa Rex.*

COmmendat Menologium Benedictinum Laliballam, Æthiopiæ Regem, (a) lauſtâ metamorphoſi mutatum in Monachum. Is eo animi candore, ardoréque ſacris operari conſueverat, ut frequentes ei adſtiterint ſymphoniaci cœleſtes, ac miniſtrorum loco reſponderint.

(b) Quis fidelium habere dubium poteſt, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri; in illo JESU Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſumma imis ſociari, jungi terrena cœleſtibus, viſibilia ſimul ac inviſibilia in unum convenire. Quodſi ſpiritus hoſce æthereos cernere coràm liceret, quanto tremore concuteremur! quantâ myſterium tam divinum attentione tractaremus! (c) Sunt ſpiritus iſti adeo Zeloſi Domini ſui, ut indignè recipientem mox trucidarent, niſi miſericordiâ divinâ prohiberentur.



(a) *Bolland. hâc die.* (b) *Greg. l. 4. dial. c. 58.* (c) *Vinc. Fer. ſerm. 4. de Corp. Dom.*

Merito igitur jure timeo, ne eos aliquando habeam accuſatores in decretorio illo judicio, in quo Corporis ac Sanguinis Dominici rationem diſtrictam redditurus ſum: meritò proclamaturos me reum formido Corporis ac Sanguinis divini judicium ſibi frequenter manducantem ac bibentem. Verùm ne intres, Domine, in judicium cum ſervo tuo. Corpus & Sanguis tuus non ſint mihi in judicium & condemnationem, ſed in ſalutem ac remiſſionem peccatorum; quia benignus & miſericors es. Reus Corporis & Sanguinis tui extitit omnium, quos terra tulit, hominum nequiſſimus Judas, diſcipulus quidem tuus, ſed peſſimus apoſtata; qui te, bonum inæſtimabile, pretio viliſſimo diſtraxit, ac prodidit oſculo, ſignum amoris in perfidiæ teſſeram commutans. Me quoque reum profiteor, qui toties te, ſceleſtiſſimi proditoris exemplo, loco poſtremo habui, quoties vaniſſimæ poſtpoſui voluptati. Habes, Domine, confitentem reum, & ex animo pœnitentem; neque tamen ſpem ſalutis abjicientem cum illo, qui abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Tu, qui melleum Bernardum, coram imagine tua orantem hodie, (a) ſolutis à cruce brachijs dulciſſimè es amplexatus; me quoque, in te ſperantem exaudi pro ea, quam Cruci confixus omnibus demonſtras, pietate: inclina precibus ac ſuſpirijs caput; manus mihi recipiendo expande; cor aperi aſyli adinſtar: En, coram SS. hac tua imagine in terram abjectus, intimo te affectu cum

Mag-

(a) *Ex Vita.*

Magdalena ſtringo, veniámque admiſſorum corde contrito efflagito. Dimitte, Domine, dimitte peccata mea, propter nomen ſanctum tuum; certè ego

*Non dimittam te, donec benedixeris mihi.*

## ix. Cal. April. 24. Martij.

### *S. Simon Tridentinus.*

VIgiliam Dominici in viſcera puriſſima Virginis Matris adventûs, ac ſimul morientis pro hominum ſalute Redemptoris, morte ſuâ ſacravit S. Simon, Puerulus Tridentinus; dum vix natus menſes viginti novem, ab Hebræis aſtu interceptus, forficulis acubúsque toto laniatus corpuſculo, membris diſtentus, ac variè excruciatus, in Crucem denique actus, quò preſſiùs Chriſtum ſequeretur, capite inclinato Spiritum emiſit.

(*a*) Veneranda Sacerdotum poteſtas, in quorum manus, uti quondam in Virginis uterum, ſeſe DEI Filius demittit. Uti enim Deipara, Angelo aſſenſa, Chriſtum concepit; ita Sacerdos, hujus perſonam gerens, corpus ejusdem, ac Sanguinem efficit, manibúsque geſtat. Itaque ſublime hocce myſterium profundâ hodie meditatione expende, verba illa Aquilæ Evangelicæ animo iteratò revolvens: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Nempe ſatis non erat ardentiſſimo Servatoris noſtri affectui, nobiſcum habitare, vel inter nos; voluit *in nobis* ſedem figere,



(*a*) *Auguſt. in 4. decal. præc.*

in animis ac cordibus noſtris, in intellectu, voluntate, affectu noſtro, ut ita ſeipſum intimè nobis uniret; ac proinde carnem noſtram aſſumpſit, ut eam denuo nobis communicaret; maneret nobiscum usque ad conſummationem ſæculi; ſeipſum quotidie in cibum daret, fieretque unum nobiscum, juxta illud: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo; ut ſic eſſemus Arca, Tabernaculum & Habitaculum DEI; ſicut eundem Virgo Deipara, velut animata Arca, intra viſcera ſua purisſima recepit. O magna DEI Mater, quæ (a) virginitate placuiſti, concepiſti humilitate, ecce ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te, ſeu in tui comparatione: meritò igitur me demittam, dum nil habeo, de quo gloriari poſſim. Tu, quæ (b) Mater es DEI, & hominis rei, de meritis tuis modicum quid mihi largire; prout hodie charisſimam Filij tui Sponſam Gertrudem (c) monili pretioſiſſimo, è ſeptem unionibus pretij inæſtimabilis confecto, decorâſti, velut ſymbolis totidem præſtantiſſimarum virtutum, quibus eidem, dum viveres, maximè placuiſti. O Mater DEI, & hominis rei, ora pro me, ut puro corde, affectu amoroſo, ardore Seraphico Filium tuum hodie ſuſcipiam, prout nocte hâc eundem tu recepiſti: commoda mihi virtutum tuarum ornatum, quo animam ac cor adventuro in me Filio tuo SS. præparem: ita dignè

*Sacrificabo Hoſtiam laudis.*

viij. Cal.

(a) *Bernard.* (b) *Aug.* (c) Libell. prec. S. Gertr.

viij. Cal. April. 25. Martij.

*Annuntiatio B. Virginis Mariæ.*

S. Diſmas, lupus rapax, in agnum hodie, Chriſto, vero Agno, confixus in cruce, abijt; verè lupus rapax inter latrocinia ac ſcelera; lupus rapax inter convitia, quæ unà cum ſocio in DEI Filium protruſit; lupus rapax, ſalute propemodum deſperatâ. Sed mox agnus, DEI agnum agnoſcendo, dignum ſe ſupplicijs profitendo, ſocij proterviam acriter reprimendo; agnus, verum Paſtorem cognoſcendo, pióque cum affectu dicendo: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Numquid hæc mutatio dexteræ Excelſi?

Neque deſunt, qui eandem adſcribant Magnæ DEI Parenti, ad crucis pedem conſiſtenti; quæ cor pœnitens à Filio exoraverit homini, ſceleribus tam immerſo, imò ferè immortuo: Hæc videlicet ſpes eſt certa peccatorum omnium; quis enim unquam ſperavit in Maria, & confuſus eſt? Hæc, uti genus humanum univerſum conciliare DEO hodie cœpit; ita etiam ſingulis patet, aſylum tutiſſimum: ita enim de ſeipſa aſſerit ad D. Birgittam: (a) *Ego ſum Regina cœli, ego mater miſericordiæ, ego gaudium juſtorum, & aditus peccatorum ad DEUM;* nullus ita alienatus eſt à DEO, niſi fuerit omninò maledictus, qui, ſi me invocaverit, non revertatur ad DEUM, & habebit



(a) *Ex Revel. lib.*

miſericordiam. Neque mirum hoc videatur: ſi enim Virgo SS. DEUM ipſum cœlo detrahere intra viſcera ſua potuit, digna, in qua carnem noſtram aſſumens novem menſibus quieſceret; quid nſi miſero homini, ad ſe confugienti, gratiam exorare queat? O Maria, memor eſto mei; & cùm clamavero ad te, miſericordiæ recordare.

(a) Religioſus quidam, admodùm devotus, Adolphus nomine, dum ſacro adſtat, in hoſtia conſecrata, priusquam divideretur, Deiparam conſpexit, velut in ſolio conſidentem; in cujus ſinu puellus divinus placidiſſimè quieſcebat.

Huic ipſi cogitationi ego quoque immorabor die hâc, cœptæ ſalutis noſtræ anniverſariâ; JEſulúmque mihi, intra brachia Virginis Matris quieſcentem, ob oculos ponam. Nempe, bone JESU, in fratrem mihi hodie datus es, carne eâdem tectus, & communis Matris viſceribus contectus. Concede, obſecro, ut introducam te in cordis mei exile domicilium, intimúmque cubiculum animæ meæ; dicámque millies: Salve, Frater amantiſſime; gratulor mihi animitùs, quòd tuo dignus conſortio, ac adventu Euchariſtico ſim effectus. Permitte, ut te, Fratrem meum, fugentem ubera Matris meæ, in ſacro Altari inventum deoſculer; & nemo jam deſpiciat me,

*Servum tuum, & filium Ancillæ tuæ.*

vij. Cal.

(a) *Cæſar. Dial. l. 9. c. 3.*

## vij. Cal. April. 26. Martij.

### *S. Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſ.*

PUerulus etiamnum erat Ludgerus; quum rogatus, quid totâ egiſſet die, libros ſe, reſpondit, tum legiſſe, tum conſcripſiſſe. Quos verò ſcriptores tractâſſet, quæſitus, eos, repoſuit, qui DEUM Authorem haberent. Jam præerat Eccleſiæ Monaſterienſi, quando vocatus à Carolo Magno, dum ſacris diſtineretur eo ipſo tempore, reſpondit, non ſibi jam vacare, ut cum Principe terreſtri ageret, quando in negotijs Imperatoris ſuperni occuparetur. Quibus adeo non offendit Carolum Auguſtum, ut is optaret potiùs plures Ludgeros habere.

Docebit me ſancti iſtius Præſulis fervor, vanos quosvis reſpectus poſtponere timori ac amori Dei; nihil ſit, quod me, occupatum cum Auguſto, omnium auguſtiſſimo, turbet, quod diſtrahat, aut minuat devotionem; diviniſſimo unicè intentus Myſterio, oculos mentémque ab omnibus ſublijs attollam; monebit ad hoc acris illa correptio, quâ Chriſtus ſanctam Catharinam Senenſem, dum oculos ad fragorem, temerè excitatum in Eccleſia, obvertit, ſeverè reprehendit.

Eosdem reſpectus humanos proterere docebit etiam S. Caſtulus Martyr, hodie pariter cultus ab Eccleſia; qui, Zetarius palatij Cæſarei, Chriſtianos, quos D. Sebaſtianus vacillantes in fide confirmârat, converterátque, clam hoſpitio, victúque juvabat; quod ubi nuntiatum Diocletiano

Auguſto, variè tentatus, ut fidem ejuraret, vivus tandem arenâ obrutus ac ſepultus eſt. Sic agere, & pati, Romanum, imò Chriſtianum.

Diſcam inde, terrena quævis amori DEI poſthabere; cùm meliùs utſque ſit, incidere in manus hominum, quàm DEI viventis. Tu, Salvator optime, ſigna ſuper me lumen vultûs tui; ut vanas hominum, ac mundi hujus ſpes, réſque penitùs agnoſcens, ad te, verum, ſolúmque ac ſolidum bonum, me convertam: quousque atra vitæ iſtius miſeræ nox incubabit mihi! quousque mens noſtra, in peccato torpeſcens, ſomnum non excutiet, ad diem beatitatis æternæ ſurrectura! Per viſcera igitur miſericordiæ tuæ, in quibus viſitâſti nos, oriens ex alto, illuſtra faciem tuam, ſol diviniſſime, ſpeciebus Euchariſticis involute, illuſtra, inquam, faciem tuam ſuper eos, qui in tenebris peccatorum, & umbra mortis ſedent; ne umbra mortis perpetuæ, & horror ille ſempiternus nos comprehendat. Illumina nos, ut in SS. hoc Myſterio jugiter te collaudemus, omnia hominum judicia, reſpectus quosvis conculcando, de die operibus lucis, pijs de nocte precibus ac ſuſpirijs tibi deſerviendo; ut ijs aliquando accenſeamur, qui

*In lege tua meditantur die ac nocte.*

vi. Cal.

## vi. Cal. April. 27. Martij.

### *S. Rupertus Epiſcopus.*

BOjariæ Apoſtolus S. Rupertus, Vangionum (*a*) primò Eccleſiam curavit paſtor ſedulus: Verùm cùm ſolum ſterile nullum prorſus fructum ſponderet; imò ejus cultor ſtrenuus virgis per urbem cæſus, in exilium pelleretur; Bavaria humaniter excepit profugum; ubi is Theodonem, Principem lectiſſimum, cum ſubdita provincia ad Chriſtum convertit, ſacròque fonte expiavit. Fano Dianæ ad Oetingam ſubverſo ſacellum ſubſtituit, & meliori Virgini ſacravit, hodieque per orbem univerſum celebratiſſimum, Sic tuta ſub Mariæ præſidio Bojaria, quam à Ruperto edocta eſt, orthodoxam fidem nunquam mutavit. Porro Sanctus noſter Sedem Epiſcopalem denique ſtatuit Salisburgi, genuinus magni Benedicti filius; quem, uti vivens, ita in morte etiam æmulatus, ipſo ſacratiſſimo paſchatis die, poſteaquam ſacris fuiſſet operatus, ſuum ipſe adiens ſepulcrum, cùm animam Patri æterno ipſiſſimis Filij in cruce morientis verbis commendâſſet, inter manus diſcipulorum, absque ullo doloris indicio, placidè expiravit, tot, quas Apoſtolicis ſuis laboribus præmiſerat in cœlum, animas demum ipſe ſecutus.

Baptiſmus, Doctore Angelico teſte, eſt principium vitæ ſpiritualis, & janua Sacramentorum; Euchariſtia verò eorumdem finis, & conſummatio ejus-

(*a*) *Wormatia eſt hodie.*

ejuſdem vitæ ſpiritualis. Inde viatici locò datu proximis termino, finemque laborum, dolorum metam, & quietem æternam in ijſdem operatur Meritò igitur exclamat amans Auguſtinus: Chri ſtum meum auferam; & à Chriſto in cœlum tollar Facto ipſo id expertus eſt glorioſus Apoſtolus no ſter Rupertus, qui Chriſtum ſecum abſtulit, cœl ab eodem illatus.

O dulcem DEI pietatem, ô charam liberalita tem, quâ is gremium omnibus pandit, ac ſinum aperit ad ſe confugientibus. Commiſſa mea pa veſco; erubeſco omiſſa, timeóque diſcuſſionem ac venturam iram: Non intres, obſecro, Do mine, in judicium cum ſervo tuo, qui nec unum pro mille objectis poterit replicare, minùs ra tionem reddere pro acceptis talentis, absque ull ferè, aut certè exiguo fructu. Parce, indulge bone JEſu, amor meus, pro me ad mortem dam nate, cruce ponderoſiſſimâ onuſte, in eade confixe, felle potate, ac tandem morte diriſſim functe: Dediſti animam tuam pro anima mea; vi tam pro me expoſuiſti; mortem acerbiſſimam paſſus, in ara crucis Patri ſuperno te obtuliſti imò etiamnum quotidie te offers in ara; ſacrificium hoc excedit omne debitum, ſolvit omne com miſſum: hujus meritis vitam meam innova, re ſtaura deperdita; iniquitates quasvis dele; ab ſume charitatis tuæ igne, quidquid immundum eſt redige me ad divinum beneplacitum tuum; a tand m horâ tranſitûs mei propinquante tutiſſi mum cordis tui pande oſtium; ut ita thalamum amo-

moris tui ſubire mihi liceat, teque, verum cordis mei gaudium, æternùm amplexari. Ita

*Chriſtum mecum auferam; & à Chriſto in cœlum tollar.*

---

## v. Cal. April. 28. Martij.

### *S. Spero Abbas.*

REfert Magnus Gregorius de S. Sperone Abbate, eum ſub vitæ finem diſcipulis convocatis ſacratiſſimum Viaticum petiſſe; eóque devotiſſimè ſuſcepto, laudes divinas cum ijsdem alternante voce concinuiſſe, ſicque ad ſuperos placidiſſimè, Angelorum choris æternùm jungendum.

Anne timeam te Judex benigniſſime, quum judicaturus adveneris? non timebo: ſiquidem nemo ſanguinem ſuum condemnavit unquam; nemo carnem ſuam odio habuit; jam verò tu caro noſtra es, & ſanguis; nos caro ac ſanguis tuus ſumus: tu caput, nos membra; tu DEUS noſter, nos populus tuus; tu Paſtor, nos oves paſcuæ tuæ; num ergo carnem tuam, ſanguinem tuum, membrum, ſervum, ovem poteris damnare? Tuis itaque confiſus meritis, tuâ nixus cruce ac morte, amoroſiſſimo cordi tuo immerſus, quem judicem ſuſtinere nequeo, cupio habere Salvatorem; dum hoſpitem interea amplector. Equidem juſtus es, Domine, & juſtitias diligis, omniáque in pondere, numero ac menſura diſponis; numerus, non menſum tantùm meorum, ſed & ſcelerum, apud te eſt; & horum pondus

quis,

quis, præter te, intelligit? menſura porrò, ijs deſtinata, eſt ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, tantúmque tormenti; quantæ deliciæ præceſſerant. Igitur te, judicem meum, deprecabor, ut adeſſe mihi digneris tuâ ſanctâ gratiâ, ſine qua nihil ſum, nihil poſſum, nihil mereor; eâ me in agone ſupremo corrobora, à quo æterna ſalus pendet; inviſe tunc ad ſervum tuum, ut gloriæ futuræ pignus, Viaticum ſupremum, gignè ſuſcipiam; in cujus fortitudine ambulem usque ad montem DEI. Tunc eſto mihi JEſus, & ſalva me; eſto ad Patrem divinum advocatus; enumera ei labores, quos pro me ſubſtinuiſti; vulnera quæ tuliſti; mortem, quam paſſus es; hæc eum mihi tum concilient; hæc tutentur in judicio: eſto tum non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor; qui

*Salvos facis ſperantes in te.*

## iv. Cal. April. 29. Martij.
## *Margarita Dalphini.*

COmpellat animam, malè ſibi advigilantem, Jeremias (*a*) quousque diſſolvêris, filia vaga? quando anima foris vagatur, (*b*) JEſus ingreſſum differt; ſi ergo hoſpitem ipſum deſideras, noveris & ipſe tecum habitare. Id apprimè didicerat devotiſſima DEI famula, Margarita Dalphini, è religioſo S. Dominici ordine: hæc ſiquidem die-

(*a*) C. 31. (*b*) *Thom. Villanov. ſerm. 2. de Aſſumpt. B. V. M.*

diebus, quibus Epulum divinum ſumpſerat, omni ſe hominum familiaritate abdicavit, tam in orando aſſidua, ut à ſenſibus abiens, nec tranſeuntes notaret; nec cibi quidquam, niſi ſub noctem demum, admitteret.

Servator noſter, turbam illam famelicam paucis panibus ac piſciculis prodigioſè refecturus, in deſertum ſeceſſit, inſtructurus nos, ut ſolitudinem quæramus, quoties refici pane divino volumus: eò quippe dilectas ſibi animas ducit Sponſus cœleſtis, ibique ad cor earum loquitur: (a) Siquidem, Ambroſio notante, gratiæ cœleſtis alimentum non in civitate, ſed in deſerto quærentibus ſe ſe impartitur.

O Domine, qui, dum ageres in mundo, urbes, oppida, vicos declinans, loca ſolitaria delegiſti, ubi noctes integras ſuſpirijs, gemitibus ac precibus ardentiſſimis ſalutem meam cum Patre æterno tractares; deduc me in ſolitudinem, & ad cor mihi loquere, quia audit ſervus tuus; tu ſolus converſationi meæ ſuffice; tecum ſit omnis ſermocinatio mea. Et verò quid majus, quid præſtantius aut optabilius deſiderare poſſim? licet agere cum JESU; licet JESUM amplecti, ac poſſidere; & aliud ſuſpirem? Seraphinus ille terreſtris, Franciſcus Aſſiſias, ſanctâ quâdam ergà Sacerdotes agebatur invidiâ, dicere ſolitus, planè neſcire ſe, quid ultrà optare Sacerdos poſſit. Certè menſa Euchariſtica ſuper mel & favum, convivium, in quo Chriſtus ipſe ſumitur, & nectar

(a) Oſe. 2.

ctar pretioſiſſimum divini ſanguinis propinatur. Fallax ex adverſo, vana & lubrica eſt hominum converſatio, inimica devotioni, & ſpiritum diſtrahens; ut non immeritò queratur Aſceta: (a) quoties inter homines fui, minor homo redij. Nullum ſimile diſpendium habet converſatio cum Chriſto, qui verba vitæ æternæ habet. Nunquam minùs ſolus, aſſerebat de ſeipſo Magnus Auguſtinus, quàm cùm ſolus. Bonum igitur, tibi, Domine, adhærere, & ab hominibus recedere, imò etiam à ſeipſo, te ſolùm amando, te quærendo, te amplexando: Quid enim ſectemur alia, dum

*In te uno omnia habemus?*

---

iij. Cal. April. 30. Martij.

## *B. Amadeus Sabaudiæ Dux.*

BInos hodierna dies, DEO Euchariſtico ſummè devotos, ad cœlum evexit, quamvis viâ admodum diverſâ. Amadeus III. Sabaudiæ Dux, decorem domûs DEI ubique ſtrenuè æmulatus, tum præcipuè ardorem præferebat inſolitum, quando ſacratiſſimum Altaris Myſterium publico accurrentium cultu proponebatur; tum lampadibus templa, parietes aulæis, gemmis auróque aræ ejus juſſu nitebant; dum ex adverſo B. Petrus Regalati, ſtrictioris obſervantiæ D. Franciſci in in Hiſpanijs alumnus, Chriſtum humilem absque ullo coleret ornatu, vel ipſam Eccleſiæ lampadem

(a) *L. 1. de Imit. Chriſti.*

dem extinguens; cùm monetet fratres, ignem ſpiritualem in cordibus foverent, DEO utique multis nominibus futurum gratiorem.

Uterque hic DEI famulus me inſtruet hodiè, rationemque docebit, cor meum ad epulum divinum ritè parandi. Si enim tam ſplendidè ornentur templa, in quibus DEUS Euchariſticus aſſervatur, colitúrque; quantò ſtudioſiùs comenda anima, ut dignum tam magno hoſpite diverſorium evadat! auro fulgent aræ ac Sacraria, in quibus DEI Filius reponitur; & ſordeat cor, quod isipſe toties ſubit! Quin omni illud ſtudio exornabo ſanctis virtutibus: Auri locum tenebit amor DEI; argentum erit charitas proximi; fides, ſpes, humilitas, aliæque virtutes gemmarum vices ſubibunt; cor ardens lampadis inſtar fulgebit, ac amore liqueſcet. Quoniam verò, omni quamvis adhibitâ induſtriâ, vir ſum, videns paupertatem meam; ad te, Domine, ſupplex recurro; tu meum ſupple defectum per illam perfectionem, quâ ad cælos glorioſè revectus adſtitiſti Patri æterno ad ſuſcipiendam omnem gloriam, quâ ad dexteram ipſius collocandus eras; tu ſordes animæ meæ per innocentiſſimam humanitatem tuam elue; tu, qui non tantùm amâſti nos, ſed ita amâſti, ut fieres amor noſter, (a) caput erga nos charitatis, (b) divitiæ amoris effuſæ, (c) merus amor, (d) amor ſine menſura,



(a) *Chryſ. Hom. 26. in Matth.* (b) *Trident. ſeſſ. 13. c. 2.* (c) *S. Magdal. de Paz.* (d) *Bern. ſerm. de Cœna Dom.*

(a) ſed non ſine fine; dilexiſti enim nos in
& quò collimat amor tuus, niſi ut te am
non tuo bono; bonorum enim noſtroru
eges; ſed noſtro, ut te, ſummo bono fr
ad te pertingamus, & in te quieſcamus,
*DEUS meus, & omnia.*

## Prid. Cal. April. 31. Martij.
### *S. Guido Abbas.*

REvocaverat ab infernis defunctum que
S. Guido; qui, expoſitis, quæ poſt m
viderat, ingenti omnes terrore concuſſit.
Bertholdus nomine, magnopere laborabat
premo agone, quòd dæmones peccatum
dam in confeſſione traditum oblivioni, in
omiſſum, ei objectarent; verùm precibu
donis ad ſe rediens, omniaque ritè confeſſus
cidè poſtea obijt. Lampadem, coram
ara lucentem, dum tergeret, in partes dif
rat diſcipulorum unus; inde ſancti Abbati
dibus advolutus, errorem faſſus eſt; ſed
ſolatij plenis dimiſſus, ampullam vitream, e
in terram minutim confractam, integram
no reperit, accendítque.

Fragilior chryſtallo animus meus, arundin
diſſimilis eſt, & vento quovis hinc inde im
tur, imò ſubortâ quâvis exiguâ tentatione di
gitur; dum multa quidem, magnáque prop
pauca tamen deduco ad effectum. Tu, D
n

(a) *S. Angela de Fulg.*

ne, quo ventis imperante facta fuit tranquillitas magna, inconſtantiam meam firma, ſolida mutabilitatem; tu fragilitatem alliga, corrige levitatem, ne denuo fiam peccando dæmonis mancipium, ſervus peccati; ne imaginem tuam rurſus contaminem, diffringam ſpeculum innocentiæ, indignus, qui aliorum pedes deoſculer, & inter mortales vivam. Quàm verò minimè dignus, ut tu, DEUS meus, intres ſub tectum meum! ut cor meum immundiſſimum hoſpes ſubeas! Domine, Domine, virtus ſalutis meæ, peccavi in cœlum & coram te; jam non ſum dignus, vocari filius tuus, imo nec dignus, qui poſtremum inter ſervos tuos locum occupem! Et tu dignum ducis, ſuper quem aperias oculos tuos, quemque humero Sacerdotum tuorum accenſeas! Quâ temeritate ſacris me ingeram myſterijs. O quanta olim reddenda erit ratio de gradu tam ſublimi, quem immeritiſſimus teneo, de quotidianis, quæ obeo, ſacrificijs, quorum vel unum, magno illo viro teſte, ſufficientiſſimum eſt, ad judicium ſuperexaltandum! Quàm exactè diſcutietur omnis vita mea, omnes indignæ actiones, peccata omnia! Væ Sacerdoti, reo Corporis & Sanguinis Dominici! Nunc, indignabundus inquiet Judex divinus, nunc (a) finis ſuper te; & immittam furorem meum in te; & judicabo te juxta vias tuas; & ponam contra te omnes abominationes tuas; & non parcet oculus meus ſuper te; & non miſerebor; ſed vias



(a) Ezech. 6. 7.

tuas ponam ſuper te; & abominationes tuæ in medio tui erunt; quia

*Dominus percutiens ego ſum.*

## Calendis April. 1. ejuſdem.

### *S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus.*

JUſtos etiam, ac Sanctos ad timorem DEI hortatur pſalmographus, inquiens: *Timete Dominum omnes Sancti ejus; cùm hi etiam judicijs divinis ſubſint.* Schema ſalubertimi iſtius timoris nobis exhibet S. Iſidorus, Epiſcopus Hiſpalenſis; is enim morti proximus deferri in templum voluit, ubi captum è manibus Sacerdotis cilicium induens, cinerémque corpori inſpergens, ſupremo Viatico ſuſcipiendo ſe paravit, oculos in cœlum levare non auſus: tum veniam erratorum à DEO ſupplex petijt; cibóque divino roboratus ſubinde, populi adſtantis pro ſe preces enixè poſtulavit, quarum intuitu DEI mereretur clementiam, veniámque peccatorum, quam ipſe impetrare dignus non eſſet.

Præclaro ſanctus hic Præſul exemplo me docet, DEI implorare miſericordiam, ardore tantó majori, quantó plus illo peccavi. Innocens ipſe erat, ego plurium ſcelerum reus; ipſe Sanctus, ego peccator; Amicus Dei ipſe, ego hoſtis juratus; ipſe pavidus, temerarius ego; ipſe, ſibi diffiſus, aliorum patrocinium ambiebat; quàm verò ejuſdem magis indigus ſum ego! Prenſabo illud, nec apud eos ſolùm, qui adhuc de-

cur-

currunt vitæ præſentis viam; ſed apud illos maximè, qui cum Deo regnant in patria; ut eorum ſuffragijs veniam malè admiſſorum conſequar, quam ego non mereor maximè pro ſupremo ac decretorio confiictu. Jam nunc igitur ſupplex vos convenio, divi Tutelares mei; tum mihi adeſte, ut hoſpitem divinum Viatici locò dignè recipiam, clementémque judicem experiar: annuntiem tum mortem Domini, id eſt, (a) remiſſionem peccatorum; ſacròque illo ſanguine quotidie, nunc præcipuè abluar ab omnibus animæ ſordibus, roborer in gratia, vincam in agone, bravium gloriæ ſempiternæ apprehendam.

(b) Pie, & exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea; ſed propter bonitatem tuam ſuſcipe preces ſervi tui; confige cor meum jaculo amoris tui; ita rogo per ſalvifica vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, à quibus manavit ſanguis ille pretioſus, quo redempti ſumus; vulnera peccatricem hanc animam meam potentiſſimo telo charitatis tuæ; confige etiam timore tuo carnes meas:

*A judicijs enim tuis timui.*

## iv. Non. April. 2. ejuſdem.

### *S. Franciſcus Paulanus.*

PAter Minimorum, quos vocant, S. Franciſcus virtutum omnium exemplar fuit. Reginam



(a) *Ambr. de ſacr. c. 6.* (b) *Orat S. Ambr.*

præcipuè earum, charitatem, adeò coluit, ut ea ſe demiſerit ſupra viri ſancti caput globi ignei ſchemate, cui inſcriptum nomen charitatis: inde adeò quoque ipſe igneus, ut extinctam coram ara principe lampadem absque alio medio accenderit denuò; tanto erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ myſterium ardebat affectu, ut integro nonnunquam dierum quadraginta ſpatio cellæ, è qua proſpectus patebat ad Sacrarium, incluſus ſolùm cum DEO ageret, omni humano commercio abſtinens, ſacrisque, à ſummo manè ad meridiem usque continuatis, inter affectus tenerrimos adſiſtens.

JESU dulciſſime, cujus deliciæ, eſſe cum filijs hominum; te deſiderat anima mea, te intimo affectu cor meum ſuſpirat. Invito te ad me eâ devotione, eo amore, quo anima aliqua, tui amantiſſima, unquam te invitavit. Veni itaque, Sponſe animæ meæ dilectiſſime, & pauperculum cordis mei diverſorium ſubi: veni, medice cœleſtis, & infirmam animam meam perſana: veni, Rex opulentiſſime, & dita extremam egeſtatem meam: veni, ſol divine, tenebrásque animi expelle: veni, manna ſuaviſſimum, & ſatia famelicum: veni, & cœna mecum, licèt enim nihil ſis inventurus, quod magnificentiam tuam deceat; promptam ſaltem pronámque reperies voluntatem.

Meritò Viri ſancti omne gaudium ac ſolatium in SS. Altaris Sacramento collocârunt; jure *Franciſcus noſter*, eò in cœlitum oculis major, quò

mior

ninor in ſuis, tot cum DEO ſuo dies egit; optimâ ratione tot horis cor ſuum coram eo effudit: ſiquidem myſterium iſtud non ſolùm eſt ſignum gratiæ viſibile, ſed ipſe gratiarum fons, & (a) canalis, ipſum gratiæ fontem & authorem, Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, verum DEUM ac Hominem, verè, realiter & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus panis & vini continens, imò concomitanter totam SS. Trinitatem: Nam, (b) quoties à Sacerdote oblatum fuerit hoc ſacrificium, toties DEUS Pater, cum Filio & Spiritu ſancto ſe totum ad fruendum exhibet. DEUS magne, olim teipſum exinaniſti, formam ſervi accipiens; nunc autem ad nihilum redactus es, & neſciiſti; ad nihilum redactus es, ſub orbe exili occultans immenſitatem tuam, totus in toto, & totus vel in minima parte; ad nihilum redactus, ſub modicis panis ac vini ſpeciebus, non in ſubſtantia, ſed ſub accidentibus deliteſcens. Et ultra apponat magnificare ſe homo ſuper terram! dumque Dominus immenſæ majeſtatis ferè ad nihilum redigitur, terræ vermis viliſſimus inflétur? Minimus ero deinceps, ô maximè DEUS, non nomine, ſed opere ipſo; ſumma cum demiſſione animi ad te accedam; jungam charitatem; hanc in me ſuccende; ſiquidem tu,

*DEUS noſter, ignis conſumens.*



(a) *Trident. ſeſſ.* 13. *c.* 1. (b) *S. Thom. opuſc.* 63. *c.* 2.

iij. Non. April. 3. ejuſdem.

*SS. Joſephus Poëta, & Genovefa Palatina.*

NOn ignobilem inter ævi ſui Poëtas locum tenebat Joſephus noſter, indignum ſe excelſo Sacerdotum gradu judicans, quoad obedientiâ denique adactus, ſacris initiari ſe paſſus eſt. Tum primo, tum etiam alijs ſequentibus ſacris cilicio ſe, & aliâ multiplici carnis maceratione paravit. Præ Divis alijs præcipuo in Bartholomæum Apoſtolum ferebatur affectu; qui clienti ad aram facienti ſe ſiſtens aliquando, Evangelium pectori ejus appreſſit, benè eidem precatus. Moriturus, cœlo deſcendentes vidit choros Angelorum, Martyrum cohortes integras, agmina Confeſſorum ac Virginum, quòd geſta, laudésque illorum verſibus exornâſſet, in Eccleſijs dein devotè concinendas.

Quoties divinam in ara Hoſtiam libabo, ac ſumam deinceps, Chriſtum mihi ob oculos ponam, Evangelium mihi, amoris ſui teſſeram, ponentem ob oculos, cordíque apprimentem; *ſiquis* enim, inquit ipſe, *diligit me, ſermonem meum ſervabit.* (a) Agamus itaque nos in lege Domini, & Evangelio, quod egit Mariæ uterus; hic Chriſtum portavit, nutrivit, genuit; nos eum circumferamus memoriâ, in corde nutriamus, generemus in mente proximi: non recedat ab ore, non exeat è corde; diligamúsque ita Domini legem,

(a) *Auguſt de Euch.*

gem, ut in ea diu noctúque cum hymnographo regio meditemur. His exercitationibus armati tot ſancti vicerunt mundum, carnem, dœmonem; operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Teſtem hodie ſiſtit Eccleſia Genovefam, Sigfridi Comitis Palatini Conjugem; quæ variè tentata, ut fidem thori violaret, ſemper ſibi conſtans, in propoſito immota, cùm nulli alteri locum daret vulneri, patuit demum invidiæ; nam, ad Suſannæ caſtiſſimæ exemplum, delata ad maritum, & adulterij inſimulata, ad mortem cum prole innocente damnata fuit; divinitùs tamen ſervata, vitam in ſilvis miſerrimè transegit, à calce tamen juſtitiæ nec unguem latum deflectens. Mater divina ſuam illi opem luculenter ſpopondit, ita aliquando orantem affata: *ego te non deſeram.* Tandem reperta, cognitâque innocentiâ domum revocata à marito, ad aulam cœleſtem paulò pòſt abijt, adepta repromiſſiones. Nempe preſſa virtus nunquam tamen opprimitur. Eandem conſtantiam ego quoque æmulabor, ſic in concepto animi decreto radicatus, ut nec adverſis quibusvis, nèc morte ipſâ inde divelli me patiar; & omnia potiùs feram, quàm DEUM, meum offendam. Utíque robur hoc decet, ne dicam, Chriſtianum, cujus eſt, agere & pati fortia, ſed vel maximè Sacerdotem, in ſortem Domini jure peculiari vocatum. Sed, heu me, quoties ad verba divina, & monita ſalutis obſurdeſco! Tu Domine, digitos tuos auribus meis inſere, eásque ſacro

Evangelio tuo efficaciter pande. Monſtra mihi viam perfectionis; in ſemitam mandatorum tuorum deduc; ut ſic victis animæ meæ hoſtibus adipiſcar repromiſſiones cum ijs, qui

*Operati ſunt juſtitiam.*

## Prid. Non. April. 4. ejuſdem.

### *S. Maria Ægyptiaca.*

PUdorem pridem vulgaverat Maria, cui ab Ægypto patria, nomen, cœno luxuriæ turpiſſimè merſa; cùm Jeroſolymam petijt, non devotionis cauſâ, ſed peccandi occaſionem quæſitura: cúmque templum illud auguſtiſſimum ſubire unà cum alijs cogitaret, ingreſſu cœlitùs eſt prohibita; quamvis tertiùm eundem tentâſſet. Inde commota animo, ad Mariam, commune miſerorum perfugium ſe contulit; deflevit flagitia ſua; móxque admiſſa intra Eccleſiam, confeſſione eadem expiavit. Tum Magdalenæ ſecuta exemplum, in eremum abijt, favoréſque cœleſtes uberrimos meruit ibidem. Tandem à Zoſimo anachoreta reperta, ſacróque refecta Viatico, ad cœlos evolavit, clariſſima pœnitentiæ idea: Ità propitium habet judicem, cui Mater Judicis ſuffragatur.

Servator piiſſime, qui neminem vis perire, ſed omnes ſalvos fieri, concede, ut ex frequentatione ſancti Templi tui, & Altaris, vitæ morúmque hauriam emendationem; & ita renovatus ſpiritu mentis meæ, induam novum hominem,

qui

:cundùm te creatus ſit. Aſſimilare, Dilecte aſſimilare aucupi; ſiquidem anima mea quaſi avolavit poſt mundi vanitates, à ſenſibus ac concupiſcentia mala illecta & abſtracta. s-ſum, ingemiſcens dico cum magno Augu-; ni alis tuis protegas, milvus me rapiet. e itaque ſacratiſſima vulnera tua; illicium inis tui pretioſiſſimi objice; ut captum eo-cor meum ſe recipiat ad foramina petræ; nque in caverna maceriæ SS. Lateris tui po-tuta ab omni vulturis ſtygij aſſultu. Tu, qui in me opus tuum, quod formâſti, quamvis ſſimè deformatum à me; equidem mirabi-condidiſti hominem, ſed longè mirabiliùs mâſti; reforma in me, quidquid diſſipatum quod ruinam ſpectat, reſtaura; planta, quod ſſarium. Ecce, timor mortis, inferni pe-i me circumdant; inde deficit in dolore vi-ea, & anni mei in gemitibus. Hâc preſ-nimi amaritudine, dulciſſimo ac paterno cor-io me commendo, ex intimis rogitans vi-bus: converte me; & convertar: ſana me; nabor; ſalvum me fac; & ſalvus ero. O a, refugium peccatorum, beatiſſima DEI r, omni laude dignißima, quæ Trias SS. ıalia in membris tuis non eſt operata? San-a, te oro, omnia membra mea, ut ad prae-einceps epera non moveantur. Poſſideam patrocinio vas corporis mei in ſanctificatio-: honore; omnem in me ſæculi, ac carnis amo-

amorem reſtingue; ut care Filij tui ſaginatus, impoſterum

*Quæ ſurſum ſunt, quæram, non, quæ ſuper terram.*

## Non. April. 5. ejuſdem.

### *S. Vincentius Ferrerius Conf.*

(a) PResbyter quidam, die hâc, reduci à morte Servatori ſacrâ, anno æræ Chriſtianæ quinquageſimo quarto ſupra milleſimum ducenteſimum, Euchariſtiam populo diſtribuens Duaci, hoſtiam conſecratam humi abjectam repentè conſpicatur; dúmque eandem territus levare conatur, ipſa ſuâ virtute aſſurgens, ſuper purificatorium, in ara extenſum, ſeſe demiſit; ubi pluribus ſchemate puelli ſpecioſiſſimi, alijs Servatoris, ſpineo ſerto redimiti, alijs demum ejuſdem, in crucem ſuffixi formâ apparuit.

Ave JESU, vivificans gemma divinæ nobilitatis, immarceſcibilis flos humanæ dignitatis, Salvator candide & rubicunde, pro blaſphemijs quibusvis, ac contumelijs, nunquam tibi illatis. Ex creaturarum omnium affectu te ſaluto ac benedico tot millenis vicibus, quot pro me lacrymas fudiſti in cunis, quot emiſiſti ſuſpiria, vulnera pertuliſti ac plagas, ſanguinis denique guttas prodegiſti: Saluto te, ac benedico tot millenis vicibus, quot virtutum pro me actus elicuiſti, quot deſiderijs hominum ſuſpirâſti ſalutem, quot

(a) *Diar. Girald.*

uot corruiſti lapſibus, quot paſſus es deliquia, uot gemitibus Patrem exorâſti: Te ſaluto, ac enedico tot millenis vicibus, quot in flagellatio- e conſciſſus es vulneribus, quot capiti SS. im- reſſæ ſpinæ, quot vultui impacta phlegmata fæ- da, quot adſtrictus vinculis, quot opprobrijs xſaturatus, ſannísque ſcurrilibus deriſus: quot enique falſis inſimulatus teſtimonijs, quot men- aciis onuſtus, quot appetitus calumnijs, quot udicibus iniquis exhibitus: Has omnes ſalutatio- es, mille millenis auctas vicibus, toties offerre ibi intendo, quoties ad aram innovabo memo- iam paſſionis tuæ ſacratiſſimæ: ſed meminero ſi- ul, mortem tuam annuntiando, adimplere, uæ deſunt, paſſionum tuarum, in carne mea, orpus meum caſtigando in re aliqua, ac in ſer- itutem redigendo, exemplo S. Vincentij Ferrerij, uo, ſacrum indies cum cantu celebrans ſummo nanè, carnibus perpetuò abſtinuit; inviolabilem ejunij legem ſibi dixit; linum induit nunquam; erba ad populum quotidie fecit. Tu, JESU atientiſſime, qui duriſſimum agonem animo in- icto tolerâſti in cruce, largire gratiam, ut pec- ata mea amarè defleam; ne durus aliâs agon ijs- em multò adhuc durior mihi reddatur; ut mun- o crucifixus, in te vivam ac moriar, qui mun- i contemptoribus

*Reddis centuplum, & vitam æternam.*

viij. Idus

viij. Idus April. 6. ejuſdem.

## *S. Eutychius Patriarcha Conſtant.*

SAcro dicendo ſeſe in corona populi accinxerat feſtâ quâdam luce S. Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus; ſamque loco ſuperiore ſacris indutus veſtibus conſtiterat; cùm ſubitò apparuit denſa nubes, populum involvens, ſancto Præſule, omnique arâ ingenti ſplendore circumfuſo.

Populi immiſtus cœtui, templa ego quoque adibo, ſacríſque interero, pro communi neceſſitate ſupplicaturus. Siquidem intrat in conſpectu DEI oratio, ſi nobiscum comprecetur Eccleſia ſi populus univerſus imploret DEI miſericordiam ut Domini inclinet favorem. (*a*) Apparuit aliquando S. Genovefa Guilielmo Abbati Roſchildenſi admodum ſibi devoto, dixítque: noli timere, quoniam bonum Dominum habemus, Salvatorem noſtrum JEſum Chriſtum. Accedamus igitur cum fiducia ad bonum hunc, imò optimum Dominum; accedamus, & non timeamus: (*b*) licèt enim mali ſimus, bonum tamen Patrem habemus; & ideò mali bonum Dominum habemus, ne mali ſemper maneamus. Omnibus itaque, pijſſime DEUS, gratiam tuam infunde, quâ te ſuper omnia diligamus, mandata tua ſervemus, impetremus admiſſorum veniam, & vitam perpetuam conſequamur. Propitiare nobis, Domine, & parce peccatis noſtris:

(*a*) *Sur. hodie.* (*b*) *Auguſtin.*

ſtris: vitæ noſtræ defectus ſupple perfectionibus tuis; abſtrahe efficaciter ab amore carnis, à vanis mundi rebus, ab omni denique eo, quod corpori ac animæ obeſſe poteſt. Id ſi non meremur, meretur certè SS. tua Incarnatio, Nativitas, Paſſio, Vita & Mors tua; meretur Corpus tuum ac Sanguis, quem quotidie in ara litamus ſumimúsque. Fac, ut corde perfecto tantum exequar miniſterium, ut mundâ couſcientiâ tibi ſerviam, teque ardenti diligam charitate. Fac, ut mihi, mundóque mortuus, tibi ſoli vivam; & in morte tuâ mihi pietate occurre. Perpende, anima mea, quali inſignita ſis honore; Sacerdos JEſum ſuo continet ſinu, ac circumfert. Non itaque aleviâſti onus tuum, arctiori adſtrictus vinculo diſciplinæ: certè in Chriſti redundat injuriam mala Sacerdotis converſatio; & tantò gravior efficitur error, quantò, qui erat, ſublimiori loco conſiſtit, DEI ipſius vices gerens. Ita Chriſtus ipſe dilectæ ſibi Gertrudi teſtatus eſt, inquiens: (a) quantò quis ad digniorem ordinem à Domino ſublimatur, eò juſtiùs, indignè vivens, condemnatur. Nunquam igitur mihi ſufficiat, quod ago; & eorum, quæ retro ſunt, oblitus, ad priora extendam meipſum: ignis divini amoris, nunquam quietus, ad id me extimulabit; & omnia bene ſuccedent: nam

*Amanti nihil difficile.*

vij. Id.

(a) *Lib. 4. Inſin. div. c. 11.*

## vij. Id. April. 7. ejuſdem.

### *B. Hermannus Joſephus.*

A JESU & MARIA, Sponſi virginei & Nutritij, Joſephi, nomen tulit Hermannus, felici auctario. Ab anno ætatis ſeptimo ita coluit Mariam, ut dignum ſe reddiderit, qui, ipſâ Virgine invitante, in templo colluderet JEſulo, ejúsque Baptiſtæ infanti. Inopiâ preſſus, ad communem Matrem recurrit; quâ monſtrante, nummos ſub ſaxo quodam reperit, quoties egeret. Quoties Mariæ nomen audijt, ad terram protinus ſe abjecit, cœleſti ſemper odore recreatus. Religioſis D. Norberti filijs adlectus, Miſſæ ſacrificium, Spiritu divino abſtractus, longè ultra ſolitum tempus produxit, ind hypocrita dictus ab alijs, à quibuſdam ſingularis, indiſcretus, aut etiam temporis, ceræque prodigus; qui tamen ab alijs, quibus dona ac lumina, DEI famulo tum conferri ſolita, ignota haud erant, rubore ſuffuſi ſunt, ubi cerei, ante ſacrum lanci appenſi, eo abſoluto ejuſdem omnino, quod antè pendebant, ponderis eſſe, deprehenſi fuerunt.

Brevitati ego in re, omnium ſacratiſſima, ſtudere ſoleo, ne moroſitatis arguar ab alijs. Heu, cordis humani cæcitatem! In lumine verſari, & ab eo feſtinanter recedere; potari fonte aquæ vivæ, & præferre nauſeam; Deum habere præſentem, & tergum illi indecorâ ruſticitate obvertere; poſſidere cœli delicias, & ijs ſe ſubducere; *manna* paradiſi edere, & cæpas Ægypti ſuſpirare,

eò

ò nempe cordis humani cæcitas impellit. Vos, ſacerdotibus ingeminabat aliquando Franciſcus Seraphicus, vos, qui DEI conſortio fruimini, eúmque cœlò ad vos evocatis, aliud quidpiam optare in mundo poſſitis? audeatis? (a) Dejicit ſe à culmine generoſitatis, qui aliud poſt DEUM amare poteſt.

O amabiliſſime DEUS, ſummum & infinitum bonum, amo, & in æternum amabo te toto corde, & mentis affectu. Tu, deliciæ meæ, tu dulcedo, jucunditas, & omne gaudium meum. Utinam ampliùs, & millies ampliùs, imò tanto, quanto dignus es, amore te amare poſſem? Confige cor meum telo divinæ charitatis tuæ; ſaucia illud dilectionis tuæ vulnere; da mihi amorem tui; ſine te enim nec amare te poſſum, neque tibi placere. O quàm doleo, te, amorem dulciſſimum, omne & ſummum bonum, vilipendi, offendi, ac injurijs provocari! quàm jure quereris: projecerunt me poſt tergum ſuum; fecerunt ſibi idola; foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Nempe amatur mundus, non mundi conditor; creaturæ diliguntur, non creator; amantur fædæ voluptates, non veræ deliciæ. Amor profanus amatur;

*Verus amor non amatur.*

## vi. Id. April. 8. ejuſdem.

### *S. Witterpus Epiſcopus Auguſtanus.*

E Religioſo D. Benedicti alumno in Abbatem primum,

(a) *S. Cyprian.*

mùm, inde in Episcopum Ecclesiæ Augustanæ assumitur Wicterpus; qui mox, ut Arij pestem, latè tum in orbe grassantem, submoveret à suis oviculis, nullum non lapidem movit. D. Afræ sacram ædem, Hunnorum irruptione dejectam restituit. Jam evectus ad cœlos, beatæ Herluccæ, cùm hæc Sacerdoti, Deum Eucharisticum elevanti in Missa, assisteret, spectandum se dedit; simúlque Christum eo ipsò schemate, quo olim à Pilato productus ad populum fuerat, exhibens, pavescenti dixit, ita laniari eundem etiamnum ab ijs, qui tantum Mysterium indignis manibus, ac ore tractarent, sumerentque. O judicium tremendum, sacrilegis Sacerdotibus proximè impendens!

De omnibus ac singulis defectibus, negligentijs, & indignis (siqui forent) ad sacrum Altare tuum accessibus, quibus bonitatem tuam unquam offendi ac contristavi, JESU patientissime, amore tu vehementissimè doleo; & ad pedem crucis, in qua, Sanguinem tuum ad supremam guttulam pro me effundens, expirâsti, prostratus me accuso in contritione cordis mei, & in spiritu humilitatis ac nihili mei, de iterata toties perfidia mea, & injurijs, tibi multipliciter irrogatis. Fateor omninò, me sceleribus meis in crucem te denuo suffixisse; superbiam meam, ac ambitionem, sacratissimo capiti tuo rursus impressisse spinarum aculeos; gulam effrænem felle te, & aceto iterum potâsse; avaritiam ac terrenorum amorem hostibus te rursum vendidisse; iram ef-

fera-

ferâtam cor tuum dulciſſimum denuò perforâſſe; obſcænas ſenſuum illecebras flagris iteratò te conſcidiſſe; invidiam blaſphemâſſe cum Judæis; denique acediam duriſſimum tibi crucis lectum parâſſe. Quàm tremendum proin mihi imminet judicium, & ſine ullâ miſericordiâ, qui non feci miſericordiam cum Domino & DEO meo, *rurſus crucifigens Filium DEI*! Quàm formidandum impendet judicium accedenti indignè ad ſacrum Altare, nec Corpus Domini dijudicanti! Piiſſime JESU, habes confitentem reum; tu, qui non vis mortem peccatoris, peccata omnia, ac iniquitates meas in abyſſum miſericordiæ tuæ demerge. Ecce pro exceſſu mentis meæ offero tibi humillimum cor tuum, qui mitis es, & humilis corde: offero tibi pro cupiditatibus meis neceſſitates tuas, qui non habuiſti, ubi caput laſſum reclinares; pro iracundiâ orationem illam dulciſſimam, quâ Patrem pro inimicis deprecatus es; jejunia tua pro gulæ intemperie; pro acedia transactas in precibus noctes; pro invidiâ miſericordias tuas; pro impuritate mea ſummam puritatem tuam. His, Domine,

*Lava me ab iniquitate mea; & à peccato meo munda me.*

## v. Id. April. 9. ejuſdem.

### *S. Dioſcorus Abbas.*

(a) QUando ſederis (ita monet Sapiens) ut



(a) *Prov. 23.*

comedas cum Principe ; ſtatue cultrum in gutture tuo ; ſeu, quod idem eſt, attende, ut decenter appareas, & debito te modo præpares ; ne, quod in ſalutem inſtitutum eſt, exitium tibi adferat, & ruinam. Cultrum eſt ſacratiſſimum Chriſti Corpus, pertingens usque ad ſubſtantiam animæ, & dividens carnem à ſpiritu: ſed gladius ſimul eſt, lethali indignos vulnere conficiens. Divino hoc Epulo ſaginatur Petrus, (a) morti ſe, pro Magiſtro oppetendæ, animoſè obtulit ; at in Judam (b) poſt acceptam buccellam introivit Sathanas : inde diſcipulos, quos centenos numerabat in Thebaïde S. Dioſcorus, monuit, ſic accederent, quaſi ſtatim morituri, Deóque judici ſtrictiſſimam de tanto Myſterio rationem reddituri.

(c) Væ nobis, quorum pedes ſtant in domo Domini, ubi Cibus Angelicus nobis ſumendus proponitur, verus Deus, ad quem toties accedimus ſine veſte nuptiali. Væ nobis, qui jure metuimus, ne idem nobis contingat, quod illi, cui, ad cænam magnam vocato, & indignè comparenti, dictum eſt : *ligatis manibus & pedibus ejicite illum in tenebras exteriores.* Igitur cùm ſedero, ut comedam cum Principe ; ſtatuam cultrum in gutture meo, omnem impendendo operam, ut decenter compaream, meque ſtudioſè præparem, dum intrem in Sanctuarium DEI, ſubeámque Sancta Sanctorum. (d) Non dixit Sacrilego illi Rex:

(a) *Joan.* 13. 37. (b) *Ib. v.* 27. (c) *Chryſoſt. Hom.* 61. *in Matth.* (d) *Chryſoſt. ibidem.*

Rex: quare discubuisti sine veste nuptiali? Sed: quomodo intrâsti, non habens vestem nuptialem? hæc nobis quoque, loquendo, & increpando, si impudenter accedimus. Quodsi miser ille sine omni veste intrâsset; si, ut injuriam faceret Regi, discubuisset; si in contemptum ejusdem accessisset; qualem, putas, sententiam excepisset? nónne fulmine, cælitùs immisso, consumptus fuisset? vel hiante sub pedibus solo vivus ad inferos esset deturbatus? Nónne verò tantum scelus audent Sacrilegi Mystæ, qui absque animi expiatione mensam divinam frequentant? Væ talibus, & millies væ!

O summa & tremenda Majestas, coram qua cœli immundi sunt, quomodo indignissimus ego terræ vermiculus, omnium fœditatum ac miseriarum sentina, te, puritatis totius fontem, corde usque adeo immundo suscipere audebo? quomodo in animam, spinis ac tribulis undíque obseptam, introducam? Tu, Domine, cæcos & claudos, pauperes & debiles ad cœnam tuam vocâsti; ecce, ego, illorum unus, imò miserrimus omnium, non ex præsumptione, sed humili piâque fiduciâ, ad sanctissimi Corporis ac Sanguinis tui cænam accedo; tu vestem confer nuptialem; &, qui dignos de indignis, de peccatoribus Justos ac Sanctos efficere potes, cor mundum in me crea, & Spiritum rectum; ut ad Sancta Sanctorum dignè merear accedere; cùm satis sciam,

*Paris sumptionis quàm sit dispar exitus.*

iv. Idus April. 10. ejuſdem.

## *S. Walto Abbas.*

PErcelebris in Bojaria Monaſterij Weſſofontani Antiſtes fuit D. Walto, vir miræ abſtinentiæ, & virtutum omnium cumulo ornatus. Immunitatis propugnator acerrimus, plures pertulit moleſtias à nobilibus, plebejísque, qui Monaſterij bona vexabant. Cùm tempore quodam tantus eſſet vini defectus, ut neç ad ſacra facienda quidquam ſuppeteret; (*a*) famulum ſat capaci inſtructum vaſe ad fontem Weſſonis amandavit Walto, ut aquam adferret; quàm, cruce ſignatam, vinum fecit, majori inde prodigio immutandum ad aram.

Omnem dœmon exerit conatum, ut maximi hujus myſterij impediat exercitium, jam materiam phyſicam ſubtrahendo, prout hîç contigit, jam varijs corda fidelium terriculamentis diſtrahendo; quibus vel abſtrahat omnino à tanto opere, vel ſaltem imminuat devotionem. Major tunc eidem opponenda induſtria, animíque collectio, ut DEO exurgente, nobísque propinquante, inimicus diſſipetur. CHRISTUS ipſe, dilectam ſibi Birgittam allocutus occaſione quâdam dixit: ſicut ego in horto Gethſemani per illa verba: *ego ſum*, totam cohortem militum in terram, dejeci; ita per verba conſecrationis Sacerdos dejicit, & expellit dœmones

(*a*) *Rader. in Bavar.*

mones omnes taliter, ut ad eum accedere amplius non auderent, nisi ipsa anima per affectum ad peccatum eos denuò ad se vocaret.

(a) Hæc mystica transsubstantiatio dæmones compellit, & procul esse facit; ad nos Angelos vocat, & Angelorum Dominum; ubi namque Dominicum viderint Sanguinem, fugiunt. Quis loquetur potentias Domini, dignis eas laudibus extollendo, quarum specimen in admirando hoc mysterio ostendit? Potentias, inquam, amoris, misericordiæ, dignationis & humilitatis, in quibus benignissimus Dominus quotidie visitare me, ex alto descendens, dignatur? Igitur benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus; quia misericordia ejus magna est super me, dum eruit animam meam ex inferno inferiori, seu dæmonum insidijs, & assultibus, dum in conspectu meo parat mensam Augustissimi Corporis, & Sanguinis sui, adversùs omnes, qui tribulant me.

O stupendum super omnia prodigium! (b) Creatus est homo, ut serviret Creatori; & dixit: non serviam. Ego igitur, inquit Creator; serviam tibi; tu recumbe, & ego ministrabo; sed qualem cibum? ecce meipsum, paratum immolari, ut comedas carnem meam, & Sanguinem bibas. O stupendum super omnia prodigium! Deus tibi ministrat, homo vilissime, Deus se tibi in cibum, potúmque exhibet, & (c) usque ad



(a) S. Chrys. hom. 61. ad pop. (b) Guarrin. serm. 1. in Ram. Palm. (c) S. Cypr. de Cœna Dom.

ſocietatem germaniſſimam te ſibi conjungit. Verò *Calix Domini quàm præclarus eſt!*

## iij. Idus April. 11. ejuſdem.

### *S. Leo I. Papa, Cognom. Magnus.*

ANno Æræ Chriſtianæ 556. in Gallia contigit, puerum quemdam Hebræum, paſchatis tempore fidelium turbæ miſtum, ad ſacram Synaxin accedere: quod ubi parens reſcijt, furore amens filiolum in clibanum ardentem projecit, exitu undíque præcluſo, quò penitùs conflagraret. Re ad prætorem delatâ, Chriſtiani ad furnum concurrunt, puellúmque illæſum omninò reperiunt, aſſerentem, ſaluti ſibi, ac auxilio fuiſſe Dominam illam, quam Chriſtiani in templis ſuis colerent, aſſervarentque.

JESU benigniſſime, quæ cauſa fuit, quòd ad liberandum hominem, non horrueris Virginis uterum, imò, quod longè ſtupendum magis, hodieque in corde cujuslibet Chriſtiani divertere non dedigneris? Sanè non alia, quàm erga miſeros nos commiſeratio, quâ verè miſericors, & miſerator Dominus, unicè deſideras te nobis exhibere Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis. Crevit enim tecum, piiſſime animarum noſtrarum Aſſertor, ab infantia miſericordia; & de utero Matris egreſſa eſt tecum; inde novos ſemper modos, artesque adinvenis, quibus miſererearis noſtrî, nósque ad te deducas. Dediſti olim Abrahæ circumciſionem; hujus vicem modò

ſubit baptiſma. Voluiſti antea victimis placa-
, & holocauſtis; jam teipſum nobis tradidiſti,
tri immolandum. Arçam fœderis quondam
ctificâſti; nunc ipſe ſacrario concluderis,
us immenſe. Paſcha typicum priùs electo po-
lo tuo præcepiſti; nunc teipſum exhibes Ag-
m Paſchalem, ab omnibus ſumendum, novas
nper artes, modósque adinveniens, quibus
ſerearis noſtrî, nósque ad te deducas. Obti-
t id etiam in malis, ac neceſſitatibus corporis,
ibus paternè, ac prodigioſè ſubvenis, jam per
ctos tuos, jam per teipſum, & vel maximè
r auguſtiſſimum Altaris Myſterium, per quod
votas tibi animas omni conſolatione reples, ac
ned ctione; & hominis utriusque ſoſpitatem mi-
icorditer impertiris. (a) Hæc devotio ad SS.
orpus Domini, inquit D. Leo, hodie cultus ab
cleſia, non tantùm pro tempore Paſchali te-
nda eſt; verùm pro totius anni curſu, & vitæ
ctificatione: Et ad hoc præſens exercitatio de-
t intendi, ut, quæ animos fidelium experimen-
brevis obſervantiæ delectârunt, in conſue-
dinem tranſeant, intemerata permaneant; in
getationem tranſeant animarum, & omni be-
dictione nos repleant. Siquidem per hoc Sa-
amentum DEUS

*Dat eſcam timentibus ſe.*



(a) *Serm.* 69.

## Prid. Idus April. 12. ejuſdem.

### *S. Alferius Abbas.*

IN famil'ia Magni Benedicti Antiſtitem egit S. A ferius, centum viginti annorum ſenex, ſenſit tamen adeo etiamtum integris, ut ad aram qu tidie facere nihil impediretur; quoad voca tandem à Deo fuiſſet hoc promiſſo: in die cæ meæ venies ad me. Cùm itaque omnes mag illius diei ritus ſolenniter obijſſet, ac filijs R gioſis pedes abluiſſet; largam in egenos ſtip profudit; ſuisque valedicens, cellæ ſe inclu ubi animâ, Deo pro more commendatâ, in t ram procumbens obijt, atque ad cœnam co cam tranſivit.

Mors echo vitæ. Quis proin miretur, Pi ſulem hunc ad Dominicam cœnam ipſâ die Cœ abijſſe, qui in ara quotidie cum Servatore cœ vit? O felix tranſitus; O beata mors. O fortunatum, ſi gratiam ſimilem contingeret tinere! Verùm imitari non pigeat, quod c brare delectat. Oportet ſanctorum exempla ctari, ſi eorum morte volumus beari. Et dem facile admodùm eſt, cœnam Dominicam ſ cti iſtius exemplo indies frequentare; verùm quam difficile, eâdem vitæ probitate, ſimili fectu ac devotione id peragere: neque tai hoc etiam, uti difficile, ita impoſſibile eſt.

Amabiliſſime JESU, quid aliud eſt SS. Cor ris & Sanguinis tui Myſterium, quàm fornax ar

ris

ris; in qua tu, ô charitas immensa, admirabilem virtutem tuam exhibes ad animarum nostrarum salutem; ut sic amorem tuum infinitum, nunquam erga nos otiosum, ostenderes? Quantam tibi vicissim debeo charitatem? & quàm friget illa, quam hucusque verbis, operibus, & affectibus tibi redhibui! Videor mihi te amare, siquando, preces vocales obeundo, mentem ad te elevo: sed quàm jure timendum mihi, ne eorum sim gregalis, qui labijs te honorant; nec cœlos subibunt, utut Dominum te repetitò compellent. Videor mihi te amare! dum cum Petro jactabundus vitam ac Sanguinem daturum me spondeo: sed inanis hominum respectus, occasio leviter impellens, eò me deducunt, ut factis saltem te negem. Videor mihi te amare; quoties cum D. Francisco ingemino illud: ô Deus, ego amo te: verùm reditus ad vomitum satis probat, cor à lingua plurimùm divertere. Tu, ô JEsu, fac me amare te, toto corde, totâ animâ, totis viribus, totâ mente; ab hoc momento incipiam te amare, JESU amantissime, & amare quidem toto corde, nullam ejus partem ad creata transferendo, sed totum tibi consecrando: tu pone te, ut signaculum, super illud; tu illud, velut seràm, conclude, ut alteri non pateat. Da, ut moriendo amore tui moriar, qui amore mei mortuus es; ut, si minùs dignus sim, qui cruorem pro te profundam, ideo saltem moriar, quia tu ita jubes; moriar, quia me vocas; sicque deveniam ad domum Patris tui; tu enim asseris:

*Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Idi-

## Idibus April. 13. ejuſdem.

### *S. Hermenegildus Mart.*

SI anima plus eſt, ubi amat, quàm ubi animat; Hermenegildus, Rex natalibus, ætate juvenis, Angelus moribus, à Leovigildo patre Ariano, collo ac brachijs in carcere conſtrictus, non in ergaſtulo, ſed in cœlo cum Deo erat; quem ſolum, animo regio creata quævis ſupergreſſus, amabat. Euchariſtiam adeo eſt deveneratus, ut ſanguinem lubentiſſimè profuderit, ne ſacrilegio polluere tantum myſterium cogeretur, jubente patre, ut miniſtro ad hoc Ariano Epiſcopo uteretur. Itaque ſecuri capiti impactâ, cerebróque effuſo, inter concentus Angelicos eò abijt, quò cor, amore DEI plenum, pridem præmiſerat.

Satis eſt nobis, Domine, ad veram, realémque præſentiam tuam in ſacro Altaris Sacramento firmâ fide tenendam; quòd veritatem hanc ipſe, qui veritas ſuprema es, revelare ſueris dignatus. Proin credo omnia, quæcunque circa ineffabile hoc myſterium ſancta tua Eccleſia, à divino Spiritu illuſtrata, tenet, docet, profitetur, & credenda nobis proponit. Credo, te integrum in ſacroſancta Hoſtia, totum in tota, & totum in qualibet parte ejuſdem: credo tranſitum ſubſtantiæ panis & vini in SS. Corpus & Sanguinem tuum, accidentibus miraculoſè ſubſiſtentibus ſe-*ipſis*; & quamvis ſumant mille, tu tamen ſumptus

non

on consumeris. Hanc fidem, utut nulla indultus necessitate, pro sola immensa bonitate tua, ot per orbem universum, tantisque prodigijs roborare dignatus es; ut nullus ambigendi locus, nisi soli pertinaciæ, sit relictus. O quàm grande beneficium, quàm nunquam satis æstimanda gratia est donum veræ fidei; quâ sanctæ Ecclesiæ mæ aggregatus, cum fidelibus alijs augustissimum, tótque ac tantis firmatum miraculis Altaris Sacramentum, firmâ fide, spe certâ, charitate indefinente colerem, & adorarem: & utinam mortales universi, hæretici, ac perversi alij omnes, idem mecum agant! Sed, eheu! quanta pars altissimis pertinaciæ ac ignorantiæ tenebris involuta, te in amabilissimo hoc mysterio aut ignorat, aut contemptu sacrilego proculcat! Miserere, Domine misericors, miserere omnium illorum; & veræ lumen fidei sedentibus in umbra mortis impertire; ut ignorantiâ sua ac perfidiâ agnitâ, illatas tibi injurias expient; seque Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, adjungant, veræ oves pascuæ tuæ, vocem tuam audientes. Prius tamen rogo, vires mihi conferas, ac gratiam, ut illorum defectum interea supplere valeam; ut cultum, quem tibi negant, solus deferam; &, si res postulet, pro diviniſſimi istius Sacramenti tuitione Sanguinem profundam, sicque fidem meam obsignem: saltem contestor jam ex animo, me, velut obsequentissimum sacræ Ecclesiæ filium, profundissimè devenerari augustissimum hoc Mysterium, ac in ejusdem cultu vivere, & mori velle; dum de illo

multis oculis ad vana aspicit. Hic autem acu
sus, & perspicacis est, qui per unum animæ o
ad solum verum bonum prospicit. Hoc e
spiritu S. Lydwvina, ut pudori nihil obesset
talis corporis species, novo apud puellas
deformitatem petijt. Neque abnuit Deus
morbis immissis adeo omnem ab ea decore
stulit, ut nulli, nisi Christo, placeret. I
tegro annorum octo supra triginta spatio
dolores, morbosque, ad Sponsum cœlestem
spiravit; summum interim reputans cruciat
experiri tum, quum Epuli Eucharistici freq
ei negaretur: quare dum sibi molestam te
statuit confessarius, particulam non um be
ctam ei porrexit die Virginis natæ; sed cũ
glutire ori immissam nequiret Lydwvina; e
eam ejecit; ac fraudem ministro exprobravit

Dulcissime JESU, multæ, & innumer
causæ sunt, ob quas conspectu tuo divino
sus indignus sum; iniquitates meæ superg
sunt caput meum, & multiplicatæ super n
rum arenæ maris. Quid itaque aliud à te
ctem, quàm justam indignationem, ac vindic

P

Greg. Nyss. hom. 3. in Cant.

Poſt tot, tantáque beneficia, à te liberaliſſimè accepta, divinam Majeſtatem tuam offendi perfidiâ, ac ingratitudine eò turpiori, quò plura mihi contuliſti. Quâ igitur ratione miſericordiam ac gratiam tuam deinceps conſequi potero, ingratus ac perfidus peccator? Verùm, ô pietas inexhauſta! en in SS. Altaris Sacramento novum & mirabile pignus immenſæ bonitatis tuæ mihi exhibes: ad hoc pleniſſimis ſolatio verbis invitas univerſos, inquiens: *venite ad me omnes, qui laboratis* in ærumnoſâ hac miſeriarum valle, *& onerati eſtis* adverſitatibus, tentationibus, luctâ ſpiritum inter, & carnem, vitijs, málâ aſſuetudine, pondere peccatorum, tot admiſſorum ſceleum ſarcinâ; *& ego reficiam vos.* Veni igitur, Domine, & noli tardare; refice nos, erue nos, libera nos; doce manus noſtras ad prælium; aufer à nobis iniquitates noſtras; diſrumpe vincula & compedes, quibus adſtringimur; captivam duc captivitatem noſtram; ut mente liberâ & constanti te diligamus, tibíque ſerviamus. Ità læti concinemus cum pſalmographo: *laqueus contritus eſt; & nos liberati ſumus.*

*Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

## xvij. Cal. Maij, 15. Aprilis.

### *S. Petrus Cardinalis.*

S. R. E. Cardinalis erat D. Petrus; (a) qui ultimo vitæ triduo ita affectus erat gutture, ut nihil om-

(a) *Menolog. Benedictin.*

omnino alimenti trajicere poſſet. Inde neg moribundo ſupremum Viaticum; quo ut fue ante obitum, ad morientium Patronam, Ma confugit. Adeſt hæc devoto clienti, & pſ ſui propagatori præfervido, guttúrque ma fectum manu virgineâ contingit, aperítque cibo transmittendo: inde Petrus Epulo divi fectus, adeo in DEI amore exarſit, ut tanto cálens incendio, ſtrepitum ederet; denique ſuccumbens, amoris actibus immo tur.

Benefice, ac gratioſiſſime JESU, quid buam tibi pro omnibus, quæ tribuiſti quas tibi grates rependam? De cœlo in t deſcendiſti, ut doceres nos verbo, exemp mares: Crucis arborem conſcendiſti, ut d ſum ad inferos revocares. Neque his cont teipſum in ſacro Euchariſtiæ myſterio reliqui ſemper nobiſcum eſſes usque ad ſæculi co mationem. O beneficium inexplicabile! omnia audet amor. O fons inexhauſtus; na admirabilis, vena vitæ, fons ſpirituali què, ac temporalium bonorum! Si tanta a ô mi Deus; quidnî audeam & ego? (a) fuit B. Henricus, Baumbergæ, cœnobio qu in Bavaria, vitam monaſticam agens; qui pliùs in ſpiritu progreſſurus, includi voluit læ cuidam, u'tra palmos duodecim non p ſæ, nec in longum, nec in latum; tria foramina in eadem aperuit; primò victu

d

(a) *Rad. Bavar. S.*

dicus immittebatur; per alterum ſacram Euchariſtiam recipiebat, ac continuò adorabat; tertio lumen exiguum admittebat: ter de hebdomade, ſecundâ videlicet, quartâ & ſextâ feriâ ſolo pane & aquâ vivebat: aliàs unicum ferculum ſuffecit. Nempe vim patitur regnum cœlorum; neque rapitur, niſi à violentis; dum nos illud per otium obtenturos ſomniamus. Dixerat magno animo gentium Apoſtolus: in quo quis audet, audeo & ego; meliora, quæ in alijs notaverat, chariſmata æmulabatur magnus Antonius: Aſcetarum ſcitum eſt, in viâ virtutis non progredi, eſſe regredi: ego interea tanquam ſurdus non audio; & tanquam mutus non aperio os meum. (a) Fruſtra appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſumus Chriſti; qui ideo ſe viam dixit eſſe, ut converſatio Magiſtri forma eſt diſcipuli; & illam humilitatem eligeret ſervus, quam ſecutus eſt Dominus. Quis verò magis Chriſtianus, quàm Sacerdos? quis pluribus titulis adſtringitur ad veſtigia Chriſti arctè premenda? quis magis tenetur ſectari Magiſtrum, quàm is, cui magiſterium in alios concreditum eſt? Audebo igitur & ego; chariſmata meliora æmulabor; eorum, quæ retro ſunt, oblitus, ad priora extendam meipſum; ingrediar in veritate, ut timeam nomen ſanctum tuum; eorum premam veſtigia, qui eunt de virtute in virtutem, quoad videant DEUM Deorum in Sion: cum quibus pro acceptis in corpore & anima beneficijs innume-



(a) S. Leo Papa ſerm. 5. de Nativ. Dom.

ris gratias corde & ore agendo, demiſſè rogo manum tuam potentiſſimam nunquam ſubducas accedentibus ad te; ſiquidem

*Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.*

## xvi. Cal. Maji, 16. Aprilis.

### *S. Magnus Epiſcopus.*

NObiliſſimis in Scotia ortus natalibus, ad mitram ob virtutem evectus eſt S. Magnus, re nomen ſuperans: res, ac immunitates Eccleſiæ acerrimè propugnavit. Unde magnatis cujusdam juſſu (qui bona Eccleſiaſtica iniquè uſurpârat) dum ſacris operatur, ab ipſa ara abreptus cum furore, extra templi limina impiè necatus, pro DEO, & juſtitia, victima occubuit.

Sacrificium, DEO acceptiſſimum, haud dubiè illud eſt, quo ipſum ſe offert, qui ſacrificat. Itaque, Pater æterne, in unione illius excellentiſſimæ charitatis, quâ Filius tuus unigenitus ſe tibi victimam in ara Crucis pro nobis obtulit, me ipſum tibi in holocauſtum conſecro: offero tibi cor meum, quod ipſe petis, inquiens: præbe mihi, fili, cor tuum. Hoc proin tibi conſigno, utut ſordidum; hoc ſacro calici immergo eâ intentione, ut preces quævis, ac benedictiones, in hoc ſolitæ adhiberi, illi quoque ſalutares ſint; & ſicut ſtupendâ vocum paucularum virtute panis & vinum tranſeunt in Corpus & Sanguinem Domini, ita affectus terreni omnes, cor meum occupantes hactenus, in divinos ac cœleſtes

leſtes commutentur. Felicior cæteris CHriſti Sponſa, Gertrudis, cui Sponſus cor abſtulit, ſuo in vicem reſtituto; & verò gratia ſingularis, ac mira commutatio; hic corde illius reſpirat; illa hujus ſpiritu vivit: ô ut & cor meum Chriſti ſpiritu vivat! ô ut hic ſit DEUS cordis mei, & pars mea in æternum!

Inſuper, divine Pater, in unione amoris illius, quo Filius tuus univerſa, quæ amore noſtrî pertulit, tormenta tibi velut ſacrificium exhibuit, offero tibi; quidquid adverſi paternâ tuâ providentiâ mihi immiſeris ad ſalutem animæ meæ; humiliter ſupplicans, id omne unà cum ſacrificio Euchariſtico ſuſcipias in odorem ſuavitatis, mihíque in ſalutem provenire concedas.

Demum in unione reſignationis illius, quâ Unigenitus tuus haud renuit acceptare calicem amariſſimæ paſſionis ſuæ, totum me ſanctiſſimæ tuæ conſigno voluntati, eámque in omnibus probo, aliud in votis non habens, niſi ut in me, circa me, & per me perficiatur ſemper SS. beneplacitum tuum. Sic victima ero, in ara tibi conſecrata, & mille titulis tua; quia verò

*Tuus ſum, ſalvum me fac.*

## XV. Cal. Maij. 17. Aprilis.

### *S. Stephanus Abbas.*

MAgnus hic Ciſtercienſium Abbas, & D. Bernardi Magiſter, præcipuè addictus erat cultui auguſtiſſimi Altaris Sacramenti; ad quod e-

tiam occurrente quâvis neceſſitate confugiebat. Quum aliquando ipſâ Pentecoſtes feſtâ luce panis deficeret pranſuris; ad panem Euchariſticum ſupplex recurrit Antiſtes; ſacríſque operatus, tanta cum fiducia panem flagitavit, ut Miſſâ necdum abſolutâ ſatis ſuperque annonæ repertum fuerit ad clauſtri januam, incertum tamen, unde, vel à quo fuerit advecta.

DEUS cordis mei, ſpes unica, tutiſſimum aſylum, adjutor in oportunitate; pauperculus quidem, & omni indignus bono, de tua bonitate, clementia, & benignitate tam firmiter confido, ut, ut, quemadmodum firmiſſimè credo, te mihi in omnibus poſſe, & ſcire adeſſe; ita non minori ſperem fiduciâ, fore, ut etiam velis; imò facto ipſo in quavis hominis utriuſque indigentia præſtò futurus ſis, longè promptius, quàm amicus optimus, imò pater ipſe juvare poſſit: Siquidem propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Inſuper ſpe eâdem nixus, licèt probè ſciam, me ſceleribus meis mille infernos promeritum; nullus tamen ambigo de eorum remiſſione, tuáque magna miſericordia, dummodo obicem huic ipſe non ponam. Quin, ſi facultas mihi ſuppeteret, quem velem, judicem deligendi; nollem tamen alium, præter te, clementiſſimum Dominum meum; & merito jure profecto: niſi enim tu, Domine, adjuviſſes me, paulò minùs in inferno habitâſſet anima mea. Quoties, heu, novis lethalibus obſtrictus, filius iræ excitus, &, ſecundùm præſentem tunc juſtitiam, ſtipula

pula ignis æterni! Tu autem eruiſti ex inferno inferiori animam meam; tu poſt tergum projeciſti omnia peccata mea. Inde neque diffido de aſſequenda æterna beatitudine, non meis quidem, ſed tuis meritis, benigniſſime Servator, qui laviſti nos in Sanguine tuo, & pretioſâ morte tuâ redemiſti. Hanc meam in quibusvis animæ ac corporis neceſſitatibus fiduciam amantiſſimo cordi tuo includo, ac commendo, demiſſè rogitans, eam in me ſemper conſervare, & augere digneris.

*In te, Domine, ſperabo; non confundar in æternum.*

## xiv. Cal. Maij. 18. Aprilis.

### *B. Herluca Virgo.*

*Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, inquit regius pſaltes: & revera beati tales; cùm tam coram DEO, quàm in hominum oculis juſti exiſtant. Prius ſperare potero, ob infinitam DEI miſericordiam, qui non vult mortem peccatoris, ſed potiùs deſiderat, univerſos ſalvari. Quoad alterum, benedico DEUM, qui non confundit ſperantes in ſe; licet ſcelera mea id mereantur. Punivit DEUS æquiſſimus tot Sacerdotes improbos, ac indignos ſacrorum miniſtros; at mihi hucusque pepercit. Confudit, ac in publicum protraxit eorum ſacrilegia; errores mei hactenus tecti latent. Udoni Parthenopolitano, ad trinam è

quoa monita, ac minas cœleſtes, (a) p
Birgittam immiſſas, neglexiſſet, imò nec
ctam ab Epiſcopo ſuſpenſionem curâſſet, n
horribili percuſſit; nam cùm eo fortè præ
campanam conflarent fuſores; æs candens è
ra ebu'lijt, miſerúmque undequaque uſtu
(b) Ita etiam monuit B. Herlucam Virginem
vator, ne aures deinceps daret Sacerdoti
piam vitæ minùs probæ, ac lubricæ; volú
idem ab alijs etiam ſervari; ut is confuſu
frugem rediret. (c) Corpus Domini à fer
pravæ concupiſcentiæ refrigerat, inquit Th
Angelicus; cui Thomas alius, Kempenſis ne
ſubſcribit: eſt hoc altiſſimum & digniſſimum
cramentum ſalus animæ, in quo vitia curan
ac paſſiones frænantur. Sed heu me moll
& in bono parùm conſtantem, de illorum
ſu, qui, Chriſto aſſerente, verbum DEI qu
audiunt, ſed in tempore tentationis reced
& quamvis multa proponam, pauca tamen a
fectum deduco. Accuſo igitur ſegnitiem m
& rubore plenus fateor, id, quod me de
non vim eſſe ingentem, ac tempeſtatis vehe
tiam, ſed ventum modicum, auram pertran
tem: vos acûs punctioni ceditis, audio mih
probari à Bernardo; & quamvis frequentem
ſa

(a) *L Revel.* 6. *c.* 8. *f.* 450. (b) *Bolland.* I
(c) *Opuſc.* 58.

ſam, paratam adverſùs eos, qui tribulant me; nihilo tamen robuſtior inde redeo; neque perpendo, idcirco me quotidie calicem Domini bibere, ut et ipſe ſanguini & carni reſiſtere valeam. O me perditum, qui tot carbones iræ divinæ mihi congero; qui toties maledictionem pro benedictione mereor, dum opus omnium diviniſſimum negligenter, vel, quod avertant ſuperi, ſacrilegè obeo, miniſterium injunctum eo, quo par eſſet, devotionis ſpiritu minimè peragendo. Ignoſce, miſericors DEUS, ignoſce miſero mihi; &, qui remittis iniquitates, ac peccata tegis,

*Dele iniquitatem meam.*

---

## xiij. Cal. Maij. 19. Aprilis.

### *SS. Wernerus, & Leo Papa IX.*

GEmino prodigio glorioſum SS. Altaris Myſterium hodie veneramur: primò enim ejusdem honorem hâc die ſanguine ſuo propugnavit S. Wernerus, quatuordecim annorum puer, in agro Trevirenſi natus; qui poſt acceptam in Paſchate ſacram Synaxim illicò captus à Judæis, cùm Hoſtiam divinam ex ejus ore protrahere, ſævum utíque in modum profanandam poſtea, nequidquam conarentur; in crucem actus ab impijs, triduo integro miſerè dilaniatus, in cœlum tandem abijt. Corpus, cruore etiamnum perfuſum, in aquas dejectum fuit; unde protractum ad prætorem, delatum eſt, è cujus

ore panis divinus odorem ſuaviſſimum exhalavit. Deinde S. Leo Papa IX. cùm Beneventi ad aram faceret; Angelus Matronam quamdam, valetudine adverſâ oppreſſam, monuit, aquam illam biberet, quâ manus Pontifex abluiſſet: quo facto mox convaluit. Aliàs cùm idem Romæ ad D. Laurentij extra muros ſacris operaretur; hominem ſtygio hoſpite ſolo crucis ſigno liberavit. (a) Panis Euchariſticus ſuperſubſtantialis, inquit D. Cyprianus, & calix, benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalútemque proficit, ſimul medicamentum, & holocauſtum, ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates, exiſtens. Quid ergo moror? cur differo, ô DEUS, accedere ad hoc tuum admirabile Sacramentum? quidni ſpe firmiſſimâ omnem mihi gratiam, hìc obtinendam, polliceor; dum cum Rege Evangelico advocas cæcos & claudos, ſurdos ac mutos; quò oſtenderes, nullam eſſe vel corporis, vel animæ miſeriam, cui in patula iſthac miraculorum officina medelam non pollicearis. En, fragilis ego, & quibusvis humanæ vitæ malis obnoxia creatura, ærumnis ac defectibus innumeris onuſta, ad te confugio, ſpémque omnem in te, DEUM Thaumaturgum, repono: Tu ſalus mea, & Salvator; qui ab omnibus neceſſitatibus liberare me potes, & vis ſperantem in te, & clamantem ad te. Totâ igitur fiduciâ ad te clamo, ac dico: Salvum me fac, DEUS, quoniam intraverunt aquæ usque ad ani-

(a) *De Cœna Dom.*

animam meam: veni in altitudinem maris; & tempeſtas demerſit me. Tu, pater benigniſſime, qui orare nos docuiſti, ne intremus in tentationem, ac ſuppliciter petere, ut à malo liberemur, libera me ab omnibus malis, præſentibus, præteritis & futuris; libera ab omni inimicorum viſibilium, & inviſibilium aſſultu, ab omni carnis, mundi ac dœmonis inſultu; ut huic magno animo opponere poſſim illud Auguſtini: Ille ſanguis, quem effudit Deus-Homo, te, dæmon, vicit, me redemit: illum ſumo; & veneni tui perniciem non timeo: Ante omnia autem ſummam illam gratiarum ſpero, mortem nempe felicem, & beatam æternitatem. Hanc ut conſequar, ô beate Wernere, puer crucifixe, crucifixum JESUM pro me ora; rogo etiam, ut crucem ac mortem ſuam ponat inter mortem meam, ac tribunal ſuum, & quod de meo deficit mihi, de Sanguine ſuo ipſe ſuppleat, qui eſt

*Pharmacum immortalitatis.*

---

## xij. Cal. Maij. 20. Aprilis.

### *S. Agnes Poliziana Virgo.*

CAlicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, generoſus olim David intonuit. Quem verò calicem? Sanè non alium, niſi quem ipſe Servator horruit ſecundùm hominem, inquiens: *tranſeat à me calix iſte.* Horruerit eundem & David; generoſè tamen ex-

hauſit, quum premeretur à filio perduelle, a impio Semei verbis proſcinderetur, utrique tamen veniam ex animo offerendo. Horruit & Princeps Huſſæus, ubi queſtus eſt: *non peccavi; & in amaritudinibus moratur oculus meus*: non minus tamen animoſè hauſit, cùm dixit: ſi bona ſuſcepimus de manu Domini; mala quare non ſuſtineamus? Viciſſitudinem eandem experta eſt S. Agnes (*a*) Politiana, D. Dominici alumna; quæ poſt ſuſceptam Angelicis manibus per dies decem ſacram Euchariſtiam, calice perquam amaro potata fuit integro, quod ſequebatur, novemdio, addente, qui propinabat, cœleſti genio: bibe, Sponſa Chriſti, calicem hunc amarum, quem Dominus noſter JESUS Chriſtus totum pro te ebibit. Guſtavit proinde animo eodem tam delicias panis cœlici, quàm calicis amaritudinem, viciſſitudinem iſtam tum etiam experta, quando unicum amoroſi cordis ſui ſolatium, JEſulum, ipſâ Matre divinâ porrigente meruit incomprehenſibili mentis jubilo brachijs ſtringere; at paulò pòſt graviſſimâ, quam Servator pro nobis tulit, cruce, velut teſſerâ amoris, onuſta eſt, demum poſt annorum quindecim vitam, ſolo pane & aquâ transactam, Angelis comitibus ad thalamum Sponſi evecta.

(*b*) Cùm ſupremus legislator paſchæ celebrandæ ſacramenta Hebræis diſponeret, ait: Manducabitis illud cum amaritudine; ita, cùm hæc ſacramenta

(*a*) *Bolland. hâc die.* (*b*) *Ambroſ. ſerm. 2. in Exod.*

menta in novo teſtamento inſtitueret, præcepit: hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam, id eſt, conjunctim cum mea paſſione facietis: quatenus ex tali conſideratione cum majori veneratione ſacratiſſimam Euchariſtiam recipiamus, & imitari Chriſti paſſionem ſtudeamus. JESU crucifixe, qui fieri poteſt, ut deliciæ tuæ ſint, eſſe cum filijs hominum in SS. Altaris Myſterio; à quibus nil aliud, niſi injurias, contumelias, ſupplicia, crucem, & mortem ipſam denique retuliſti? Neque tamen ab ipſis abhorres; imò vis, ut illud ipſum ſit memoriale paſſionis & mortis tuæ, memoriale paſſionis, quam pro nobis atrociſſimam, ignominioſiſſimámque pertuliſti Hieroſolymis; memoriale paſſionis, quam etiamnum innovant ingrati, qui diverſis injurijs, contumelijs, ſacrilegijs ac blasphemijs, tremendo iſti myſterio illatis, te rurſum, quantum in ipſis eſt, crucifigunt ac oſtentui habent. Ego ipſe, DEUS miſericordiſſime, quantis te affeci injurijs? quàm exiguâ mentis attentione ad Altare tuum accedo? quoties conculcavi Sanguinem tuum? quoties in Crucem peccatis meis denuò ſuffixi? Doleo, optime JESU, me peccâſſe, teque DEUM tam bonum offendiſſe. Ecce calicem ſalutaris accipiam; adverſa omnia, quæ immiſeris, lubens amplector; & nomen tuum invocabo, ea in ſatisfactionem aliqualem prompto tibi animo offerendo: Nam

*Calix Domini quàm præclarus eſt!*

## xi. Cal. Maij. 21. Aprilis.

### *S. Anſelmus Epiſcopus Cantuar.*

DEliberans de ſtatu vitæ amplectendo juvenis etiamnum Anſelmus, in ſomnis mundum vidit, velut cœnoſam paludem, in qua homines delicias ſuas piſcabantur: inde ſepta quoque religioſa conſpexit, regiæ adinſtar ſeſe efferentia. Nec diu ambiguus, ad hæc tranſivit; & portum tenuit, præclaro documento, mundo exeundum ei, qui munditiem curat. Inde evectus ad ſedem Cantuarienſem, magna præſtitit ſacrificij Euchariſtici adminiculo: ſiquidem aquâ, quâ manus ad aram abluerat, nobilem quemdam, in ſomnis, ut id ageret, monitum antea, à lepra mundavit. Alium, lue eâdem exeſum, & aſtantem ſacrificanti, benedictione datâ ſaluti reſtituit. Terram arefcentem, nec ullos ſpondentem fructus, poſtquam ad aram vel ſemel fecerat, pluviâ irriguâ fæcundavit. In morbo denique ſupremo viribus defectus, ad ſacellum quoddam indies deferri voluit, Epulo divino refectus; quo tandem roboratus ſupremum, ad cœlos ſecurus abijt. Nota eſt quotidiana ſacrificaturi oratio, ita habens: Summe Sacerdos, & vere Pontifex, JESU Chriſte, qui te obtuliſti DEO Patri in ara Crucis Hoſtiam puram & immaculatam pro nobis miſeris & peccatoribus; & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & Sanguinem tuum ad bibendum; rogo te per ſacratiſſimum

mum Sanguinem tuum, magnum ſalutis noſtræ pretium, & per miram & ineffabilem charitatem tuam, quâ nos miſeros & indignos ſic amare dignatus es, ut nos lavares à peccatis noſtris in Sanguine tuo: intret ſpiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu loquatur omnem veritatem. Rex virginum, & amator integritatis ac caſtitatis; extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis rore tuæ benedictionis. Recordare, quia pater noſter, quia DEUS noſter es; ne iraſcaris nobis, nec ſubtrahas nobis immenſam clementiam tuam. Auſer à me cor lapideum, & da mihi cor carneum, quod te amet, te diligat, te ſequatur, te perfruatur, & in te delectetur. Trahe cor meum ad te, ut unicè te deſideret: etenim ad te ſine te pervenire non poſſum, qui es

*Centrum affectuum noſtrorum.*

## x. Cal. Maij. 22. Aprilis.

### *S. Theodorus Abbas.*

CAlicem Argenteum emi curaverat S. Theodorus Abbas, quò ſacrum Miſſæ Sacrificium celebrari prompâ auguſtiori poſſet; ſed allatum à ſuis mox abjecit, utut artificium certare cum pretio metalli videretur. Mirantibus oculos aperuit Antiſtes; deprehenderúntque omnes fœdiſſimum aſpectu. Cúmque reſtitutus eſſet aurifici, faſſus is eſt, argentum ſe illud accepiſſe à turpi quadam muliercula. Quibus oculis credi-

tis,

tis, aſpecturum DEUM vaſa illa iniquitatis, quæ ipſe ſubire quotidie compellitur?

Dictum eſt legis antiquæ miniſtris: mundamini, qui fertis vaſa Domini. Quidni ſacratioribus novi teſtamenti Myſtis ingeminem: mundamini, ô Sacerdotes, qui non ſolùm contingitis vaſa Domini; ſed ipſi ejus vaſa effecti eſtis. Certè ſi indignum eſt, (a) tolere membra Chriſti, & facere ea membra meretricis; longè indignius erit, profanare vaſa Domini, & efficere ea vaſa iniquitatis. Contaminavit vaſa, è templo Solymæo ablata, Balthaſar; & illico ſenſit DEUM ultorem, mortis ſententiam in pariete contra ſe ſcribentem, nocte eâdem interfectus. Ingreſſus eſt ærarium ſacrum Heliodorus, ut illud deprædaretur; ſed Spiritu DEI omnipotentis in terram dejectus eſt, mutus, ac omni ſalutis ſpe deſtitutus, quoad DEI vindicis manum agnoviſſet. Timeant proinde Sacerdotes, dum ijſdem tangunt manibus, labijs ijſdem, ac pectore excipiunt DEI Filium, quibus (quod Numen optimum avertat) turpia antea tractârunt.

Juſtiſſime DEUS, ſi vitam anteactam perpendo, & defectus conſuetos ad numerum revoco, quidni loquar in amaritudine animæ meæ tibique confitear iniquitates meas? Sublimem profeſſus ſum vitæ ſtatum; munus ſuſcepi, ipſis Angelorum tremendum humeris; neque tamen ſtudui vitam Angelicam ducere. O quantum ab obligatione, & debita vivendi ratione abij,

lin

(a) 2. Cor. 6.

nguoſus potiùs, quàm religioſus, pronus magis ad ſæculares fabulas, quàm in preces & lacrymas profuſus; qui ſcio, de omni etiam verbo otioſo rationem reddendam. Oculus meus deprædatus eſt animam meam, utpote in curioſos, ac periculoſos aſpectus provolans; dum me haud ratet, mortem per feneſtras ſubintrare. Incircumciſæ aures patuerunt colloquijs minùs decentibus, idque venenum ad cor usque admiſerunt. Sepulchrum patens, guttur, in cibo & potu frequenter exceſſit, neglexit jejunia, & corporis macerationem; inde incraſſatus dilectus recalcitravit; mens, velut terra ſine aqua, à divinis abſtracta remanſit. Clementiſſime JESU, per vitam tuam ſanctiſſimam, & innocentiſſimam converſationem, per omnium ſenſuum tuorum mortificationem, dele in me, quidquid oculis, auribus, linguâ, alijsque ſenſibus deliqui; & gratiam largire, caſto tibi corpore, ac purâ mente impoſterum deſerviendi. Nam

*Quæ conventio Chriſti cum Beliał?*

## ix. Cal. Maij. 23. Aprilis.

### *S. Mellitus Epiſcopus Londin.*

A Magno Gregorio deſtinatus in Angliam S. Mellitus, primus Eccleſiæ Londinenſi præfuit. Is, cùm Epulum divinum inter Neophytos partiretur aliquando; à procerum adhuc gentilium aliquibus rogatur, ut & ipſis particulam ſacri cibi porrigeret; ſiquidem mirum fulgorem notabant,

bant, hoſtias conſecratas ambientem. Sed cùm reponeret ſanctus Præſul, id neutiquam licere, niſi ſacro fonte luſtrarentur antea; ipſi verò in errore pertinaces cum minis urgerent intentum; regno excedere maluit, quàm canibus ſanctum dare, aut porcis objicere margaritas.

Sacra ego munia ambio, dignitatem Sacerdotij amplexor, pinguia prenſo beneficia: ſed quæ ad illa ritè obeunda ſpectant, negligo, credens interim, opus bonum me deſiderare; utut parùm ſtudeam eſſe irreprehenſibilis; parùm quoque advertam, (a) ideo Chriſtum nobis datum in cibum, ut eo pane nutriti vivamus, dignè ambulantes, juxta Apoſtolum, qui converſationem noſtram in cœlis eſſe jubet. (b) Optimum condimentum ad edendum Chriſtum eſt obſervantia legis, & conſiliorum Evangelicorum. O quàm avarus eſt, cui DEUS non ſufficit; quàm fatuus, qui aliud præter ipſum quærit! Ecce tranſit mundus & concupiſcentia ejus; non ſaturatur oculus viſu, nec auris impletur auditu, nec acquieſcit appetitus hominis: quæ tranſiêre, velut ſomnium ſurgentium luſerunt dormientes; ſperanda turbant, ac dividunt cor humanum, quod ſolus DEUS implere, ſolus ſaturare poteſt. Conſecutus ſis regna & ſceptra mundi hujus; *plus ultrò* ferretur deſiderium. Auro abundes; plura optabis. Honoribus emineas; altiùs volare cupies, voluptatibus innates; ampliores ſitiès. Solus DEUS cor humanum implere, ſolus ſatiare poteſt.

(a) *S. Paulin. de ſac. Euch.* (b) *Eucher.*

test. Et ubi felicius, quàm in Epulo Eucharistico? Quomodo non cum eo omnia nobis donavit? ô quàm jure dixit Franciscus Seraphicus, nescire se, quid ultrà optare possint Sacerdotes.

O bone JESU, amor, gaudium, & dulcedo mea; te solum diligit anima mea, te concupiscit & desiderat spiritus meus; tu sole speciosior, pulchrior lunâ, aurorâ rutilantior, præclarior stellis, candidior lilijs, rosis rubicundior, vegetior hyacinthis, caryophyllis fragantior; tu solus magnus & laudabilis, dulcis & amabilis, pulcher & amœnus; tu solus nostra satietas, solus nostræ quietis centrum. Maledictus, qui te non desiderat, reprobus, qui non quærit, omni privatus gustu, cui non sapis;

*Valde avarus, cui tu, DEUS, non sufficis.*

## viij. Cal. Maij. 24. Aprilis.

### *S. Wilfridus Episcopus Eborac.*

EBoraco, urbi Angliæ præcipuæ, Pastor præerat S. Wilfridus; qui aliquando sub Missæ sacrificio, dum adstantes conceptâ formulâ hortatur, ut sursum corda efferrent, extrà se raptus cognovit mortem Regis Egfridi, in bello cæsi; ad se ubi redijt, duos formâ teterrimâ dæmones conspexit, animam regis ad orcum raptantes.

Quàm mihi foret proficuum, si, quoties alios moneo, cor suum elevare, ipse ego assurgerem animo ad mansionem illam æternam,

quam, qui habitant, beati ſunt; ad ſolium illud ſublime, in quo ad dexteram Patris conſidet Filius æternus, paulò pòſt ad paucula Myſtæ verba deſcenſurus in aram; ut ibi mente eſſem, quò me attollit actio tam ſancta; nec ad inferos deſcendere aliquando compellerer, qui modò converſari in cœlis recuſo. Certè timuerunt infernum viri ſanctiſſimi; quid ego agam, peccator? Infernus domus mea eſt, dicere aſſolebat P. Franciſcus Borgias; & S. Andreas de Avellino, cùm, cùm, de ſalute anxius, ex Sanctis quibusdam, ſibi apparentibus, humiliter quæſiſſet, num futurus eſſet ipſorum in gloria ſocius, hoc tulit reſponſum, ad quod peccatoribus ambæ aures tinniant: labora, Andrea, labora; nondum certus es ſalvationis tuæ. Quàm verò præcipua timendi ratio, indignus ad ſacrum Altare acceſſus, ubi judicium ſibi quisque manducat & bibit! Deſcendamus igitur vivéntes in infernum, ne deſcendamus mortui; (*a*) flendo peccatorum turpitudines atteramur; &, dum ad pretium æternæ ſalutis commiſſa attentiùs lugemus, in juſtitiæ ſplendorem convertamur.

Dulciſſima DEI bonitas, chara DEI liberalitas, quæ omnibus expandis gremium, omniúmque miſerorum refugium es; commiſſa mea vehementer paveſco, omiſſa valde erubeſco, perverſionem vitæ anteactæ magnopere pertimeſco, futuram horreo diſcuſionem, quâ rationem mecum es poſiturus. Si exigere volueris concre-

(*a*) *Greg. Mor. l. 2. c. 7.*

creditum talentum, unáque lucrum quærendum; miſerum me, qui id in terram defodi! quid agam? quò me vertam? ô amor meus, tu morti pro me iniquè adjudicatus, onuſtus cruce ponderoſiſſimâ, crudeliter in ea ſuffixus, felle & aceto potatus, ipſam mortem tuliſti: tu animam dediſti pro me, vitam, ut viverem, expoſuiſti, mortuus, ne morerer ego; & adhuc indies Patri æterno in ara te offers: eja per hoc acceptabile ſacrificium vitam meam innova, deperdita reſtaura; & in hora mortis benigniſſimi cordis tui oſtium mihi pande, ut thalamum amoris tui ſubire per te merear; ſicque debitum peccatis meis infernum evadam; ſicut frequenter

*Eruiſti animam meam ex inferno inferiore.*

---

## vij. Cal. Maij. 25. Aprilis.

### *S. Marcus Evangeliſta.*

CElebres in Eccleſia ſunt preces lytaneuticæ, quas in diem hunc decrevit S. Gregorius Magnus, ad gratias DEO agendas, quòd almæ Matris patrocinio motus, Angelum juſſerit cruentum mucronem recondere, in ceſſantis peſtiferæ luis ſignum; prout Romæ in ſummitate molis Æliæ fieri conſpectum fuit, auditíque in aëre genij cœleſtes auſpicari lætum illud: *Regina cœli &c.* Porro notant Durandus, & alij, peſtem ideo immiſſam in Romanos tum fuiſſe, quòd com-

munione Paſchali vixdum peractâ, ad priora peccata mox redierint.

Verba, homini data, ligant; quodſi fidem DEO datam frangat homo, virium ſuarum debilitatem prætexit, ac ſi levius eſſet crimen, DEO imponere, quàm fallere mortalem. Acta inter homines teſtibus, verbo, libellis firmantur, ad tribunal prætoris res devolvitur: at dum pacta DEO fidelitas evertitur, nemo eſt, qui in jus vocet. Teſtes interea adſunt confeſſarij, quibus facta emendationis promiſſio; teſtes ſunt Angeli, reconciliationi cum DEO initæ præſentes; teſtes ipſi dæmones, tum quidem nobis reſipiſcentibus ringentes. Me itaque miſerum, ubi diſcuſſio venerit, atque ventura ira; quot tunc inſurgent accuſatores? quot teſtes adſtabunt? ipſi confeſſarij me arguent; tacebunt Angeli, deferent dæmones, conſcientia convincet: & qualem tum DEUM ſenties, anima mea? talem, reſpondet Bernardus, qualem te paraveris DEO: oportet, ut talis tibi appareat, qualis fuiſti, amanti amans, vacans vacanti, fidelis fideli, injuſto juſtus atque ſeverus Judex. Quò ibo tunc à ſpiritu tuo, omnia ſciente, & quò à facie, cuncta cernente fugiam? Juſtiſſime DEUS, quâ fronte comparebo ante te, tot onuſtus iniquitatibus, dum judicas in numero, pondere & menſura? dum nemo mundus coram te, nec infans unius diei? dum & in Angelis tuis reperiſti pravitatem? dum cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo? quò ibo, quò fugiam, niſi ad

te,


te, optime JESU? tu reſponde pro me; tu veniam impetra; tu cauſam meam tuere, ut vivat anima mea in gratiam tui. Recenſe, quæ pro me egeris, ac cogitaris; quanto emeris pretio, quanto amore tuleris peccata mea, ne me opprimerent, morteinque ſubjeris, ut viverem ego; quæ bona contuleris, ut diteſcerem; maximè dum te mihi in cibum reliquiſti, ut me ſatiares. Reſponde igitur pro me, pie JESU, qui hominem mirabiliter creâſti, ſed mirabiliùs reformâſti; ego enim non reſpondebo, etſi juſtum quid habuero, ſed te judicem meum deprecabor:

*Juſte Judex ultionis, donum fac remiſſionis ante diem rationis.*

Finis primæ partis.



MICA



# MICA
## PANIS QUOTIDIANI
# EUCHARISTICI;
Id est
## Praxis Hiſtorica & Methodica,
à Sanctorum Exemplis & doctrinis mutuata, ac in formam piarum
## MEDITATIONUM
Pro quolibet anni die ſtudiosè redacta, Methodum oſtendens
Ad Diviniſſimum Altaris Miniſterium ſe dignè, devotè, ac affectuosè præparandi;
Opuſculum delicioſum æquè, ac ſalutare
à Viro quodam Religioſo Ordinem S. Spiritûs Canonicorum Regularium de Româ in Saxia Memmingæ profeſſo conſcriptum,
Jam verò ob aſceſin planè ſingularem publici Juris factum.
## PARS II.
*Cum Facultate Superiorum.*

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
*Apud Chriſtophorum Bartl*, Anno 1746.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

# MICA
## Panis quotidiani Eucharistici.
# PARS SECUNDA.
## A Paschate usque ad Adventum.

vi. Cal. Maij. die 26. Aprilis.

*BB. Conradus Archiepiscopus, & Paschasius Abbas.*

(a) Dilatata videtur Ecclesia: Ipse siquidem Clerus sanctissimus, Ordo quoque Fratrum numero est multiplicatus. At si multiplicâsti gentem Domini, non magnificâsti lætitiam; dum multò minùs apparet creviſſe meriti, quàm numeri acceſſiſſe; & plurimi hodie ad ſacerdotalem accedunt caracterem, proprium tantummodo ſpectantes commodum, non gravitatem miniſterij, aut vitæ probitatem, tanto munere dignam. Meliùs id perpendit B. Conradus, Archi-Præſul Salisburgenſis, (b) nobiliſſimâ Comitum Abenſpergenſium & Schyrenſium ſtirpe progenitus,

(A) tus,

(a) *Bern. ſerm. 9. de Conv. ad Cler.* (b) *Kaler. in Bav. S.*

tus, ſed avitâ hæreditate ab ipſis Frattribus Germanis exutus, ab Henrico Imperatore Juvavienſis Pontifex deſignatus, ac alter eo nomine, qui pallium Archiepiſcopale à Paſchali Papa obtinuerit. Is mox Collegium Sacerdotum in ordinem redigens, legibus ſancti Auguſtini eos devinxit: inde cum Imperatore ad Urbem profectus, velut acerrimus libertatis Eccleſiaſticæ propugnator, contra ipſum Cæſarem pro Pontifice ſtetit; ac propterea à Purpuratorum nonnemine ſtricto gladio appetitus, intrepidè jugulum præbuit. Et tum quidem cæſus non eſt; verùm tanto Imperatoris ac ſequacium odio petebatur deinceps, ut vix ullus, velut alteri Athanaſio, locus ad receptum pateret. Sub vallem Admontenſem in quodam ſpelæo per ſemeſtre ferè delituit; alio quadrimeſtri in cella ſupterranea ejusdem Monaſterij; occultatus; in amnis gurgite collotenus immerſus diem integrum exegit; Demum poſt novem annos à Luitpoldo, Styriæ Marchione, ſedi ſuæ reſtitutus, eâ curâ Eccleſiæ invigilavit poſtea, ut nullum in tota, eáque ampliſſima Archi-Diocæſi extiterit templum, vel Regularium, vel ſæcularium Rectorum curæ concreditum, quod optimi Paſtoris ſolicitudine non fuerit vel à fundamentis extructum, vel iis ſaltem omnibus, quæ neceſſitas atque ornatus exigebat, interiùs exteriúsque abundè inſtructum, auctúmque. Hoc ſcilicet eſt, Epiſcopum agere.

Non minùs ſanctitatem ad Sacerdotium requiſitam ſeriò expendit S. Paſchaſius Abbas: quam-

vis

vis enim intenſiſſimo erga Epulum Euchariſticum ferretur amore, atque ad ejusdem veritatem contra heterodoxos aſſerendam librum præclarum ſcripſerit; nunquam tamen induci potuit ab iis etiam, quos velut Superiores venerabatur, ut Sacerdotio initiari ſe pateretur, eo gradu indignum ſe profeſſus.

Indignum ſe gradu ſacerdotali humilis iſte, ac ſanctus Abbas credebat; idem de ſe judicium ferebat Franciſcus Seraphicus, territus ab Angelo, qui nitidiſſimam ipſi cryſtallum exhibuerat, velut ſymbolum puritatis, in Sacerdote requiſitæ. Interim ego dignum me tam ſub imi Miniſterio & judicavi olim, & hodieque judico! Quotannis recurrente anniverſariâ ordinationis die lacrymis diffluebat S. Cajetanus, ambitum plangens, quo munus iſtud Angelicum affectâſſet non absque gravi crimine. Et ego non fleam, dum ad gradum hunc celſiſſimum non tantùm provolavi immeritus, ſed etiamnùm indigniſſimè ac negligentiſſimè eundem ſuſtineo? Dum igni divino proximus, imò paſtus eodem, totus frigeo? Dum ad tantum lumen cæcutio, ac in tenebris palpo? Dum manibus DEI Filium contingo, illàsque poſtea ad illicita extendo? Aridi, ac dubij erant diſcipuli, Emäuntem pergentes: Verùm audito Chriſti ſermone, dum frangentem panem conſpiciunt, (a) aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum. Ego verò ad DEI vocem, intrà me loquentem obſtupeſco, arefcóque, licèt pa-



(a) Luc. 24.

nem divinum quot diebus manducem, illis haud abſimilis, de quibus Bernardus: (a) ſicuti non vidi meliores, ita neque vidi pejores (ſubintellige, Sacerdotes) Nempe in cœleſti hac menſa, qui juſtus eſt, juſtificatur adhuc, & qui in ſordibus eſt, amplius ſordeſcit: corruptio optimi peſſima; & qui pane iſthoc non proficit, deficit, mortem pro vita, & pro venia judicium reportat: ſiquidem

*Mors eſt malis.*

## v. Cal. Maj. Dies 27. Aprilis.
### *S. Waldburga V.*

SAncti Wilibaldi ſancta Soror Waldburgis, relicto natali ſolo, ut patriam cœleſtem obtineret, ſponte exul Germaniam petijt, ac in Parthenone Aureatenſi ſacris Virginibus præfuit. E virgineis demortuæ exuvijs, oleum ſeu manna deſtillat, ægris quibusvis hodieque ſalutiferum; porro liquor iſte tum præcipuè manat, dum ſacer myſta ea in ara divinam hoſtiam litat, ſub qua illius lipſana reconduntur. Attamen Interdicti Eccleſiaſtici tempore, anno integro ſtetit prodigioſus iſte fons, quoad nempe Eccleſia ſacris reddita eſſet. Tum verò quum Epiſcopus ſupplicum agmen ad ſacras reliquias duxiſſet, ibique ſacris eſſet operatus, peractâ conſecratione liquor denuo manare cœpit, toties iterum ſiſtens curſum, quoties inter DEO dicatas Virgines aliquid majoris momenti fuerit turbatum: expia-

to

(a) *De diſc. clauſtr.*

to tamen per condignam pœnitentiam errore, ſub ſacro factâ conſecratione poſtliminiò redit.

Oleum effuſum nomen tuum, de DEO inquit ſacer Scriptor; inde ſic infero: ſi oleum effuſum eſt nomen Domini; ſi vel ſola ejuſdem invocatio dæmones pellit, & quosvis animæ languores ſanat; quidni oleum effuſum, & plusquam oleum erit ipſum Corpus Domini? Verè, Domine, oleo iſthoc impinguâſti caput meum; & calix tuus ô quàm præclarus eſt! Hoc nempe oleum, hoc vinum, geminum illud pharmacum, ad perſananda à ſamaritano vulnera adhibitum, & in iſto fonte ſacratiſſimo omnibus patens, niſi obicem ipſe ſibi quis poſuerit. Fluebat oleum temporibus Eliæ, neceſſitati hoſpitæ ſuæ providentis; neque antea ſtetit, quàm vaſa defeciſſent. Fluet etiamnum ſpiritu Domini flante. oleum miſericordiæ; inebriabit calix ſalutaris, ſi vas non deficiat, ſi dignus ſis, qui implearis, ſi obicem ſuſtuleris, ſi peccatum ſincerâ pœnitudine elueris. Certè cordis noſtri duritiem accuſabunt lapides inſenſati, qui ad divinæ virtutis præſentiam molleſcunt, & in oleum eliquantur. (a) Ita olim ſcaturiebat ſaxum Romæ in Taberna meritoria, quæ hodie eſt Templum S. Mariæ trans Tyberim, ſignans magnificam pietatem Servatoris noſtri, eo tempore naſcentis. O vivifici fontis profluvium, ô ſapor mirificus, ô fluminis impetus, lætificans Civitatem DEI! (b) jam nunc antidotum facta eſt Ca-



(a) *Ex Metr. de mir.* (b) *Ambroſ. in pſal.* 37.

ro, quæ antea erat venenum peccati; nunc educti ſumus de terra Ægypti in terram fluentem lacte & melle, de terra ſervitutis in terram libertatis filiorum DEI. Sed quantum, eheu, dolendum mihi, quòd anima mea, cibum hunc divinum faſtidiens, jejuna ac famelica inde recedat: Vas nempe deficit; atque ideo ſtat oleum. Equidem anima mea vas eſt, ſed vas iniquitatis, vas contumeliæ, vas iræ & indignationis. Tu, Domine, qui formâſti hominem, quique eundem, dum periiſſet, reformâſti; qui facis utraque unum, potenti virtute tuâ illabere animæ meæ, excita in me ſpiritum tuum, & fluent aquæ, aquæ ſalutiferæ ſinceræ pœnitudinis: infunde plagis meis oleum & vinum: ſicque ſana me, & ſanabor, ſalva me, & ſalvus ero; perfice in me, quod tibi placet, æternæque ac ſanctiſſimæ voluntati tuæ gratum eſt; tu enim

*unpinguâſti in oleo caput meum.*

---

## iv. Cal. Mai. Dies 28. Aprilis.

### *S. Pamphilus Epiſcopus.*

S. Ulmonenſis Præſul S. Pamphilus apud ſupremum Eccleſiæ Paſtorem inſimulatus fuerat, quòd ſacram Hoſtiam horis ferè antelucanis offerret. Inde ad Urbem profectus, cùm ſanctos Angelos primo mane audiret eoſdem modulos decantantes, qui in Miſſa adhiberi conſueverunt, de cœleſti hac ſymphonia Pontificem monuit; cúmque hic minus eandem perciperet, ad preces Divi

tum

tum ſonum Angelicum audivit, tum ſimul intellexit, non ingratam ſuperis rem facere, qui ſummo mane ad aram faciunt, juxta illud pſalmographi: *in matutinis meditabor in te.*

Matutina laus DEO acceptiſſima eſt; quam cum B. Lucheſius (*a*) ex tertio Ordine D. Franciſci à Monachis decantari aliquando audiret; ad hymnum illum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, divino ardore ſuccenſus, in hæc prorupit: ſi res innanimatæ, quæque ratione carent, DEUM laudant, quanto magis addecet, ut creaturæ rationæ præditæ id agant? Mox extra ſe raptus, laudes DEO in ſpiritu modulatus eſt. Aves, inquit Ambroſius, Creatorem ſuum, quia loquelâ non poſſunt, ſuavitate demulcent, & propter exiles eſcas gratias agunt: tu pretioſiſſimis Epulis paſceris; & ingratus ſis? Cantet vox tua, cantet vita, cantent opera, noli bonæ cantilenæ, obſtrepere malis moribus. Verè Epulis pretioſiſſimis ſaginamur; (*b*) Corpus namque Chriſti ſacroſanctum ſumimus; Caro ejus in ſalutem populi diſtribuitur, ſanguis ejus non in manus infidelium, ſed ora fidelium infunditur. Et quis poterit ſtare in conſpectu Domini DEI Sancti hujus? (*c*) Ob ſolum aſpectum minùs reverentem arcæ figurativæ percuſſit Dominus ex Bethſamitis primoribus ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis: quid illis fiet, qui verum Manna (cujus antiquum illud, Arcæ incluſum, expreſſus typus erat)



(*a*) Bolland. hâc die. (*b*) Greg. l. 4. Dial. c. 58. (*c*) 1. Reg. 6.

non ſolùm temerè aſpiciunt, ſed etiam indignè tractant, ſumuntque? Mortem meruerunt, qui Arcam veterem absque reverentia debita intuebantur; quid illis contingat, qui ſacratiſſimum Chriſti Corpus ſacrilegè recipiunt? Utique Bethſamitis longè deteriores ſunt reprobi Miniſtri ſacri Altaris, & indigni cuſtodes Arcæ ac tabernaculi divini. Unde (a) tantò ſunt acriore damnatione puniendi, quantum non ſolùm videre audent divina Myſteria, ſed etiam polluti manibus contrectare; nec jam veterem illam Arcam temerè reſpiciunt, ſed (quod omnem malitiam excedit) Corpus & Sanguinem Redemptoris indignè ſumunt. Et hi ipſi quomodo laudes Deo concinent? quomodo juſtitias ejus ennarrabunt, vel aſſument teſtamentum ejus per os ſuum? quum cor ab ore longiſſimè diſcrepet, neque DEI laudes cantet vita, aut opera, imò nec vox: non eſt enim ſpecioſa laus DEI in ore peccatoris.

Porro cùm ſciam, Domine, à nemine dignè te laudari poſſe, laudet te pro me ipſa tua æterna Deitas, immenſa Majeſtas, bonitas infinita: laudet te altiſſima tua ſapientia, ampliſſima tua miſericordia, ac ſumma juſtitia: laudet te ac benedicat Magnitudo nullis circumſcripta limitibus, dulcedo ſuaviſſima, benignitas incomprehenſa: quidquid demum nominum divinorum vel concipi poteſt, vel efferri, te laudet, exaltet, tibiſque gratias agat pro me, bonisque ac donis

(a) *Gregor. l. 3. in eum locum.*

nis omnibus, mihi, & creaturis alijs unquam collatis, aut conferendis deinceps; qui es Alpha & Omega, ac laus mea matutina: decens quippe eſt, ut ſit

*A Jove diei Principium.*

---

## iij. Cal. Maj. Dies 29. Aprilis.

### *S. Petrus Martyr.*

A Poſtolico prorſus Zelo contra Hæreticos prædicabat S. Petrus è D. Dominici familia; nec minori devotione proſequebatur Almam DEI Parentem, à qua audire aliquando meruit illa ſummi ſolatij verba, ad cognominem Apoſtolum aliàs dicta à Servatore noſtro: *ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Certè hæ Virginis, nihil non potentis preces adeo efficaces fuêre, ut Petrus fidem cum vita tueretur, lethalibúsque à quodam fidei hoſte affectus vulneribus, ſumma fidei capita ore proferens, Martyr occubuerit, latus Virginis Deiparæ poſt fata in cœlo ſtipare viſus.

Magna profectò efficit charitas; imò charitas non eſt, niſi magna efficiat. Inde omnia in Paulo audebat, quæ alius quispiam auſus fuiſſet: in quo quis audet, inquit ipſe, audeo & ego. Inde etiam illud ſancti Spiritûs oraculum: fortis eſt, ut mors, dilectio. Imò morte ipſâ fortior eſt dilectio; vincit enim ac contemnit mortem; certè igne hoc divino ſuccenſus magnus ille Ig-

natius, ignis, inquit, (a) crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, imò tota diaboli tormenta in me veniant, tantùm ut Chriſto fruar: cúmque damnatus ad beſtias, cum ardore patiendi rugientes audiret leones, exclamavit: frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar. Numquid fortior morte ipſâ dilectio? Hæc in corde Divi Petri Martyris ita exarſerat, ut, quoties ſacrum vel audiret, vel ipſe offerret, ad elevationem Corporis Dominici inſtantiſſimè peteret à DEO gratiam Martyrij, & ad id pro ejuſdem honore, & ſacræ fidei defenſione promptè ſubeundum ex totis viſceribus ſeſe offerret.

(b) Redempti cruore Chriſti, pro Redemptore libenter occumbimus, ait S. Hieronymus. Et magna profectò gratia, reddere Servatori Sanguinem pro Sanguine, vitam pro vita, amorem pro amore. Cur gratiam hanc, tot Martyrum collatam myriadibus, mihi denegas, optime JESU, gratiam, inquam, fidem tuam ſanguine meo obſignandi? Saltem largire, ô JESU, amor crucifixe, ut vices effectûs ſubeat, ſuppleátque fervens affectus, quo fidem hanc ſincerâ mente conteſtor, cum efficaci deſiderio, eidem morte etiam, ſubſcribendi. Hunc in finem

Coram auguſtiſſimo ſolio tuo, ſanctiſſimas Trias, reſtibus beatiſſimâ Virgine Deiparâ, ſancto Angelo Tutelari meo, ac totâ curiâ cœleſti, corde credo

(a) *Brev. Rom. in ejus feſto.* (b) *Epiſt. 21.*

:do & ore confiteor omnia ac ſingula, quæ
ıcta catholica, Romana-Apoſtolica Eccleſia
edit, credenda proponit ac mandat, damnó-
e & ex animo deteſtor univerſa, quæ ipſa reji-
, damnátque, paratus, pro ſancta hac, cer-
ſima & infallibili fide mille, ſi haberem, vitas
ofundere. Proteſtor inſuper, vivere me ac
ori filium obſequentiſſimum Eccleſiæ ejuſdem,
c in aliam iturum ſententiam, quamvis omnes
retici ac infideles in me inſurgerent, verbis-
e ac factis conſtantiam in fide labefactare con-
:erentur. Imo nec ipſæ portæ inferi adver-
m me prævalebunt, tuo fultum adjutorio,
od mihi ſemper affuturum firmiſſimè confido.
edo, Domine; tu adjuva incredulitatem &
becillitatem meam. Præcipuè credo ex ani-
o, in ſacro Altari te verè præſentem, DEUM
Hominem, & qualis in cœlo adoraris ab An-
lis, eundem te in ſacratiſſimo Euchariſtiæ my-
ırio coli à fidelibus. Hæc & alia fidei Sacra-
enta credo, non quòd natus ſim Catholicus,
ł quia tu revelâſti, ſignisque ac miraculis in-
meris fidem eandem authenticè roborâſti, &
ti mundo evitenter credibilem reddidiſti. Tu,
loſiſſime fidei orthodoxæ propugnator, Petre
ariam pro me ora exoráque, ut ipſa gratiam
hi apud JESUM meum impetret, ne unquam
l in vita, vel in morte deficiat ullo modo,
l ſemper proficiat fides mea, ſpe nixa, &
aritate ſolidata, ut & ego quondam lateri
ıſdem beatiſſimæ cœlorum Reginæ (cujus ope

poſt

poſt DEUM præcipuè ſalvari confido) æternùm aſſiſtere merear: ſitque hæc mea viventis ac morientis teſſera:

*Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.*

---

Pridie Cal. Maji. Dies 30. Aprilis.

## S. *Catharina Senenſis.*

ETiamnum parvula, dum ſcalas perreptaret, Mariam Angeli verbis ſalutare conſueverat Catharina. Eâdem ſanctiſſimâ Virgine conciliante ſeptennis deſponſatur Chriſto; cui ut ſe probaret quàm ſimillimam, oblatum ſertum ſpineum elegit, aureo ſpreto, capitiſque arctiſſimè appreſſit. Tentanti in ſupremo agone hoſti tartareo objicere non dubitavit ſancta hæc Virgo, vanam ſe gloriam in nulla prorſus re, ubique verò veram Sponſi Chriſti gloriam ſpectâſſe.

Voluptates corporis, dum abſunt, deſiderium cient; cùm adſunt, faſtidiuntur. Aliud omninò eſt de delicijs ſpiritualibus; hæ enim, dum ignorantur, facilè contemptui habentur; guſtatæ vel ſemel, magnam ſui famem excitant, notante Magno Gregorio. Impleri iſtis poteſt animus devotus, non verò expleri: ſatiabor, inquit expertus Hymnographus Regius, cùm apparuerit gloria tua. Delitias haſce præcipuè in ſacro Epulo deguſtabat Sancta, de qua agimus, Catharina; unicè ſiquidem Sponſum ſuum ſub candida panis ſpecie appetebat: Solâ menſâ Euchariſticâ contenta, jejunium à die cinerum usque ad Aſcen-

ɔnem Domini produxit: Aliquando ſumpto
ngelico cibo in extaſin rapta, è quinis ra-
; Crucifixi vulneribus totidem radios ad
iqua manuum, pedum, atque lateris loca
ıdere cum Sacrorum ſtigmatum impreſſio-
lit, magno equidem dolore, ſed non mi-
more liquefacta. Tanto autem affectu in
m hocce Epulum rapiebatur, ut velut lan-
ac deficiens ſæpe diceret Confeſſario: Pa-
ɔibum animæ meæ mihi porrige. Hic cùm
re quodam circa meridiem domum remeâs-
ɔnquerentem audivit DEI Famulam, mag-
e ſe eſurire. Sed cùm ille ob lapſum jam-
mpus matutinum dubius hæreret; majori
: repetijt ipſa: ah Pater, quantum eſurio!
ıd Aram faciens, dum ſanctæ Virgini Cor-
ɔminicum porrecturus accedit, faciem ejuſ-
dinſtar Angeli radiantem conſpexit, ſacram
Hoſtiam ſe ſurſum moventem in patena:
ivinus Hoſpes in os Catharinæ avolare vi-
mò Chriſtus eidem ab ipſo Chriſto porre-

Nempe inter lilia paſcitur Chriſtus; & li-
ſcat nos, paſcens tamen paſcitur. Neque
i hoc videatur; vult enim nobis arctiſſimè
ri; & ejus cibus eſt pœnitentia noſtra,
os ipſi. Itaque pœnitentiam agam egò,
us ejus fiam; ſalutem curabo, & in abyſ-
hili & peccatorum meorum demerſus, cum
harina ſuſpirans dicam: (b) Tu, ô Domine,

cibus

*Bern. ſerm.* 11. *in Cant.* (b) *in vita.*

cibus meus, & refectio mea; & licèt sciam indignissimum me esse, execrandum & abominabilem peccatorem; de magna tamen tua pietate, Domine, confidens accedo pauper & egenus ad Dominum cœli & terræ. I. dignam professa est hæc Sponsa Christi, dum eum aliquando sub velo Eucharistico recepit; sed audivit vocem suavissimam Sponsi: si tu indigna es, in me ingredi; dignus ego sum, ut ingrediar ad te. O Domine, confiteor indignitatem meam, sed magnifico simul bonitatem tuam; confiteor fœditatem meam, sed revereor vicissim puritatem tuam. Fateor, indignum me fore, licèt præmissâ mille annorum pœnitentiâ, spatio temporis haud minore ad offerendam divinam Hostiam indesinenter me præparem: quis enim dignus sit tantâ Majestate? quæ comparatio hominis cum DEO? creaturæ cum Conditore? Proinde, sacramentissime JESU, in humilitate cordis mei procidens, exoro magnam Clementiam tuam, ut indignissimum me aliquo modo reddas dignum, meritis tuis me ornando, pauperculum ac nudum vestiendo, reficiendo famelicum, sitientem potando; ablue, quæso, cor meum sordidissimum aquâ lateris tui sacratissimi, ut ità lotus, ità contectus ac exornatus, decenter appaream sub oculis tuæ Majestatis, & cum fructu debito, ad animæ salutem cœlesti huic mensæ communicem. Tu, Domine pientissime, es, eris, esque semper

*Salvator meus, & DEUS meus.*

Col.

## Cal. Maj. Dies 1. Maji.

### *SS. Philippus & Jacobus, Apoſtoli.*

PEtierat à Chriſto Philippus, oſtendi ſibi Patrem. Neque irritæ fuerunt preces tam juſtæ & ardentes; ſiquidem in Scythia pro Magiſtro lapidibus appetitus ac cruci affixus, cœlum adijt, Patris faciem æternùm viſurus. Socius Jacobus eâ fuit temperantiâ, ut carne, vino, ſicerâ perpetuò ſibi interdixerit, eâ in orando aſſiduitate, ut callum genibus obduxerit; Jeroſolymorum Eccleſiam integro tricennio optimè moderatus, è ſummo Templi faſtigio præceps actus, ad Patrem ac Filium & ipſe abijt.

O quantò juſtiùs mihi, ac alijs, quàm Philippo objecerit Chriſtus illud: tanto tempore vobiscum ſum, & non cognoviſtis me! Amore veſtrî in Euchariſtia dignatus ſum permanere usque ad conſummationem ſæculi; vix eſt Eccleſia, in qua præſentem me non habeatis; & non cognoviſtis me! Habetis ubique patentem gratiæ fontem, Sanguinem ac Carnem, Divinitatem ac Humanitatem meam; & non cognoviſtis me! Diſcipuli Emauntem commeantes agnoverunt Dominum in fractione panis; ego verò nec in ipſâ ſumptione eundem ſatis agnoſco: Franciſcus Borgias occulto quodam inſtinctu agnoſcebat Panem divinum, ubiubi latitantem; ego vel oculis expoſitum ſub ſacris ſpeciebus, non agnoſco: Agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe

Do-

Domini ſui ; Iſraël autem, populus electus, regale Sacerdotium non agnoſcit illum, non reveretur, cultu debito non adorat ; verbo : non cognoſcit eum.

Urgebat S. Philippus : Domine, oſtende nobis Patrem ; & ſufficit nobis. Ecce Patrem, de quo Tertullianus : tam Pater nemo ; ecce eum in auguſtiſſimo Altaris Myſterio, qui panem quotidianum ſuperſubſtantialem dat nobis, omnem guſtum, omne delectamentum in ſe habentem. Ecce Patrem, qui reducem ad ſe filium diſſipatorem benignè complectitur ; ecce Patrem amabilem, bonum, pietatis viſcera habentem. Neque tamen, prô pudor, hic ſufficit nobis ; nauſeat enim anima noſtra ſuper cibo hoc divino ; faſtidit cœleſtia, terrenis immergitur ; ſpiret panis iſte ſacratiſſimus omnem ſuavitatis odorem ; at nauſeat anima noſtra ; quærimus viliſſimas Ægypti cœpas, non manna cœleſte ; eſurimus ſiliquas terrenas, non panem divinum. Verùm non ita erit deinceps, ô anima mea : ſufficiet mihi poſthac Dominus meus ; hic erit impoſterum pars mea ; hic reſtituet hæreditatem meam mihi ; hic mihi erit DEUS meus, & omnia. Certè (a) valde avarus eſſem, ſi DEUS mihi non ſufficeret. Quò autem in ſufficientia iſthac immotus perſiſtam, inſiſtam orationi ; ero, ut D. Jacobus, vir multæ orationis, mitis, & humilis corde ; annitar aſſequi ſimilitudinem Chriſti ; in Sanctis Sanctorum

(a) *S. Auguſt.*

ſum ero aſſiduus; ita merebor, ut Chriſtus mihi aliquando oſtendat Patrem, & æternùm

*Sufficiet mihi.*

---

## vi. Non. Maj. Dies 2. ejuſdem.

### *S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrin.*

OB fidei defenſionem actus in exilium D. Athanaſius univerſum ferè orbem peragravit; in ciſterna quadam totis quinque annis delituit, quadrimeſtri in tumulo paterno, timoribus, calumnijs, perſecutionibus diu multúmque exercitus; his tamen omnibus animo ſuperior, vitæ ſanctitate, & doctrinæ præſtantiâ Eccleſiam illuſtravit.

Cùm Elias, Jezabelem fugiens, ex itinere laſſus, ſubter juniperum obdormiſſet, è ſomno evigilans, reſpiciensque ad caput ſuum, vidit ſubcinericium panem; quem ubi ſumpſiſſet, in fortitudine cibi iſtius ambulavit quadraginta diebus, ac noctibus totidem, usque ad montem DEI. Panis reverà multæ ſubſtantiæ, qui feſſum reſocillavit, ac robur ei contulit ad viam adeo grandem abſque labore conficiendam. Nempe ſymbolum erat panis illius pretioſiſſimi, de quo Chriſtus ait: qui manducat hunc panem, vivet in æternum. In panis iſtius fortitudine Athanaſius devicit tot hoſtium inſectationes, tot elutſi inſidias, ſuperavit tot adverſitates; verbo: omnia poterat in eo, à quo confortabatur. Scilicet paravit DEUS in conſpectu noſtro menſam

adverſus eos, qui tribulant nos. Hâc menſâ paſtis facile eſt, usque ad montem DEI pertingere. Fugit Athanaſius, juxta Chriſti inſtructionem, de civitate in civitatem, de loco in locum, non mortis timore, ſed ut paſſionem ſuam protraheret, (a) diſcens à Chriſto, quomodo diligeret Chriſtum, qui & fugit in montem, & per medium hoſtium tranſivit, quia nondum advenerat hora ejus, ſed operari illum oportebat opera Patris æterni.

JESU, leo fortiſſime de tribu Juda, mihi quoque panis cœleſtis, Carnis & Sanguinis tui virtute robur confer adverſùs omnia, quæ interiùs, exteriùsque patienda mihi occurrent; tuere me contra hoſtes quosvis viſibiles & inviſibiles, contra verba & opera malevolorum, contra dæmonis verſutias ac inſultus: nihil in me proficiet inimicus, ſi tu mecum eris, bellator fortis; in fortitudine cibi iſtius divini omnes vitæ præſentis miſerias ſecurus pertranſibo, uti tu per medium hoſtium ibas: immaculato calle tranſibo omnes carnis ac ſenſuum illecebras, ac tandem perveniam ad montem ſanctum tuum, ad te, qui es via, veritas & vita, ad te, in quo & per quem ſunt omnia, & in quo

*Poſſumus omnia.*

℣. Non.

(a) *S. Bern.*

## v. Non. Maj. Dies 3. ejuſdem.

### *Inventio ſanctæ Crucis.*

POſteaquam Magnus ille Conſtantinus immanem Tyrannum Maxentium triumphâſſet, pientiſſima ejus Mater Helena, ſacratiſſimæ Crucis inveniendæ acta deſiderio, in Palæſtinam profecta, poſitam eo in loco, ubi Servator noſter crucifixus fuerat, infamem Veneris ſtatuam dejecit, impenſiſque ac labore haud exiguis ternas cruces effodit. Quæ Chriſti fuiſſet, docuit moribunda, ad ejus contactum integræ mox ſanitati reſtituta.

JESU crucifixe, gratiam largire, ut ego etiam dejiciam hodie turpem Veneris ſtatuam, aliſque idola, quibus cor meum, templum tuum aliàs, ſacraveram hactenus: ſit Crux tua mihi in ſalutem, reddátque animæ meæ languidæ plenam ac ſtabilem ſanitatem.

Si verum eſt, quod magnus Auguſtinus ſcripſit: (*a*) nos de Chruce Domini paſcimur, quia corpus ipſius manducamus; meritò cum Sponſa dico hodie: (*b*) aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus; fructus iſte ipſe Chriſtus eſt, in Crucis arbore extenſus; hunc apprehendam, eſt enim dulcis gutturi meo: ita paſcar de Cruce DOMINI, dum Corpus ipſius manducabo. Verùm ſancta Sanctis: Certè (*c*) quicunque



(*a*) *In pſal.* 100. (*b*) *Cant.* 7. (*c*) *Ambr.*

que ad Altare DEI accedit inquinatus luxuriâ, ſi juxta Filium Virginis collocat Idolum Veneris, idemque planè molitur, quod verſutus dœmon egit, dum ad abolendam Crucis ſanctæ memoriam, fructúmque paſſionis Dominicæ enervandum, eo loco per cultores ſuos ſignum propudioſum Deæ Cypriæ ſtatuit. Hoc idolum, ô DEUS, potenti virtute tuâ in me everte, tolle vitium iſtud execrabile; ſiquidem domum tuam decet ſanctitudo, purúmque eſſe ac illibatum debet Tabernaculum tuum; purum, ut dignè te ſuſcipiam, illibatum, ne denuo efficiar carnifex tuus; id quod ſanctus Wicterpus beatæ Herlucæ innuit, dicens de ſceleſto quodam Sacerdote: ne attendas Richardum Sacerdotem, cujus impuritas eſt carnifex Sponſi tui. Me infelicem, ac barbarum, qui Sponſum caſtiſſimum peccatis meis in Crucem toties denuo ſuffixi! Me impiiſſimum, qui cum peccatoribus alijs ſupra dorſum ejus fabricavi! Sed hoc non continget amplius; ſatis eſt peccâſſe, ſatis, carni indulſiſſe; ruat Veneris Idolum, cadat Dagon ventricoſus, confringatur, jaceátque ad pedes Arcæ Domini; tollatur ſignum Veneris, ac Chriſti Crux ſtatuatur. Sancti Spiritûs, Domine, igne ure renes meos & cor meum, ut tibi caſto corpore ſerviam, & mundo corde placeam: extingue vitiorum meorum flammas, qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare; ſedet famem ad carnis ſiliquas, frumentum Electorum, ardorem minùs caſtum reſtinguat vinum, germinans Virgines; ut ita

*Abſint faces libidinis.* iv. Nos

## iv. Non. Maij. Dies 4. ejuſdem.

### *S. Monica Vidua.*

ET mundo peperit Auguſtinum ſancta Monica, & Chriſto, dum in Manichæorum errores prolapſum flere non deſtitit, quoad hortatu ſancti Ambroſij, & ſacrarum litterarum lectione Catholicis redditus, ex Oratore profano Eccleſiæ Doctor, ex ſæculi ac carnis mancipio Chriſti diſcipulus ac puritatis ſpeculum effectus eſſet. Numquid hæc mutatio dexteræ Excelſi? Neſcit videlicet tarda molimina Spiritûs ſancti gratia; (*a*) & totum in dignè ſumentibus ſacram ſynaxin operatur, quod credentibus in Cruce exhibuit mors Chriſti, quæ delevit chirographum peccati, & filios iræ in filios adoptionis transformavit. Quantâ devotione erga ſacratiſſimum Altaris Myſterium affecta fuerit D. Monica, ipſe Auguſtinus declarat, inquiens: (*b*) bis in die, manè & veſpere adivit non ad vanas fabulas, aut aniles loquacitates, ſed ut adoraret Corpus ſanctiſſimum Salvatoris, & te audiret, Domine, in tuis ſermonibus, & tu illam in ſuis orationibus. (*c*) Et miſiſti manum tuam ex alto, & de profunda caligine eruiſti animam meam, cùm pro me fleret Mater mea, fidelis tua, ampliùs, quàm flent Matres corporea funera: videbat enim illa mortem meam ex fide & ſpiritu, quam ex te habebat; & exaudiſti eam, Domine, nec deſpexiſti



(*a*) *Nyſſen.* (*b*) *l.* 5. *Conf. c.* 8. (*c*) *L.* 9. *c.* 11.

lacrymas ejus, cùm profluentes rigarent terram in omni loco orationis ejus. Moribunda cùm interrogaretur, ubi ſepeliri vellet, reſpondit: (a) ponite hoc Corpus ubicunque, nihil vos ejus cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad Domini Altare meſ memineritis.

Magnum mihi, JESU pijſſime, condendum eſt teſtamentum, non de corpore, in tabem brevi abituro, ſed de anima, ut ſub mortem juvetur ſuffragijs per ſacratiſſimi Corporis tui oblationem, & in ſanguine teſtamenti tui educatur de lacu, in quo non eſt aqua. Unica ejuſdem ſtillula tunc refrigerare ipſam in tormentis poterit; neque enim minoris jam eſt pretij, ad expungendum chirographum peccatorum noſtrorum, quàm fuerit, cùm in Cruce eundem Patri æterno pro nobis offeres. Ad hujus pretij Sacramentum ligavit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei; nemo eam à tua protectione dirumpat, non ſe interponat nec vi, nec inſidijs leo de draco. Tu, ô JESU, teipſum nobis alligâſti per hoc pretium; & qui olim hominem redempturus ſummâ charitate de cœlo deſcendiſti, nunc denuo amore ineffabili ſuper Altare te demittis, non dedignatus te abdere ſub exiguis ſpeciebus. Inde ego quoque me tibi arctiſſimè adſtringam veri amoris vinculo; & quum nihil habeam, quod Majeſtatem tuam deceat, bonam ſaltem adferam voluntatem, quâ libentiſſimè tibi darem cum Auguſtino, quidquid boni ipſe poſſides, ſi meum foret.

(a) L. 9. c. 13.

ret. Creator & Servator animæ meæ, DEUS meus, omne bonum meum, tota ſpes & ſalus mea, nemo me à tua protectione dirumpat, nec ſe interponat aut vi, aut inſidijs leo & draco; tu enim ſolus es

*Magnum ſalutis noſtræ pretium.*

## iij. Non. Maj. Dies 5. ejuſdem.

### *SS. Gothardus, Sacerdos, & Angelus.*

TErnos hodie mihi ſtatuo è Sanctis DEI vitæ Magiſtros. A primo diſcam obedientiam ac reverentiam, Superioribus & majoribus debitam: ab altero modum, omnia negotia mea ad felicem exitum perducendi; ea videlicet Chriſto, ſub ſpeciebus Euchariſticis deliteſcenti, ex animo commendando: à tertio denique gratias ipſi agere pro ijſdem rite practis edocebor; ut ſic omnis mea oratio & operatio â Chriſto ſemper incipiat, & per eundem cœpta finiatur.

Fuit primus, S. Gothardus (*a*) Patriâ Bavarus, profeſſione Benedictinus ad Quercum inferiorem; is honeſtos ſortitus natales, ſacris à D. Wolfgango initiatus poſtea, memorato cœnobio primùm juſſus eſt præſidere, inde ad Eccleſiam Hildeſienſem regendam vocatus. Fuit, ut muneris injuncti ratione ita exigente, perduelles quoſdam, anathemate perculſos, ſacris exeſſe juberet; cùm id contumaces facere abnuerent, ſanctus Præſul ex demortuis quoſdam, eodem ſacro vinculo



(*a*) *Rader. in Bav. Sancta.*

ligatos, ſurgere, templóque excedere juſſit: paruêre promptiſſimè Manes Defunctorum; eósque rei ſtupore commoti perduelles poſitâ contumaciâ ſecuti ſunt; illos porro in Eccleſiam regreſſos Gothardus cenſurâ exolvit, qui cervice reverenter inclinatâ ad tumulos protinus redierunt. Simili obedientiæ, æquè promptæ ac perfectæ ego quoque ſtudebo, ut ad ſequelam alios alliciam, mereârque nexibus conſcientiæ in hora mortis liberari.

Alter, ſanctus Sacerdos, pontificali Dignitate in Hiſpanijs conſpicuus Regem, in aciem contra hoſtes proceſſurum, unâque milites univerſos ante prælium pane robuſtorum refecit; iſque bene precatus, armorum ſucceſſum DEO commendavit. Et quid mirum, ſi ſic animati victoriam retulêre? Certè ex mente Magni Auguſtini (*a*) non vicerunt ipſi, ſed vicit ille, qui in ipſis erat, quem ſecum portabant, quíque de ſe aſſerit: *ego vici ſæculum.*

Tertius, Angelus nomine, Religione Carmelita, dum Alexandriâ Meſſanam navigat, mille diſcriminibus jactatus, ubi primùm in portum appulit, ad templum properans, ſacríſque operatus gratias DEO ſoſpitatori perſolvit. (*b*) [Altaris ſacra flamma figurat ſemper inſtaurandam gratiarum actionem, nequando extinguatur. Indè ſtatuo, optime JESU, pro omnibus, quæ ad finem proſperè deduxero, negotijs tibi in auguſtiſſimo Altaris Myſterio grates rependere, te laudare.

(*a*) *In pſal.* 123. (*b*) *Phil. l. de offic.*

re, glorificare, eidémque Myſterio in acceptis referre, ſiquid boni ac tibi placiti egero. (a) Cognoſcam te, Domine, cognitor meus; cognoſcam te, ſicut à te cognitus ſum; Virtus animæ meæ, tu intra in eam, & coapta tibi, ut eam poſſideas ſine macula: hæc eſt ſpes mea, hæc gloria mea & virtus mea; hæc ſacra flamma per gratiarum actionem inſtaurata fiduciam mihi confert, quâ in omnibus agendis lumen robúrque à te peto, à quo omnia bona & ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta opera procedunt. Et quidni petam à te, tum maximè, cùm te præſentem in ſacro Altari agnoſco? Itaque me & omnia mea tibi commendo committóque; tu ea dirige juxta ſanctiſſimam voluntatem ac beneplacitum tuum; ut ita, ſicut tu animæ meæ ſalutem magnopere curas, ego viciſſim in omnibus ſolum ſpectem honorem tuum, ac augmentum gloriæ tuæ, ſisque tu mihi ubique

*Alpha & Omega.*

## Prid. Non. Maji. Dies 6. ejuſdem.

### *S. Joannes Evangeliſta.*

Dilectus Chriſti Diſcipulus Joannes, Apoſtolus, Evangeliſta, Propheta, Virgo, Martyr, filius Mariæ, rogatus à Chriſto, an poſſet bibere calicem, quem ipſe prælibaturus, imo amore noſtri exhauſturus eſſet, generoſè annuit, ac re-



(a) *Aug. l.* 10. *Conf. c.* 1.

ipſâ bibit die hâc, Romæ ante portam latinam in ferventis olei dolium miſſus.

Anima mea, ſi ſimilis tibi propinaretur calix, quâ tepiditate, quo horrore reponeres frigidum illud: non poſſum, non pnſſum, tranſeat à me calix iſte. Inde pientiſſimus JESUS, debilitati tuæ velut condeſcendens, calicem tibi exhibet non amarum paſſionis, ſed talem, qui continet omne delectamentum, omnem ſuavitatem, ipſum Chriſti Sanguinem; cujus effuſio uti olim eidem accidit pænoſiſſima, ita ſumptio illius mihi redditur ſuaviſſima. Hunc itaque calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Hoc calice inebriante, atque præclaro reſtinguam omnem libidinis ſenſum, & peccatorum nævos eluam; ſi enim ex mente Angeli Doctorum una ejuſdem ſtilla ſalvum facere totum mundum quit ab omni ſcelere; quidni ſalutem & ego ſperem, qui toties eundem ſumo? JESU benigniſſime, liceat mihi cum dilecto tibi diſcipulo Joanne ſupra pectus tuum recumbere, ut inde hauriam fluenta tam ſalubria de tanto Myſterio; tu pariter dignare in pectore meo conquieſcere, & conquieſcat in te ſpiritus meus: ſiquidem inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Tu Corpus tuum, imò totum te tradis mihi; ego viciſſim totum me trado tibi. Totus tu meus eſſe deſideras; ſim & ego totus tuus; optimo enim jure totum me exigis, qui totum me feciſti. Quò verò gratiam hanc conſequar, (a) ad te ac-

(a) *Damaſcen. l. 4. Orthod. fid. c. 14.*

accedam ardenti cupiditate; manibúsque in crucis formam compoſitis; Crucifixi corpus ſuſcipiam, ut divini carbonis particeps effectus, totus incendor interiùs; ut exurantur peccata mea, mens colluſtretur, ardoréque ſeraphico totus in DEUM transformer: nam

*Totum me exigit, qui totum me fecit.*

## Non. Maij. Dies 7. ejuſdem.

### *S. Stanislaus Epiſcopus.*

QUòd improbam vitæ licentiam libidinémque in Rege ſcelerato ſæpiùs pro muneris ſui exigentia arguiſſet Stanislaus; ſacratiſſimo Miſſæ Sacrificio intentus ab ipſomet Rege obtruncatur, verè DEI amicus usque ad aram, imò Martyr ac victima. Conciſum membratim, & ſparſum per agros corpus, ad effuſam cœlo lucem collectum, compoſitúmque, absque ullo vulneris veſtigio denuo prodigioſè coaluit. Ut prædium, à viro nobili coëmptum in uſum Eccleſiæ, à calumniatoribus tutaretur, venditorem à mortuis revocatum tribunali ſtitit, cùm ſacris operatus antea fuiſſet.

O prodigioſam ſacroſancti hujus ſacrificij virtutem, quod mortuis etiam vitam confert, imò ſolum confert, ipſa Veritate teſte: niſi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Mortuum me certò ſcio, nam (a) homo per peccatum occidit animam ſuam; redire

ad

(a) *Aug. in Joan. c. 4.*

ad vitam cupio ; reſuſcita me , ô vivificum Sacramentum , è tumulo vitiorum me revoca , qui Lazarum jam fœtentem de monumento revocâſti ; ô panis vive , qui das vitam mundo , en maximo affectu ad te accedo , ut vitam à te recipiam. Et quia , ut vivat anima , neceſſe eſt corpus mori , utpote cujus vita mors eſt animæ , moriatur hoſtis DEI , ſervus peccati ; moriatur per affectuum diſtororum abnegationem , ut ita (*a*) exhibeamus corpora noſtra Hoſtiam ſanctam , viventem , placentem DEO , & rationabile obſequium ; deſtruatur corpus peccati , truncentur omnes ejus concupiſcentiæ , ut hiſce mortua vivat anima ; imò non ipſa vivat , vivat verò in ipſa Chriſtus , quem quotidie ſumit in tremendo ſacrificio ; de quo non immeritò magnus Auguſtinus : (*b*) Vitam æternam habes in adminiſtratione Corporis & Sanguinis Chriſti. Hanc ut habeam , optime JESU , corpus meum in victimam , animam verò in holocauſtum tibi offero ; pereat corpus , moriatur , ut anima ſalva fiat in die Domini. Ita rectiſſimè ſenſit Caſimirus , Princeps Regius , qui corporis , quàm pudoris virginei jacturam facere maluit , aſſerens , aliam ſe vitam non nôſſe , niſi cœleſtem. Ut ego quoque ita ſentire diſcam , tu , Domine ,

*Suſcita me de lacu miſeriæ.*

viij. Idus

(*a*) Rom. 12. (*b*) Tract. 20. in Joan.

viij. Idus Maij. Dies 8. ejuſdem.

*Apparitio S. Michaëlis Archangeli.*

QUantumvis Spiritus Angelici, aquilarum adinſtar, obtutum ſuum figant in ſolem diviam eſſentiam increatam avidiſſimè ſpeculantes; lumanitatem tamen Chriſti contemplari etiam xambiunt, utpote in quem deſiderant Angeli roſpicere. Hunc ſanctus Michaël cum Socijs emiſſ. adoravit, Draconémque cum ſequacibus, lem facere renuentem, in abyſſum deturbavit. t quantus amor, quàm ſolicita extitit cura geniam cœleſtium in Chriſti Servatoris incarnatioem? Hanc Gabriël almæ Virgini nuntiavit, feliſſimum illud Ave eidem ter ſanctæ Triadis noine dicendo, gratiâ plenam, junctam DEO, inter mulieres quasvis benedictam deprædicano. Ut jam incarnatum natúmque Dominum lerodis furori ſubduceret Nutritius, Angelus ariter monuit; reditúmque in Palæſtinam poſtea x DEI imperio præcepit. Chriſto adulto quàm romptè famulati ſunt Spiritus ſuperni? Ad victoem ſtygij tentatoris in deſerto acceſſerunt, & iniſtrabant ei; & in agone, ſudore ſanguineo erfuſum roborârunt. Neque obſequioſa hæc ngelorum demiſſio erga Chriſti Humanitatem eſſavit modò; quin potiùs etiamnum ſub velo acharistico latenti famulatum exhibent; inde jure ulieribus præcepit Apoſtolus, capita ſua in Eccleſijs propter Angelorum præſentiam obvelarent.

Certò

Certè eoſdem ſacro Myſtæ ad aram inſervire vidit B. Maria Ogniacenſis: Altare ſacrificij tempore ambientes ſancta Catharina Senenſis conſpexit: Sancta altera ejuſdem nominis, Bononienſis dicta ab urbe patria, audivit illos, ſacras Regij Vatis odas ex præſcripto Canonum ordine decantantes: eoſdem Chriſto, ſupremo Pontifici, aſſiſtentes, miratus eſt ſanctus Conradus, cùm ille ædiculam B. Virginis Eremitanæ initiaret, ſacríſque ibidem operaretur.

Angelicâ iſthâc excitatus devotione firmiſſimè ſtatuo, majori poſthâc reverentiâ & attentione tantum peragere myſterium, profundiori ſubmiſſione DEUM Euchariſticum adorare, ampliori animi collectione intra me ſumere. In templo Salomonæo Cherubini ſtabant in pedes erecti, & facies eorum verſæ erant ad domum exteriorem, quia, ut Beda advertit, (a) nos ab hujus ærumna peregrinationis ereptos, ad ſuum deſiderant pervenire conſortium. Porro quis ex ſpiritibus Angelicis ardentiùs deſiderat ſalutem noſtram, quàm glorioſiſſimus cœli Princeps Michaël, uti olim Synagogæ Cuſtos, ita modò ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Præſes: hic conſtitutus eſt à Deo ſuper omnes animas ſuſcipiendas; hujus oratio perducit ad Regna cœlorum; hic glorioſè hodie in monte Gargano apparuit, docuítque, DEUM ibi in ſe, aliíſque Angelis colendum.

Prin-

(a) *L. de Templo c. 13.*

Princeps ſanctiſſime, accende in me affectum divini amoris, déque ſeraphicis ardoribus tuis vel ſcintillam mihi communica erga auguſtiſſimum Altaris Sacramentum. Inter alia gratiam mihi exora à DEO, non abeundi ex hac vita, niſi ſupremo ritè decedentium Viatico fuerim munitus: animam verò corpore egreſſum tu ſuſcipe, tu ab inſidijs draconis antiqui tuere, ne contra me prævaleat; denique meritorum meorum defectum tu ſupple; &, quod poſſe te, optimè novi, ita ſtateram moderare, quâ appendendus ſum, ne inveniar minùs habens, ſed prober illi, qui

*Judicat juſtè, & probat remes.*

---

## vij. Idus Maji. Dies 9. ejuſdem.

### *S. Gregorius Nazianzenus.*

NAvi petijt Athenas S. Gregorius Nazianzenus, verùm graviſſimâ jactatus tempeſtate voto ſeſe adſtrinxit, ſi maris undas ſoſpes evaderet, curaturum, ut aquis baptiſmalibus proximè luſtraretur; ac præterea vitam inter Religioſos acturum. Quod utrúmque, voti compos, omni morâ præciſâ executus eſt. Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Myſterio devotiſſimus, haud injuriâ conqueritur, Sacerdotes non eâ, quâ par eſt, reverentiâ ad illud tractandum accedere: (a) magni pretij gemma, inquit, difficulter conquiri poteſt; & non cujusvis terræ aut loci eſt, aroma-

ta

(a) *Orat ad Epiſc.*

ta ferre Sacerdos autem facili momento re-
pernit : sanctos fingimus & sapientes , qui ta-
men ad Sacerdotium nil quidquam antè contule-
runt , nisi nequam velle.

Et cui mente ego ad gradum tam sublimem
accessi aut ad regale amuli Sacerdotium ? Ca-
[illegible] divinum suscipere remit Franci-
cus Xaverius: tecum fuit tot alij viri sanctitat
[illegible] & ego , peccator sordidissimus , ausi
[illegible] Sanctos & Initos abterrebar ? De-
[illegible] Alanus Turomenis . Germana Si-
[illegible] ego Horum tam probrosum oppro-
[illegible] nisi ab eis esset Doctor gentium
[illegible] docuisset : cum ego in terri
[illegible] Sacerdotes putare Somnum Chri-
[illegible] & via mea scandi-
[illegible] & Pœnitentiam . & quod ex-
[illegible] illuminatus à DEO ,
[illegible] peccati con-
[illegible] & proinde non
[illegible] dignitate ad cœlos
[illegible] & peccatum remittat : neve Si-
[illegible] & fructum in die
[illegible] peccatoribus
[illegible] & cuncte ubique
[illegible]

[illegible] mihi gratia sui di-
[illegible] & sacrum sacerdotium multis mi-
[illegible] & signorum & miraculis sim ,
[illegible] & sancte agere , placere in omni
[illegible] & nunc usque servet castum. Quòd-

si

ſi pro conditionis humanæ imbecillitate impingam ſubinde; da capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum, quibus maculas quotidianas eluere, tibique in ſpiritûs humilitate, ac bonæ voluntatis propoſito ferventer deſervire queam, impleámque, quod mones:

*Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.*

## vi. Idus Maji. Dies 10. ejuſdem.

### *S. Propheta Job.*

BEne olim Vates Jeſſæus DEUM allocutus dixit: DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Diſſentire tamen ab eo videtur D. Antonius Patavinus, qui Servatorem noſtrum Lazaro pauperi conferens inquit: (a) cupit ſaturari de micis, id eſt, de exiguis noſtris operibus; ecce ſtat ad oſtium, & inſtar pauperis famelici pulſat. Certè non unius ſancti charitatem ſub hoc ſchemate exploravit. Ita pauperibus S. Gregorij Magni convivis ſe miſcuit. Ita tentavit Venerabilem Eleonoram de Venagres, (b) adhuc in ſæculo commorantem, dum ſtipem ab ea petijt in acceſſu ad Eccleſiam, & dein haud procul arâ conſiſtens, ſubitò evanuit. Inde exclamat Auguſtinus: (c) nullius eges, & tamen lucris gaudes. Ita gaudet ſuper uno peccatore pœnitente, plusquam ſupra nonaginta juſtis, qui pœnitentiâ non egent. Gaudet ſuper filio



(a) *De eleemoſ.* (b) *Diar. Domin. hâc die.* (c) *De amor. Dei.*

ta ferre: Sacerdos autem facili momento reperitur; ſanctos fingimus & ſapientes, qui tamen ad Sacerdotium nil quidquam antè contulerunt, præterquam velle.

Et quâ mente ego ad gradum tam ſublimem acceſſi? quid ad regale attuli Sacerdotium? Caracterem adeo divinum ſuſcipere renuit Franciſcus Seraphicus; ſecuti ſunt tot alij viri ſanctitate illuſtres: & ego, peccator ſordidiſſimus, auſus fui, quod Sanctos & Juſtos abſterrebat? Deprædicatur S. Martinus Turonenſis, Gemma Sacerdotum; ego illorum ſum probrum opprobriúmque: meritò ab ipſis exigit Doctor gentium converſationem cœleſtem; dum ego in terrâ repo: vult idem Sacerdotes ſpirare bonum Chriſti odorem in omni loco: at vita mea ſcandalum alijs præbet & offendiculum, & quod omnium indigniſſimum, adeò illuminatus à DEO, imò DEO paſtus, voluntariè pecco; peccata confeſſione expiata ſæpiùs itero; ac proinde non ſine cauſâ metuo, ne ſtatûs dignitate ad cœlos usque evectus, ad Infernum detrahar; neve Sidoni atque Sodomæ remiſſiùs ſit futurum in die judicij; ſi enim maximis quibúsque peccatoribus tantas exhibuiſſet grátias DEUS, in cinere utique ac cilicio pœnitentiam egiſſent.

DEUS omnipotens, aſſiſte mihi gratiâ tuâ efficaci, ut, qui ad officium ſacerdotale nullis meis meritis, ſed ſolâ dignatione tuâ admiſſus ſum, dignè illud, ac devotè obire, tibíque in omni corporis & animi puritate ſervire valeam. Quòdſi

ſi pro conditionis humanæ imbecillitate impingam ſubinde; da capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum, quibus maculas quotidianas eluere, tibíque in ſpiritûs humilitate, ac bonæ voluntatis propoſito ferventer deſervire queam, impleámque, quod mones:

*Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.*

## vi. Idus Maji. Dies 10. ejuſdem.

### *S. Propheta Job.*

BEne olim Vates Jeſſæus DEUM allocutus dixit: DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Diſſentire tamen ab eo videtur D. Antonius Patavinus, qui Servatorem noſtrum Lazaro pauperi conferens inquit: (a) cupit ſaturari de micis, id eſt, de exiguis noſtris operibus; ecce ſtat ad oſtium, & inſtar pauperis famelici pulſat. Certè non unius ſancti charitatem ſub hoc ſchemate exploravit. Ita pauperibus S. Gregorij Magni convivis ſe miſcuit. Ita tentavit Venerabilem Eleonoram de Venagres, (b) adhuc in ſæculo commorantem, dum ſtipem ab ea petijt in acceſſu ad Eccleſiam, & dein haud procul arâ conſiſtens, ſubitò evanuit. Inde exclamat Auguſtinus: (c) nullius eges, & tamen lucris gaudes. Ita gaudet ſuper uno peccatore pœnitente, plusquam ſupra nonaginta juſtis, qui pœnitentiâ non egent. Gaudet ſuper filio



(a) *De eleemoſ.* (b) *Vitæ Domin. hâc die.* (c) *De amor. div.*

prodigo, remeante ad ædes patrias, eúmque amantiſſimè complectitur. Gaudet virtutibus noſtris, utut nihil inde illi accedat. Ita gaviſus eſt patientiâ invictâ ſancti Job Prophetæ, quem ab immota mentis conſtantia nec bonorum, liberorúmque jactura, nec ſanitatis diſpendium, neque demum uxoris dicacitas dejicere potuêre, ſemper replicantem pulcherrimum illud: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.

O quàm diſſimilis ego, cui quævis adverſitas, utut leviſſima, imò vel ſola illius umbra, bilem movet! quàm difficile accidit, hoſtibus ignoſcere, minùs benè affectos æquo animo tolerare, & dentem pro dente non depoſcere! Si, juxta tritum illud, verba docent, exempla trahunt; quidnî contrarium doceat Servator, inquiens: ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos? quidnî fortiùs trahat exemplum, quo obſtinatis Judæis ingratitudinem ſummâ manſuetudine ob oculos ponit: multa bona opera, inquit, operatus ſum vobis; propter quod eorum vultis me occidere? Ecce quomodo ductus ad occiſionem, oviculæ adinſtar non aperiat os ſuum; & dum hoſtes, velut leones, adverſùs eum rugiunt, rident, blaſphemant, dicentes: alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere; ſi Filius DEI eſt, deſcendat de Cruce, & credimus ei, quid repoſuit ipſe? an maledictum pro maledicto? imò bonum pro malo: converſus enim ad patrem æter-

æternum, pater, inquit, ignoſce illis, non enim ſciunt, quid faciunt. Ita docuit fecitque Chriſtus, etiamnum in terris converſatus: ita adhucdum in cælis glorioſus ſuſtinet blaſphemias, maledicta, ſacrilegia, peccata quævis, & bonum pro malo rependit. Agne mitiſſime, qui te mihi in cibum dare dignaris, hujus gratiâ manſuetum me ac patientem redde; omnem animi rancorem expelle, ſpiritum vindictæ ſupprime, absterge odia. Diſcam à te patientiam, quæ opus perfectum habet; ut ſic in patientia poſſideam animam meam; faciatque in omnibus actionbus meis

*Patientia opus perfectum.*

## V. Idus Maji. Dies ij. ejusdem.

### *Miraculoſum Sacramentum Auguſtanum.*

ANno ſalutis reparatæ nonageſimo quarto ſupra milleſimum centeſimum, muliercula quædam Auguſtæ in æde ſanctæ Crucis à Menſa divina redux, ſacratiſſimam Hoſtiam ore protractam cerâ obduxit, domique integro quinquennio aſſervavit. Sub hæc ſtimulis conſcientiæ acta, divinum Pignus, uti erat cerâ clauſum, Præpoſito dictæ ſacræ ædis exhibuit, qui illud ab involucro cereo depromturus, cum ſtupore advertit, ſanctiſſimam Hoſtiam in carnis formam rubeſcere. Itaque rem omnem ad Udalſcalchum, tum Epiſcopum Auguſtanum detulit; qui ſolenni Cleri ac populi ſupplicatione decretâ, miraculoſum Sacramentum ad Eccleſiam Cathedralem detulit; ubi illud à feri-

is paſchalibus usque ad feſtum D. Joannis Baptiſtæ ita excreviſſe intra ceram præſertim tempore ſacrificij incruenti reperit, ut à cera ſe ipſum avulſerit. Ita porro disjunctum, una cum cera, antea contigua, thecæ cryſtallinæ incluſit, & ad ſanctæ Crucis repoſuit; ubi ab annis ampliùs quingentis continuis, ijſque inſignibus prodigijs coruſcat.

JESU glorioſiſſime, optarem mihi linguas mille, & ora totidem, quibus te laudarem, benedicerem, & absque ulla reſpiratione iterarem dulciſſimum illud: laudetur ſanctiſſimum ac miraculoſum Sacramentum, in quo dignus es accipere gloriam & honorem, & benedictionem; in quo, & per quod facis prodigia magna ſolus. Sed quia agnoſco impotentiam meam atque inſufficientiam; quia cum Propheta infantem me profiteri cogor, ac dicere: A a a Domine Deus, neſcio loqui, inde volo, ut vices meas ſubeant in te laudando univerſæ creaturæ: Laudet te pro me Regina cœlorum, caſtiſſima Mater tua, & cum eadem decies centena beatorum ſpirituum millia; laudet te innumerabilis Sanctorum tuorum exercitus; laudet te ſancta Eccleſia, Sponſa tua; laudent te ipſæ gratiæ, quas per divinum iſtud prodigium operatus es; laudent te creaturæ omnes, ratione carentes, quæ tamen faciunt verbum tuum: Præcipuè ſancto nomini tuo benedicant omnia, quæ intra & extra me ſunt, anima & corpus, utriúsque ſenſus ac potentiæ, vires ac membra; univerſa hæc in virtute pu-

puriſſimæ intentionis gloriam tibi dicant, & omni poſſibili fervore te deprædicent, ac glorificent DEUM meum ter admirabilem in admirando hoc Sacramento; in quo, qui te verè præſentem non credit,

*Anathema ſit.*

## iv. Idus Maji. Dies 12. ejuſdem.

### *S. Epiphanius Epiſcopus.*

ADhucdum catechumenus, cùm Eccleſiam intraret Epiphanius, orthodoxam fidem profeſſurus, in ipſo limine (*a*) calceos ſibi è pedibus decidiſſe ſenſit, extra gradus Eccleſiæ dein repertos: manifeſto utique ſigno, vocari ipſum (*b*) cum Moyſe, ad locum ſanctum ſubeundum, & divina ibidem contemplanda ac peragenda myſteria. Certè ita eventum hunc interpretatus eſt ipſe DEI famulus, ædem ſacram poſthac non niſi nudis pedibus ingreſſus.

(*c*) Porro quid ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta? quibus animæ affectus non tam teguntur, quam deprimuntur. Inde veſtitus citius ad terram dejicitur, quia habet, unde teneatur; nudi ergo cum nudo adverſario luctari debemus. Hunc in finem quoties Domum DEI poſthac ſubibo, maximè ſacris operaturus ibidem, ſolvam calceamenta de pedibus meis, ponam carnalium cogitationum involucra;

(C) 3 ut

(*a*) *Sur. hâc die.* (*b*) *Exodi* 3. (*c*) *Greg. Hom.* 12. *in Evang.*

ut ita veniens ad me Dominus inveniat receptaculum mundum, neque ſit in me, quod oculos divinæ Majeſtatis offendat. Beatum deprædicavit ſanctus hic Epiſcopus Joſephum illum, nobilem ab Arimathia Decurionem, cui conceſſum fuit, funus Dominicum curare: neque tamen minus beatus ego ſum, qui non brachijs ſolùm ſtringo, ac ſepulchro condo Chriſti Corpus exangue, ſed totum Chriſtum, Deum-Hominem, cum corpore & anima intra viſcera mea recondo. Verè beatus, qui longè ſuaviùs, quàm Joſephus ille, manus & pedes Servatoris contrecto, os ori conjungo, faciem faciei admoveo; qui porto portantem omnia, & contineo univerſa continentem.

Pijſſime JESU, per amorem illum, quo Virgineum Matris uterum ſubijſti, te rogo, ingredere etiam pauperculum cor meum; ſit anima mea ſepulchrum, in quo quieſcas; ſed ſit gratiâ tuâ ſolâ ſepulchrum novum, in quo nil terrenum deinceps condatur. Solvam igitur calceamenta de pedibus meis, terrena omnia calcabo; in Vulneribus tuis, ceu foraminibus petræ tutus deliteſcam; & ſicut tu, antequam vinceres mundum in cruce, nudari voluiſti; ita ego etiam ſæculum abjiciam, nudus nudum te ſequar, ab omni affectu terreſtri ſpoliatus ad templa tua, & aras accedam; cùm ſciam, quòd locus iſte revera ſit

*Terra ſancta.*

## iij. Idus Maij. Die 13. ejuſdem.

### *Dedicatio Templi, Pantheon appellati.*

COnſecraverat olim Roma Ethnica magnificum templum Dijs omnibus, Pantheon inde appellatum, tantò à veritate magis aliena, quòd nullam reſpueret falſitatem. Sed rectiùs hodie B. Papa Bonifacius illud Augiæ ſtabulum repurgavit, & Reginæ Martyrum, Mariæ, ſolenniter initiavit. Miraris, eo in templo cum cæteris Dijs non fuiſſe etiam cultum Chriſtum DEUM, cui tamen Athenienſes aram pridem antea poſuerant, cum inſcriptione: *ignoto DEO!* Nempe talis eſt naturæ DEUS noſter, inquit Auguſtinus, ut alios præter ſe pati nolit.

Utinam in corde meo non eſſet DEUS recens, neque Deus alienus ibidem adoraretur! utinam ſculptile nullum extaret, quod colerem! ſed quum, Hieronymo teſte, tot recentes habeamus Deos, quot vitia diligimus, & quanta in animo meo idola non reſident! Quâ igitur ratione illum ſubibit, qui talis eſt naturæ, ut alium præter ſe Deum pati nolit? Ut Pantheon DEO vero ſacrari poſſet, idola quævis ejici priùs debuêre: ut DEUS Euchariſticus cor meum ingrediatur, dejiciendæ pariter ſtatuæ inanium Deorum. Corruit fractus ad pedes Arcæ Dagon ille; ruant pariter præſente Mannâ cœleſti ſculptilia pravorum affectuum; extinguatur ardor libidinis, remittat furor iracundiæ, ſuperbia cadat, ſtrin-

gatur gula, invidia quieſcat, deſinat avaritia, accedia emendetur. Ita non erit in me DEUS recens, neque adorabo Deum alienum: & ſi quando Dagonem iterum reſtituam, redeámque ad idola, ad peccata, acſi ea minimè planxiſſem; tu, JESU benigniſſime, fac potentiam in brachio tuo, idola ad pedes tuos dejice; ut cor meum, quod ſolâ bonitate tuâ quotidie ſubintrare dignaris, ſit locus ſanctus, impollutus, tibi ſoli dicatus, tibi ſoli conſecratus jam olim per ſacrum baptiſma, & deinde per unctionem Sacerdotalem; ac proinde abominatio mihi ſit, ſtatuere idolum in loco ſancto; cùm utique non conveniat Chriſto cum Belial, neque pars ulla eſſe debeat fideli cum infidele. Et ô quàm puras decet eſſe manus, quæ res tam ſanctas tractant, linguam, quæ verba adeo ſancta profert! quàm divinam animam, rebus tam divinis participantem! Fiat, Domine, fiat cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar ex tanto Miniſterio, minùs deinceps regnet.

*In me DEUS alienus.*

## Pridie Idus Maji. Dies 14. ejuſdem.

### *S. Bonifacius Martyr.*

HAc die Pyrrhus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ob ſuam in Monothelitarum hæreſi pertinaciam ac relapſum, à Theodoro Pontifice Romano ſacris interdictus eſt modo, quem meritò omnes horreant: ſiquidem Pontifex, poſtquam

quam ſacris operatus eſſet, calamum in ſanctiſſimum Chriſti Sanguinem intinxit, ſcripſitque in contumacem Anathematis ſententiam, ac (a) Pyrrhum officio movit.

Clamabat olim de terra inſons Abelis cruor, vindictámque à DEO repoſcebat: clamat hodieque Chriſti Sanguis, pro pijs fuſus, adverſùs impios diſperſores, & quaſi tuba exaltat vocem ſuam. Et væ miſero mihi, toties Sanguinis Dominici reo, quoties minùs dignè illum libo, bibóque! Meritò quaſi tuba exaltat vocem ſuam, & vindictam contra me flagitat. Sanguis vel viliſſimi homuncionis, innocuè profuſus, clamat de terra; & vel maximè ſanguis Principum virorum, à perduellibus, & læſæ Majeſtatis reis fuſus, teterrimo mortis genere vindicatur: quale ergo judicium ſibi accerſit, qui Filium DEI conculcaverit, & Sanguinem novi Teſtamenti pollutum duxerit? Verè hic adverſùs impios diſperſores quaſi tuba extollet vocem ſuam: & quid clamabit? tollatur impius, ne videat gloriam DEI; eradicetur de terra viventium, & nomen ejus ampliùs haud memoretur. Tunc verò clamabit validiſſimè diviniſſimus cruor, quando juſtus ſæculi Arbiter decretoriam in impios diſperſores fulminabit ſententiam: ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.

Præmiſſus clamor ad fugam impellit, inquit Cyrillus, ut pœnitentes ante malorum adventum

(C) 5 ſol-

(a) *Anaſt. Hiſt. form.*

ſalventur. Clamet hæc vox in auribus meis; impellat efficaciter ad fugam peccatorum; ut adveniente die illâ tremenda locatis à parte dextra Chriſti ovibus merear accenſeri. Interea voce iſthâc tremefactus, ad pedes tuos me abjicio, Salvator benigniſſime, fateórque me reum corporis & ſanguinis tui pretioſiſſimi, reum offenſæ diviniſſimæ Majeſtatis tuæ, meritúmque duriſſima orci incendia: Tu, JEſu piiſſime, cùm veneris judicare, noli me condemnare; neque perdas cum impiis animam meam: ſuperexaltet miſericordia tua judicium; ut, cùm armaveris aliquando creaturam omnem ad ultionem inimicorum, non diſperdas me; neque ſanguis tuus, pro mea ſalute fuſus, proveniat mihi in judicium & condemnationem, ſed in ſalvationem animæ meæ; ut, quem Judicem ſuſtinere haud potero, habere merear Salvatorem. Parce igitur, optime JEſu, miſero peccatori, qui pepercíſti Bonifacio, utut diu luxuriæ ſordibus involuto: & qui eundem pœnitentem, & Martyrum tuorum corpora conquirentem, Martyrem glorioſum effeciſti, me quoque pœnitentem ſuſcipe, & Sanctorum tuorum numero adjunge; nam miſericors es, & *Viſcera pietatis habes.*

## Idibus Maji. Dies 15. ejuſdem.

### *SS. Dymna & Iſidorus.*

VIrgo regia Dymna, ob eximiam formæ venuſtatem ab ipſo parente contra naturæ jura in

in thalamum conjugalem invitata, promiſſum ab eodem ſumptuoſum è candido marmore templum, ſtatuam auream, divinos honores, amore Chriſti generoſè rejecit; utque pactam Sponſo cœleſti fidem ſervaret integram, fugam trans mare arripuit. Sed nec ibi à barbaro lenone tuta fuit; qui cùm pudorem filiæ non poſſet, vitam gladio eripuit. Corpus caſtiſſimum ipſi Angeli tumulo marmoreo condidêre, nomine Virginis gemmæ pulcherrimæ ad poſteritatis memoriam inſculpto.

Humilia elegit DEUS, ut fortia confundat, mira videlicet operando in fragili ſexu: Ita Dymnam regales inter illecebras intemeratum, inter patris ſceleſti blandimenta immobilem, invictam, infractámque inter minas ac terrores ſervavit. Humilia non minùs elegit DEUS, quando hodie beatum Iſidorum ab agricultura ad regnum cœleſte evocavit. Nempe etiamnum benigniſſimus le Paterfamilias pauperes ac debiles, cæcos ac laudos invitat admittitque ad Convivium ſuum. Olim Davidi, coram Arca fœderis, Euchariſtiæ ypo, totis viribus ſaltanti levitatem exprobrabat Michol, inquiens: quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſraël, diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris. Sed retudit intempeſtivam dicacitatem pius Rex. Dicens: vilior fiam, plusquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis; docens, notante Ambroſio, contuitum regalis potentiæ non habendum, ubi religionis exhibe-

hibetur obſequium. Neque enim perſonæ acceptor eſt DEUS, qui divites æquè ac peres ad menſam ſuam vocat, modò illi Davide humiles fiant in oculis ſuis; cùm enim noſtrum petat, vult illud eſſe humile, ſimpl contritum; cum talibus quippe eſt ſermo tio ejus.

Infinitas proin gratias ago immenſæ Maj tuæ, quòd me, indigniſſimum licèt ac ſorc ſimum, non tantùm admittas ad cœleſte c vium tuum, ſed ejuſdem etiam conſtituas di ſatorem. Fiat, juvante gratiâ tuâ, cor n templum tibi gratiſſimum, in quo, pulſis id tu ſolus adoreris in ſpiritu & veritate; elimi tur inde ſordes vanitatum mundanarum; inc tur econtrà humilitas, paupertas ac ſimplici ut, cùm aliquando adveſperaſcet, dieſque ad noctem inclinabuntur, in nidulo meo ob miam in pace inidipſum, ac transferar ad h æternum, ubi in lumine tuo videam lum quod tu es: id ut conſequar,

*Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te.*

---

xvij. Cal. Junij. Dies 16. Maji.

*S. Joannes Nepomucenus Martyr.*

INiquiſſimæ Regis petitioni invicto animo oppoſuit Joannes, nec minis cedendo, blanditiis: mortiſque generoſè progreſſus obv eam auctoribus è ſacro ſuggeſtu, unàcum miratibus, Bohemiam oppreſſuris, non vanu

pur prædixit; Tum ipſâ inſtantis obitûs die in Templo beatæ Virginis, à vetuſtate nomeu habentis, peragens ſacratiſſimum Miſſæ ſacrificium, ad luctam ſupremam ſeſe communijt; quam etiam fortiſſimè ſubijt, Moldavo Amni immerſus. Mox Stellæ, ſupra corpus demerſum apparentes, prodiderunt, quem locum victor animus petiſſet.

Hinc diſcam ego, in quovis gravioris momenti negotio, in qualibet animi afflictione, maximè in ſupremo illo, à quo æternitas pendet, articulo ad Chriſtum, ſpeciebus Euchariſticis occultatum confugere, ejuſdémque dignâ ſumptione contra omnem hoſtium incurſum me munire; & unà Virgini, Matri ejuſdem, imo omnium ad ſe recurrentium, me, meáque ex animo commendare. Siquidem, teſte Laurentio Juſtiniano, nullum acceptabilius ſacrificium DEO offerri poteſt, ſive ad exolvendas laudes, dicendásque gratias, ſive ad impetranda beneficia, quàm Corporis & Sanguinis Chriſti ſacroſanctum Myſterium; itaque cùm ſciam, Domine, quia voluntatem timentium te facis, audísque etiam immeritos; ecce fiduciáliter ad te accedo; accedo, neque timeo in quacunque neceſſitate occurrente, firmiſſimè confidens, fore, ut virtute meritísque infinitis hujus auguſtiſſimæ Hoſtiæ eruas me de omnibus neceſſitatibus meis, qui eruis ſuſtinentes te. Erue itaque, Domine, & libera me de perſequentibus me; erue me ab hominibus iniquis; quoniam invocavi te; illuſtra faciem tuam

ſuper ſervum tuum, & ſalvum fac filium ancillæ tuæ. Maximè verò tum virtute ſacroſancti iſtius Myſterij, tum etiam potentiſſimâ Matris tuæ protectione me corrobora mortis tempore; ut, cùm venerit princeps hujus mundi, non habeat in me quidquam, neque aliquid funeſti reperiat: Tunc, ô Domine,

*Non confundar, quoniam invocavi te.*

---

## xvj. Cal. Junij. Dies 17. Maji.

### *S. Paſchalis Baylon Conf.*

DIvi Franciſci Seraphici Alumnus non degener Paſchalis, ſanctitate celebris, quandam Galliarum Urbem, hæreticis frequentem, fortè pertranſibat negotiorum cuſâ; cùm impetu in eum facto quærunt cum tumultu, fidei hoſtes: dic nobis, execrande Papicola, ineſtne DEUS veſtro, quod vocatis, Altaris Sacramento, quod ex pane in Corpus Chriſti tranſmutare præſumitis? Repoſuit vir ſanctus, omni diſcrimine contempto, haud dubiè ita rem ſe habere, ut fides orthodoxa aſſereret: id quod tot tantiſque mox rationum graviſſimarum momentis Spiritu divino ſuggerente demonſtravit, ut convicti confuſiſque hæretici, cùm verba non poſſent, lapides redderent; à quibus tamen, Angelo tutante, nihil læſus Paſchalis receſſit.

Nemo me Hæreticus compellat; obſtrepunt tamen diſtorti affectus mei; impetit caro & ſanguis, hoſtes domeſtici; concupiſcentiæ, in membris

bris meis militantes laceſſunt, ut Chriſto in auguſtiſſimo Sacramento maledicam, non quidem verbo, ſed facto; ſiquidem, advertente magno Auguſtino, pauci jam ſunt, qui Chriſtum blasphemant linguâ, plurimi, qui vitâ. Sed quâ ratione adverſarios hoſce excipio? an infracto cum Paſchali animo contrà audentior eo? Imò ſæpiſſimè illis cedo, conſenſum præbeo, Filium DEI rurſus mihimetipſi crucifigo; foveo iram ac vindictam, temerè de alijs ſuſpicor, judicóque, ijs detraho, eos arguo, ac ſperno: ardeo invidiâ, impatientiâ rumpor, gulâ ac libidine abripior, langueo acediâ ac torpore: philautiâ meam divinæ præfero voluntatem, ambitione proximum poſt me habeo; verbo: animum quibusvis pravis propenſionibus laxo; interim Deum meum quot diebus intra eundem recipio. Quàm jure metuo illud Venerabilis Bedæ: (a) væ homini illi, qui ad Menſam Domini malignus accedit; ſiquidem talis in exemplum Judæ Filium hominis tradit, non quidem Judæis, ſed in manus peccatorum. Tu, optime JESU, in hac tanta animæ meæ neceſſitate ſis mihi adjutor; tu doce manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum: & cùm (b) inſigne Martyrij genus ſit, vitiorum cohibere motus, atque cupiditatum pruritus reſecare, da, quæſo, ut ijs fortiter reluctér, neque unquam cedam; tu enim præcipis mihi:

*Sub te erit appetitus tuus.*

XV. Cal.

(a) *Lib. 6. in Luc. c. 91.* (b) *Laur. Juſt. ſerm. de S. Laur.*

## xv. Cal. junij. Dies 18. Maji.

### *S. Felix de Cantalicio Conf.*

EQuidem ſpectandum ſe mihi non exhibet dulciſſimus JEſulus; neque de ſinu Matris Virginis eundem recipio diſuaviandum: gratiæ ejusmodi Sanctis tantummodo ſunt conceſſæ. Interim tamen illum ſuſcipio, non in ulnas, ſed intra ipſa viſcera, Corpori ejus ac Sanguini communicando. O DEUS ineffabilis, cujus tremenda myſteria nec ipſi Angelici ſpiritus comprehendere poſſunt; cùm tu ſolus nôris, quanto amoris exceſſu te olim Patri æterno pro ſalute hominum obtuleris in monte Golgothæo, quantâque dilectione etiamnum quotidie te in ſacro Altari ſine eodem offeras. Hominem à morte aſſerturus, de cœlo in uterum Virginis deſcendiſti; nunc ejusdem hominis amore denuo in terram te demittens, ſub exiguis panis & vini ſpeciebus te abdere haud dedignaris.

Agnovit immenſum hunc amorem omnem mentis captum longiſſimè ſuperantem, verbíſque prorſus inexplicabilem, beatiſſimus Felix, quem die hâc Eccleſia veneratur; inde nil ardentiùs ſuſpirabat, quàm ſemper eſſe cum JESU, in Sacramento iſthoc admirabili latente: neque deſuit ſanctis votis ille, cujus deliciæ ſunt, eſſe cum filijs hominum. Siquidem eam gratiam Felici conceſſit, ut adhuc ſæculo implicitus, quamvis heri ſui, cui famulabatur, agros coleret,

eodem

eodem tamen tempore Miſſæ ſacrificio adſtaret, amorem ſuum adoraturus. Religioni per vota ſolennia jam mancipatus, à porta, quam curare juſtus fuerat, ad portum ſuum, DEUM Euchariſticum, quantum licuit, advolavit, ita eundem compellare ſolitus: ô mi JESU, ô dulcis amor meus, ô omne bonum meum: quâ brevi, ſed amoroſâ verborum formulâ JEſum videre meruit, gradibus Altaris inſiſtentem, ſeque in amplexus dulciſſimos admittentem. Aliàs eundem è ſinu Matris complectendum recepit.

Amantiſſime Pater, DEUS æterne, en ego indigniſſimus famulus & Sacerdos tuus, de immenſa tua confidens pietate, ſacratiſſimum tuum Filium ſuſcipio in ulnas meas, & in modum juſti Simeonis eundem tibi offero Hoſtiam vivam & veram pro me, & omnibus, pro quibus ſolco & teneor orare; in conteſtationem debitæ tibi gloriæ, in gratiarum actionem omnium beneficiorum, nobis collatorum, in ſupplementum bonorum, quæ omiſimus, in ſatisfactionem malorum, quæ commiſimus; pro impetranda gratia tua efficaci, quâ tibi placitis moribus deſervire, præterita peccata condignâ pœnitentiâ eluere, futura cavere, ac tandem te cum Filio tuo, & ſancto Spiritu æternum poſſidere valeamus, interea verò JESUM in ſacro Altaris Myſterio pignoris locò capiamus; ita ſatis habebimus; ſiquidem

*JESUS dat vera cordis gaudia.*

## xiv. Cal. Junij. Dies 19. Maji.

### *S. Mamertus Epiſc. Vienn.*

AGnum immaculatum dum immolaret in ara ſanctus Mamertus, Viennenſium in Gallia Præſul, ignis curiam invaſit; ad quam à flammis redimendam, omnes deſertâ re divinâ accurrerunt, ſolo Epiſcopo excepto, qui lacrymis precibúsque ſuis flammam abſens reſtinxit.

Non tantùm ſancti novæ legis perſeverare in Eccleſia ac oratione me docent; verùm etiam ipſi Judæi: (*a*) hi enim, cùm Cn. Pompejus Jeroſolymam arctiſſimâ obſidione premeret, nec minimum quid ſacrorum rituum vel inter media tela omiſerunt; & quaſi pace altiſſimâ fruerentur, ſacrificia diurna, & victimas, quidquid demum ad cultum divinum ex legis præſcripto pertinebat, diligentiſſimè perficiebant.

*Erubeſce Sidon, ait mare*, dum illi legis antiquæ cœnorum ſolummodo Elementorum cultores ruborem me ſuffundunt: neque enim aut ignes, aut tela ſacrificantem me diſtrahunt; ſed quævis curioſitas, quodvis incidens aut accidens mentem meam ad alia avertunt à DEO præſente; quælibet res creata facit, ut tergum Creatori turpiſſimâ ruſticitate obvertam. O quantum offenderetur Princeps aliquis terrenus, ſiquis Purpuratorum, de re ſummi ponderis agens cum illo, atten-

(*a*) *Joſeph. l. 1. de bell. Jud. c. 5.*

attentas interim vilissimo cupiam de trivio mendiculo aures præberet, facie ad hunc ab ipso Principe translatâ. Et ecce Rex Regum & Dominus Dominantium has, & his majores sustinet injurias à me, abjectissimo vermiculo, vel ideo malo, quia ipse bonus ac mansuetus est. Judæi conscelerati amiculum coccineum Servatori injecerunt, non ut honorarent, sed confunderent. Et quid aliud agunt improbi Sacerdotes, dum eundem, Angelico stipatum satellitio, in aram cœlo devocant, genuque coram ipso flectunt, non aliâ attentione ac reverentiâ, acsi stramineus aliquis DEUS esset? dum mente ad omnia alia distractâ, creaturis inattento Creatore immersi, sanctissima Mysteria ludibrio habent? & sic Christum non alio, quàm scenicum aliquem Regem, loco habent? Divus Petrus Cœlestinus (cujus hodie etiam meminit Ecclesia) tam tenerâ erat conscientiâ, ut, siquando vel levissimam, orco movente, de nocte sentiret illusionem, eo die protinus abstineret à sacro Ministerio, haud ignarus, olim Hebræis præceptum fuisse, ob similem tactum manere extra castra. Simili cautelâ ego deinceps, si non hunc, alios certè defectus, in mea positos potestate, pro viribus cavebo, maximè quamvis vel levissimam incuriam, negligentiam aut distractionem; quales quòd hucusque sæpius, & forsan deliberato etiam animo admiserim in re omnium divinissima, animitus doleo, firmissimè statuens, eum imposterum ad Aram animum adferre, ut ad nullum, qualequale de-

mium illud sit, eò haud pertinens objectum, negotiúmve mentem aut sensum sciens prudens advertam, semper illud Veterum mihi occinens:

*Age, quod agis.*

## xiij. Cal. Junij. Dies 20. Maji.

### *S. Bernardinus Senen. Conf.*

JUvenis etiamnum Bernardinus tantâ omnibus castimoniâ erat conspictus, ut sales prætextatos solâ præsentiâ suâ compescèret; quos etiam aliquando alapâ in Viro Adolescens castigavit. Mulierum quarumvis imagines ex animo expunxit. Icones econtrà Virginis Deiparæ devotè veneratus, coronam, quam dicunt, coram ipsdem attento animo percurrebat, ipsâ Almâ Matre studium hoc probante; quæ ita eum aliquando compellavit: Bernardine, in hac devotione multùm mihi complacui. Panegyrin salutiferi nominis JESU eo ardore instruere erat solitus, ut hoc ipsum sacratissimum Nomen, instar solis fulgidum, caput dicentis illustrârit aliquando. Præterea summè afficiebatur ad augustissimum Altaris Mysterium, de quo in verba illa psalmi 68. *Zelus domûs tuæ comedit me*, ita commentatur: (*a*) id est, Zelus amor me comestibilem fecit. (*b*) O quàm rapidus, quàm amabilis, & quàm desiderabilis est cibus iste, qui hominem facit DEUM, & nos à vita nostra, quæ verè mors est, funditùs eradicando distrahit. Reverà dicere nobis potes,

(*a*) *Tomo 3. serm. 54.* (*b*) *Art. 1. c. 1.*

potes, dulcis JESU: quid ultrà tibi, ô anima? facere potui, & non feci, quod cordis tui duritiem emolliret?

O amor immenſus divini cordis, quod veriſſimè deſiderio deſideravit hoc paſcha (panem videlicet Euchariſticum) nobiſcum manducare; ut, (a) qui ſemel moriendo vicit, quotidie recidiva delictorum peccata per hæc Sacramenta Corporis & Sanguinis ſui relaxaret. Væ tamen mihi, qui non ex vano metuo, ne (quod Hebræis, manna aſpernantibus in deſerto contigit) Sacramentum hoc non proveniat mihi in ſalutem, ſed condemnationem. Manna illud typicum, ſolis radijs expoſitum, non emolliebatur, ſed indurabatur potiùs. Simile quid in me producit ſacrum Epulum, non emolliendo, ſed obdurando cor meum, dum id uſu quotidiano vileſcit, & locò famis ſpiritualis, ad menſam hanc porrò repetendam, nauſeam potiùs generat ac faſtidium: præclarè id oſtendit properatio, quâ à ſacro Miniſterio me expedire ſatago, ad negotia alia, majoris ſcilicet ponderis, tranſiturus. Equidem divinum hocce Myſterium hominem à terrenis ad cœleſtia transferre deberet; ſed ego contrarium potiùs experior, à divinis ad terrena præproperè dilapſus. Benigniſſime DEUS, quàm meritò cum Huſſæo Principe conqueror de meipſo, ac dico: tædet animam meam vitæ meæ; dimittam adverſùm me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. Sed quid eloquar?



(a) *Art.* 3. *c.* 1.

Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis? dum tepiditatem meam agnoſco quidem, non tamen vincere me ſolo poſſum: velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio. Tu, ô Deus, qui magnes es cordium, tu trahe me poſt te; trahe me vi amoris tui, magnitudine dilectionis tuæ, robore gaudiorum tuorum. Tœdet animam meam vitæ ſpiritualis; trahe me in vinculis dulcedinis tuæ; tu deſiderio deſiderâſti ad me venire; te mihi comeſtibilem præbuiſti, non alio fine, quàm ut in te convertar; ingere & mihi ſimile deſiderium, te ſuſcipiendi; ſuccende amorem, quo tibi pleniſſimè uniar, ut unus tecum efficiar ſpiritus, túque ſis unicum bonum meum; & ſit mihi

*Unicus dolor, hâc eſcâ privari.*

---

## xij. Cal. Junij. Dies 21. Maji.

### *B. Columba V.*

MAgni Dominici Alumna, B. Columba, cùm etiamnum puella templum adiret, DEO Euchariſtico præſtitura homagium; virum quemdam canis, uti quidem apparebat, venerandum (Alaſtor ſtygius erat) habuit obvium, qui multis confictis rationibus perſuadere ipſi nitebatur, fieri non poſſe, ut Deus-Homo ſub modicis panis accidentibus lateret. Non audijt Veteratorem puella; eâque in fide conſtantiâ meruit ſub ſacro, cui aderat, Chriſtum in ſacra

Hoſtia

Hoſtia ſpectabilem habere, in Crucem ſuffixum, Sanguine undique defluente; quo prodigio in fide diviniſſimi hujus Myſterij ampliùs ſolidata fuit.

Equidem, bone JESU, plagas, ſicut Columba, non intueor, DEUM tamen meum te confiteor, nihilque ardentiùs cupio, quàm cum columba quieſcere in foraminibus petræ, SS. Vulneribus tuis. O quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam in corde JESU mei, amore mei ſauciato! ibi me abſcondam, ibi ſecurus habitabo. Quòdſi DEUS mihi iraſcatur, non egrediar inde, dum eundem videro ſuper malitia mea placatum: ſiquidem cùm iratus fuerit, miſericordiæ memor erit, videns me in corde Filij ſui tutum latere. O ſacratiſſima vulnera, vera Servorum DEI habitacula, mundi lumina, cœli limina, unica ſpes ac fiducia noſtra. Feliciſſimum cor Cajetani, cui amor addidit alas, (a) & volavit, evolavitque ad DEUM ſuum, inde non fruſtra gemuit cum Columba, ac dulciter queſtus eſt: cor meum dereliquit me. Sed ſolatus eſt ipſum ex Angelorum numero unus, reſponens: ubi theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. O ſi & cor meum ita avolaret, ut in Vulneribus Domini mei requieſceret! quis dabit mihi pennas! Equidem vir ſum, videns paupertatem meam; alæ mihi deficiunt, ſincera amoris divini deſideria: Tu, bone JESU, amor crucifixe, eas mihi ſuffice; tu cor ad ſuperna evehe; & quod hactenus velut avis avolavit poſt terrena ſua de-



(a) *Ita depingitur.*

ſideria; tu, velut alter Noëmus apprehende, & in Arcam gratiæ tuæ repone, intra Vulnera tua colloca; tu illud amore tuo ita ſaucia, ut in aquis miſeræ iſtius vitæ non inveniat locum, ubi quieſcat: verè etenim feciſti nos ad te, &

*Inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

## xi. Cal. Junij. Dies. 22. Maji.

### *Venerabilis DEI Famula Humilitas.*

INſtruit me hodie Venerabilis DEI famula Humilitas, verè humilis, Author Sanctimonialium Vallis Umbroſæ, quàm exactâ conſcientiæ diſcuſſione ad Menſam Euchariſticam oporteat accedere. Hæc ſubditarum unam acriter aliquando reprehendit, quòd ad ſacrum Epulum acceſſura, certum quoddam peccatum confeſſione prævia non expiârit. Eâdem ratione Sacerdotem, ad litandum jamjam progreſſurum, divinitùs edocta monuit, peccati cujuſdam occulti maculam antea elueret in ſacro tribunali, quàm opus adeo divinum auſpicaretur.

(a) Quo igitur non oportet eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os, quod igne ſpiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Verùm quàm meritò clamat Bernardus: quis non paveſcat & erubeſcat, ubi præſtantiſſimum ſæculi pretium projicitur in ſterquilinium! O ut tale non ſit cor meum!

(a) *Chryſt. Hom. 60. ad Pop.*

n! Certè tanti Myſterij celſitudo exigeret
ino, ut ad illud dignè perficiendum quot
us me diſponerem ſincera perperàm facto-
confeſſione, pijs ac devotis affectibus, pre-
; ardentiſſimis, intenſiſſimo Chriſtum ſuſci-
li deſiderio, infima denique coram oculis
ſtatis tam tremendæ abjectione; Verùm, prô
r! diviniſſima hæc Sacramenta uſu quotidia-
d inadvertentiam delabuntur; & quamvis di-
tio ſuprà memorata à Spiritu divino omni-
endeat, qui ſpirat, ubi vult, & quando
; quòdſi tamen hanc à DEO gratiam effica-
quis petat, faciendo interim, quod in ſe
haud dubiè eandem conſequetur. Omnem
e adhibebo induſtriam, ut majori, quàm
nus, ſtudio ad Altare accedam: conſcientiæ
ras excutiam, ut potero; errata ad pedes
Judicis deponam, ut nihil, ſaltem gravius,
tem remordeat; animum indies à quibusvis
atis ſincerè avertam; exceſſus quotidianos
nimo plangam; diſtortas affectiones, aliàs-
miſerias internas DEO in ſecreto cordis ex-
m; confitebor adverſùm me Domino, quòd
c tam carnalis & mundanus ſim, tam im-
tificatus in ſenſibus, tam plenus concupi-
iarum motibus, tam inclinatus ad exterio-
orporis commoda, tam negligens ad inte-
, tam levis ad riſum & diſſolutionem, tam
s ad fletum & compunctionem, tam mul-
anis phantaſijs implicatus, tam ſegnis ad ri-
m & fervorem. De his & alijs innumeris

meis defectibus cum dolore vero ac displicentia propriæ infirmitatis reum me coram te, misericordissime DEUS, statuo, firmissimè proponens, seriò me emendare, & in melius quotidie proficere; siquidem iniquitatem meam ego cognosco, &

*Peccatum meum contra me est semper.*

---

x. Cal. Junij. Dies 23. Maji.

*S. Desiderius Episcopus, & Martyr.*

QUod aureâ suâ facundiâ monuit Chrysostomus: (a) tamquam leones, ignem spirantes, ab Altari DEI recedamus, facti terribiles diabolo & angelis ejus; ad amussim præstitit Desiderius Lingonensis Præsul, quando à divino sæculo redux, quibusvis respectibus humanis sepositis, publicam Reginæ libidinem palàm arguit, inde contumelijs affectus, actúsque in exilium; ubi à Christo invitatus ad Martyrium, pro percussoribus orando mortem fortissimè oppetiit.

Magna profectò virtus divinissimi hujus Mysterij, quâ ad pugnam cum antiquo serpente accingimur ac roboramur. Olim exibat virtus de Christo, hominibus etiamnum convivente, & sanabat omnes, sed corpore præcipuè affectos: hodie animis potissimùm medetur virtus ista, è Christo Eucharistico in nos derivata: illa vitam perituram instaurabat; hæc conservat æternùm duraturam: siquis manducaverit ex hoc pane, vivet

(a) *Hom.* 60.

vet in æternum. Et quod longè admirabilius, ui cœleſtem hunc cibum ſumit, in Chriſtum ſum permuratur: qui manducat meam Carnem, : bibit meum Sanguinem, in me manet, & go in eo. Bene Angelus Doctorum: (a) dum orpus Domini dignè à fidelibus manducantur, ſi remanducantur: quia non ipſum, ut alios ci- os, in ſe convertunt, ſed è converſo in Chri- um ſpiritualiter mutantur; nam manducantem Dominus ſui corporis membrum facit. Et quid iirum dein, ſi tales velut leones, ignem ſpiran- es, à DEI Altari redeant, facti terribiles dia- olo, & angelis ejus? Porro ſi Chriſtus manducantem me corporis ſui membrum efficiat; omino neceſſe eſt, me à corpore mundi hujus ſe- arari: nulla enim conventio Chriſto cum Bel al. Iumili igitur inſtantiâ clamo ad te. Domine: onverte me, & convertar ad te; ſana me, & inabor, ſalvum me fac, & ſalvus ero. Exeat irtus de ſanctiſſimo Corpore tuo, & conſumat, uidquid vitioſum eſt in me, quidquid ruinoſum, eſtauret; uniat me tibi, & penitùs agglutinet; t manducans te, corporis tui membrum effi- iar, animer ſpiritu tuo, nec jàm vivam ego, ed tu, Domine, vivas in me; dicis enim mihi, t olim Auguſtino tuo: cibus ſum fortium; cre- ce, & manducabis me; nec ego mutabor in te, ed

*Tu mutaberis in me.*

ix. Cal.

(a) *Opuſc. de Sacram.* 20.

## ix. Cal. Junij. Dies 24. Maji.

### *S. Simeon Stylita Junior.*

MAgni Baptiſtæ exemplo Simeon vixdum ſexennis in eremum ſeceſſit, ubi cùm omni humano cibo deſtitueretur, cœlico nectare meruit aliquando Angelicâ manu refocilliari. Inde poſt ſextum annum ingreſſus cœnobium, adeo profecit, ut à Magiſtro ſuo ad perpetuam in columna ſtationem invitatus, corpore ac animo ſuper terram deinceps aſſurrexerit.

Ingens profectò favor, ſuperûm dapibus Angelicâ manu cibari: major tamen absque dubio, refici, non ferculo cœleſti, ſed ipſo cœlorum Domino, omne delectamentum, & ſuavitatis ſaporem in ſe continente. (*a*) Corpus ſuum dedit in cibum, & Deitatem in condimentum. (*b*) Quis enim, & quid ſic delectat, quàm ille, qui fecit omnia? Cætera equidem in tantum continent quamdam delectationem, ſuavitatemque, in quantum eam ab ipſo mutuant: Ipſe autem Servator noſter fons eſt & origo totius boni, eſſentia cujusvis eſſentiæ, bonum ſummum & interminabile, à quo bona cuncta procedunt. Cur igitur non magis inardeſco? cur non majori affectu accedo? Unde provenit, quòd cibus iſte ſapidiſſimus non majorem mihi adferat voluptatem? Nempe acetum & mel ſimul ſumpta guſtum perturbant, inſipidúmque reddunt; & tunc

(*a*) *Alb. Magn.* (*b*) *Auguſt. in pſal. 32.*

ic (a) consolatione fulcitur homo, cùm caro mens diversa non cupiunt, sed unum requi- nt. Itaque expurgabo vetus fermentum; ex- tiam, quidquid caro concupiscit adversus spi- um: & tunc gustare potero, quàm suavis Dominus. Quando terrena despiunt, tunc it Dominus; quando carnalia fellis instar ama- rem cient, tunc Dominus est mel in ore, mel corde, tunc Deus verè est DEUS & omnia. atus olim esse cupis in futuro sæculo? jam in c auspicare beatitudinem per octo illos gra- s, quos ipse Servator tibi assignavit. Esto per spiritu, omnem ad opes, honoresque ca- cos affectum deponendo: Esto mitis, motus osvis iræ & impatientiæ frænando. Lugens o, peccata tum tua, tum aliorum plorando e ob DEUM offensum. Esurias ac sitias justi- m, eo affectu amplectendo, quidquid ad illam parandam facit, quo cibum famelicus, po- n sitibundus. Esto misericors, charitatis o- ra exercendo, de quibus Hieronymus: non mini, me legisse, malâ morte defunctum, i libenter opera charitatis exercuerit. Esto ndo corde, id non solùm depurando à gra- ous peccatis, sed à levibus quoque, delibera- admittendis, imò ab omni affectu ad venia- ; item à quibusvis distortis affectionibus, ac perfectionibus quotidianis. Pacificus esto, te EO, rationi verò appetitus malè ordinatos sub- iendo, pacémque non tantum quoad te ser- vando

(a) *Ambr. serm. 11. in Psal. 118.*

vando cum proximo, ſed i ter alios etiam con-
ciliando. Denique paratum te exhibe ad qua-
vis pro DEO ac juſtitia perpetienda. Hos octo
gradus ſi percurreris, beatus eris in hac etiam-
num vita, & beatitudinem futuram prælibabis;
terrena omnia deſipient, DEUS Euchariſticus ſo-
lus ſapiet, eritque mel in ore, nectar in corde,
diſcesque experimento, quòd ſit verè

*Continens in ſe omne Delectamentum.*

---

viij. Cal. Junij. Dies 25. Maij.

## *S. Maria Magdalena de Pazzis.*

VIrgo cordatiſſima Magdalena Pazzia, Chriſto, Deiparæ, Angelis, ſanctiſque Tutelaribus multùm familiaris, per omnia tentata eſt, niſi quòd ſenſu adeò eſſet integra, ut, quidquid puritatem lædere poſſet, penitùs ignoraverit. DEO revelante admiranda multa cognovit; in doloribus ac ſpiritûs afflictionibus illud ſolenne in ore habuit: *pati, non mori.* Et hæc tanta, & tam ſancta, cùm ad limen æternitatis conſiſteret, ex arbitro conſcientiæ anxiâ ſolicitudine quæſivit, quid de ſalvatione ſua judicaret. Tum gratias Chriſto egit, quòd ad ejus imitationem omni deſtituta ſolatio moreretur; ſicque pretioſam animam in vulnera Sponſi amantiſſimi exhalavit. Porro ſolita erat de ſanctiſſimo Altaris Myſterio eo ardore differere, ut audientes ad amorem ejuſdem vehementer accenderet, in

hæc

: verba aliquando prorumpens: (a) ô ſi co-
aremus, quòd communicando totam ſimul
nitatem in nobis ſumamus; quem non inde
cedinis ſaporem guſtaremus! accipiendo ſiqui-
n DEI Filium, qui eſt Verbum divinum, prout
in ſe, cùm illud ſit in Patre, & Pater in eo,
utroque autem indiviſibilis ſit Spiritus ſanctus,
s tres ſimul in nobis ſumimus ſacroſanctas
ſonas.

ublimis plenè & cœleſtis Theologia: re quip-
obiter, & ut plerumque fit, penſatâ videtur
iſtus tantummodo ſumi in divino Epulo; &
en tota ſimul ſacratiſſima Trias, triúmque
nas dignatur ad nos divertere, juxtà illud
vatoris: ſiquis diligit me, ſermonem meum
abit; & Pater meus diliget eum; & ad eum
iemus, & manſionem apud eum faciemus.
ic ter ſacram Triadem ut ſtabili merear ho-
o excipere, duo requiruntur, videlicet divi-
um mandatorum obſervatio, & amor DEI,
dictam obſervationem movens. Tu, Domi-
deduc me in ſemitam mandatorum tuorum;
am impigrè decurrens diligam te, & vicis-
diligar à te, & æterno Patre tuo; ut iſ
Spiritu Paraclito, omnis boni collatore,
at ad me, ſtabilémque in me figat manſio-
. Hic mihi hodie finis erit, dum ad ſacrum
rè accedo, ut non te ſolum, JESU piiſſi-
, in divino Epulo ſuſcipiam, verùm etiam Pa-
m tuum æternum, ſanctúmque Spiritum cum
omni-

a) *Author in Vita.*

omnibus donis ſuis. Magna certè dignatio, ineffabilis benignitas! Qui cœlum terrámque potentiâ, ſapientiâ ac bonitate ſuâ implet, ad miſeram & peccatricem animam venire non dedignatur. (a) O veneranda Sacerdotum poteſtas, in quorum manus, uti olim in uterum Virginis, DEI Filius quotidie deſcendit. O grande prodigium, quòd Chriſtus ad nos veniat, & in nobis maneat, dicátque nobis denuo, quod olim Zachæo:

*In Domo tua oportet me manere.*

## vij. Cal. Junij. Dies 26. Maji.

### *S. Philippus Nerius.*

TAnto divini amoris æſtu ſuccenſum erat cor Philipi Nerij, ut anguſtiarum, quas natura definierat, impatiens, coſtam in pectore dirupérit, quò liberiùs reſpiraret. Ut vanam gloriam triumpharet, vili ſæpiùs actione contemptum aucupabatur. Eos, quibus caſtitas curæ erat, ex ſuavi odore, ex fœtore econtra libidinis mancipia dignoſcebat. Laicus etiamnum, ſacrum Epulum quot diebus frequentabat. Sacris poſteaquam initiatus fuit, ad Aram litare nunquam intermiſit: quòdſi adverſa valetudo id facere prohiberet, DEUM Euchariſticum è manibus Sacerdotis recepit, Chriſti, amoris ſui, amore languens, eâque die mortuus, quâ ſacratiſſimum Corporis Dominici Myſterium Eccleſia feſtâ celebritate per orbem univerſum devenerátur. An-

(a) *Auguſt. in 4. Prec. Decal.*

Anguſtum eſt cor meum, adeóque arctatum, ut non ſit ibi locus Chriſto. Et quare? quia videlicet ab alijs jam creaturis occupatum, ab alijs amatoribus præventum eſt: ut proinde non inveniat ibi locum Dominus, in quo diverſat; neque habeat, ubi caput ſuum reclinet. Occupârunt ſiquidem cor meum vani ac terreni affectus, mundi tranſeuntis amor, & (quod abominandum magis) ipſi jurati hoſtes Domini mei, vitia ac peccata, in quæ identidem prolabor, relabórque. Scio, optime JESU, te in vita tua humillimum fuiſſe, ex pauperibus genitum Parentibus, in vili natum ſtabulo, ac locatum præſepio, tum à diverſorio excluſum, neque habentem deinceps, ubi caput reclinares, poſt mortem etiam alieno conditum monumento: Verùm cùm Paſcha cum Diſcipulis celebrans, Corpus tuum ſanctiſſimum in cibum nobis relinqueres, elegiſti ad hoc cœnaculum grande, ſtratum, omníque cultu decenti exornatum. Nempe paupertatem in alijs amas; at Eccleſias, regiam ſedem tuam, ornatu te digno excultas vis, ſimúlque doces, etiam corda noſtra, templum tuum, ad te excipiendum dilatare, virtutibus ſternere, omníque condecenti apparatu excolere. Sunt equidem deliciæ tuæ, eſſe cum filijs hominum; cor illorum petis, in quo diverſeris: ſed quâ ratione placeat tibi cor ſordidum, & creaturis ex toto occupatum, quin vel angulus aliquis in eo tibi relinquatur? Tu, Domine, qui olim flagello ejeciſti templi tui profanato-

res, mensásque illorum ſubvertiſti; expelle etiam de corde meo, quidquid diſplicet oculis tuis; para in eo habitaculum grande, ac te dignum; ejice fallaces hujus ſæculi voluptates; expurga vetus fermentum, ut tu ſolus mihi ſapias, ſolus mihi dulceſcas, qui es cibus & potus animæ meæ. (a) Bonum aurum eſt Sanguis Chriſti; magno hoc pretio empti ſumus: Si ſanguinem tibi, ô JESU, rependere nequeo, ſaltem cor rependam, ſed illud integrum, ab omnibus creaturis vacuum, omni terrenâ fæce depuratum; & quia tu ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine; tu me emunda, tu tolle, quidquid in me vitioſum eſt; tu

*Cor mundum crea in me, DEUS!*

---

## vi. Cal. Junij. Dies 27. Maji.

### *S. Joannes Papa.*

PRæditum me rationis uſu vincere haud abs ratione videtur equus ille, S. Joanni Papæ à nobili quadam Matrona commodatò datus: hic enim poſt Chriſti Vicarium, nullum alium deinceps ſeſſorem admiſit.

Quoties ego Dominum & DEUM meum in corpore meo porto? quoties intra me recipio? Et tamen illicò alijs locum, aures, linguam, cor ipſum præbeo! Chriſtiferi ſunt Sacerdotes, Chriſtum jugiter in corporibus ſuis circumferentes, ſanctiſſimâ ejus carne indies paſti, Sanguine potis-

quan-

---

(a) *S. Ambroſ.*

ùanta ergo, & quàm deteſtanda execratio, ollere membra ac carnem Chriſti, & facere ea ıembra meretricis! Ablit hoc à me, ablit ab mnibus Sacerdotibus: nullà deinceps creatura, ulla diſtortà propenſio animi, occaſio nulla, úllæ illecebræ nos ſeparabunt à charitate Chriti. Quidquid ab hac charitate alienum, animo è rejiciam; ad inſtàr equi generoſi excutiam, uidquid non eſt Chriſtus; appetitiones malè ór linatas frænabo, ut non dominetur mei impoterum omnis injuſtitia: ſolum Dominum meum ıſtinebo, ſolum colam, ipſi ſoli fidem ſervabo. it profectò ſi cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; ego ſolus non agoſcam Dominum meum, cui ſoli totum me deœo? Tuus ſum, Domine, ſalvum me fac; Tuus eſt intellectus meus; fac, intelligam in via immàculatà: tua eſt voluntas; fiàt proin non mea, ſed tua voluntas: tua memoria; da, ut memor ſim tui, & delecter in te: tuus eſt omnis, quo agor, affectus, tuum cor meum; fac itaque, aliud non cupiam, præter te, & in te ſolo quieſcam, DEUS cordis mei: tuum denique corpus meum; fiat, quæſo, cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar. Tuus ſum totus, qui te toto me redemiſti; itaque ſalvum me fac, totúmque tibi vindica, qui totum meritò tibi vendicas; Tu ſolus poſthàc ſis centrum deſideriorum meorum, tu objectum unicum cordis mei: Reliqua omnia vanitas, & afflictio ſpiritûs. Ità tu totum me occupabis,

eróque ut jumentum apud te ; denique ſatis r
nito illi Apoſtoli ( Chriſtianos quosvis, & vel
ximè Sacerdotes ſpectanti ) faciam :

*Glorificate & portate DEUM in corpore veſtro.*

---

v. Cal. Junij. Dies 28. Maji.

*S. Germanus Epiſcopus.*

GErmano nondum nato mors ab ipſâ Mat
jam nato ab avia propinata eſt, utrobi
tamen innoxiè. Pontificiâ poſtmodum exorn
Mitrâ, ut mortem ſemper haberet præſente
ad lectuli ſpondam ſcripto expreſſit hæc verb
*Quinto Calendas Junij*, quàm videlicet diem u
mam ſibi fore cælitùs didicerat. Erga auguſ
ſimum Altaris Myſterium ita afficiebatur, ut p
res de nocte horas plerúmque coram eodem
gilando inſumeret ; id quò minus aliquando
cere poſſet, impedita feræ clavis morabatu
ſed ad ſolum Crucis ſignum fores ſancto Præ
mox patuêre.

Equidem dignus haud ſum ego, cui valvæ I
cleſiæ divinitùs referentur, imò dignus, cui p
tiùs in faciem occludantur, ob exiguam, qu
eò adfero, animi collectionem, modicam c
votionem, & mortuum penè deſiderium, D
minum meum inibi inviſendi, conveniendíq
Eſt Eccleſia DEI Curia, Sedes & Palatium; eò
debita cum reverentia ſubjerit, paſcua inveni
ſecùs audiet : tollatur impius, ne videat glori
DEI; nam beſtia, quæ tetigerit montem, oc
detur,

:tur. Omnino igitur neceſſe eſt, ut majori :inceps attentione ac devotione intrem in San- uarium DEI, & ad ſacrum Altare accedam. troibo itaque, Domine DEUS, in Domum am, & adorabo ad Templum ſanctum tuum timore tuo. Introibo ad te, & purè propter ; ut merear aliquando introire per te; dicis im: (a) per me ſiquis introierit, ingredietur, egredietur, & paſcua inveniet. Equidem pa- or quotidie, Domum tuam ſubeundo, non rne taurorum aut vitulorum, ſed puriſſimo Cor- re tuo: ſed utinam & ego te viciſſim paſcam; uris enim, & væ illis, qui te non paverint e- ientem! Paratum cor meum, DEUS, para- m cor meum. Quòdſi id tibi non pandam eâ, æ tibi debetur, reverentiâ; tu illud ipſe a- ri manu illâ, quâ portas æreas contriviſti, ac- ctes ferreos confregiſti. Rogabat olim Pe- us, humili correptus timore: exi à me, Do- ine, quia homo peccator ego ſum. Ego po- us demiſſè oro, ut intres ſub tectum meum, ſanes animam meam, quia peccavi tibi, & ulum coram te feci. Si ita ad me intrabis, o viciſſim dignè

*Introibo in Domum tuam.*

---

## iv. Cal. Junij. Dies 29. Maji.

### *S. Andreas de Chyo.*

Orpore Virgo, mente Virginis Almæ cliens



(a) *Joan.* 10.

devotiſſimus fuit Andreas, meritus inde, quem febri æſtuaret, medicam ejuſdem Virginis manum experiri. Delatus apud Mahumetanos fidei hoſtes, quòd loca frequentaret, celebrandis Chriſtianorum Myſterijs deſtinata, crudeliſſimè, & diu tortus, flagra, uncos ferreos, pectinesque usque ad oſſium denudationem invicto animo tulit, id unum identidem ingeminans: *Maria adjuva me.* Ab hac cœleſtl Archiatra integræ quotidie redditur incolumitati, gladio tandem caput victor ſubmiſit.

Non ſolùm conceſſum mihi eſt, loca ea devotè obire, ubi ſacra fidei Myſteria quotidie peraguntur, ſed inſuper Chriſtum ibidem adorare, non in figura Arcæ alicujus typicæ, tabulas legis, virgam frondentem, & manna figurativum continentis, uti in lege veteri fiebat, ſed verè & realiter præſentem ſub exilibus panis & vini ſpeciebus, aſſerente ipſâ divinâ veritate: hoc eſt Corpus meum. (*a*) Cùm igitur ipſe de pane pronuntiaverit: hoc eſt Corpus meum; quis audebit deinceps ambigere? & cùm idem tam aſſeveranter dixerit: hic eſt Sanguis meus; quis unquam dubitaverit, ut dicat, non eſſe ejus Sanguinem? Verùm ô quàm frigidè id credo! quàm oſcitanter DEUM præſentem adoro! Adorabat Dani l DEUM ſuum ter de die; & quâ ratione? (*b*) Feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem, tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, neque tum à devotione ſua

(*a*) *Cyrill. catech. Myſtog. 4.* (*b*) *Dan. 6.*

ſua remittens, quum Rex Perſarum ſub pœna capitis ſanxiſſet, nequis triginta dierum ſpatio peteret aliquid vel à DEO quocunque, vel ab homine, præter ipſum Regem. Porro quid facturus fuiſſet vir ille deſideriorum, ſi ei licuiſſet, non tantùm ad Jeroſolymam ſeſe convertere, ubi templi everſi rudera tum viſebantur, ſed ipſum DEUM ſuum coràm adorare? Mille profectò tum vitas expoſuiſſet, ut tanto DEI favore frueretur quàm ſæpiſſimè. Hanc gratiam ſuſpiriis ferventiſſimis anhelabat vates Regius, inquiens: unam petij à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: Quid, ſi gratiam hanc conſecutus fuiſſet? Certè ipſe teſtatus eſt, meliorem eſſe diem unam in atrijs Domini, ſuper millia. Jam hanc ipſam gratiam, quam multi Reges & Prophetæ ſibi optaverunt, nec tamen conſecuti ſunt, nobis immeritis benignè conceſſit DEUS: Nos immolamus DEO quotidie, non, ut populus ille Judaicus, taurorum vel arietum carnes & ſanguinem, ſed Agnum immaculatum, qui tollit peccata mundi. Verè non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut DEUS noſter adeſt nobis! Ab hoc diſcamus mutuam illi vicem reddere. Ipſe nobiscum, & in templis noſtris commoratur usque ad conſummationem ſæculi; nos pariter ipſi in templo ſtatis temporibus adſimus: Ipſius deliciæ ſunt, eſſe cum filiis hominum; nos viciſſim in ipſo & cum ipſo ſolo lætemur: Ipſe pro peccatis noſtris quotidie

ſe Patri æterno immolat; nos quoque in manus ipſius ac ſanctiſſimam voluntatem totos conſignemus: Ipſe vocem Sacerdotis, utinam numquam indigni, audit, & ad nutum obedit; nos quoque audiamus, quid loquatur in nobis Dominus, & ad amuſſim obediamus; adverſa forti animo ſuſtineamus, abſtineamus à ſæculi voluptatibus. Confortetur ego cor noſtrum, & ſuſtineamus Dominum: ipſe ſiquidem eſt

*Adjutor & Protector noſter.*

## iij. Cal. Junij. Dies 30. Maji.

### *S. Felix Papa.*

DEcrevit ſanctus iſte Pontifex, ut Miſſæ ad tumulos Martyrum celebrarentur. Inde vetuſtiſſimus ille Eccleſiæ mos, ſanctorum Martyrum reliquias Altaribus includendi, quas ſacer Myſta ſub ipſum mox Sacri initium exoſculans deveneratur.

(a) Quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis ſpirituali ædificatione completur, inquit magnus Auguſtinus. Proinde ſicut ad templi, & vel maximè Altaris conſecrationem non ſufficit ſola benedictio, verùm inſuper requiritur ſacri Olei delibutio, oratio multiplex, & præcipuè ſacrarum Reliquiarum intra ipſum Altare collocatio; ita in Sacerdote non ſufficit externa rituum præſcriptorum obſervatio in ſacro Miniſterio; ſed inſuper neceſſaria eſt interna reveren-

(a) *Serm. 252. de tempore.*

verentia, attentio ac devotio, Majeſtati præſentis DEI exhibenda. Præterea ſupponitur devota ad rem tantam præparatio, atque oratio juxta Spiritûs ſancti unctionem; item, locò Reliquiarum ſanctorum Martyrum, perfecta mortificatio, integràque abnegatio ſui ipſius. Si enim (a) cor noſtrum altare eſt, oportet illud DEO conſecrare; ſi membra noſtra templum ſunt Spiritûs ſancti, oportet illa pura & immaculata ſervare; ſi corpora noſtra vaſa ſunt Dei, oportet illa poſſidere in ſanctificatione & honore: Si ex diſpoſitione divina mali quidpiam aut adverſi interiùs exteriùsque ingruat; oportet illud cum vera in manus Dei conſignatione, absque ulla animi renitentia ſuſcipere, imò amplexari: oportet calicem, quem Chriſtus nobis prælibavit, imò totum hauſit, generoſè ori admovere. Non eſt major ſervus Domino ſuo: hic, poſt Sanguineum in agonia ſudorem, vincula, alapas, ſputa, flagra, ſpinas, clavos, crucem, mortem, eámque non pœnoſam minùs, quàm ignominioſam, amore noſtrî pertulit, neque tamen ea omnia ipſius charitati ſufficiebant, plura adhuc ſitiebat: & ego ad quamvis vel leviſſimam adverſitatem, ad quodvis verbulum, nec ſummam cutem perſtringens, mox impatienter querar? Quid non paſſi ſunt ſancti Martyres? Certè tyrannis reſtiterunt usque ad ſanguinem; ſecti ſunt, diſtenti ſunt, gaudentes interim, quòd digni haberentur, pro nomine JEſu contumeliam pati. Ego verò



(a) Greg.

in pugna illicò deficio, palmam deſpero, arma abjicio, arenâ excedo! JEſu Euchariſtice, cibus robuſtorum, conforta me in quotidianis meis conflictibus; robora contra dœmonem, contra mundum, & eius illecebras obarma; præcipuè aſſiſte mihi mecum ipſo depugnanti; ſcio enim, quoniam tu (a) ſedas ſævientem in membrorum noſtrorum legem, corroboras pietatem, omnésque animi perturbationes extinguis. Igitur illuſtra, pijſſime JEſu, faciem tuam ſuper ſervum tuum, &

*Salvum me fac in miſericordia tua.*

---

## Pridie Cal. Junij. Dies 31. Majì.

### *S. Petronilla Virgo.*

Filia fuit Virgo hæc divi Petri, Apoſtolorum Principis, non ſecundùm carnem (quod multi opinantur) ſed ſpirituali adoptione. Huic varios corporis languores ad animæ ſoſpitatem exoravit à Deo ſanctus Apoſtolus; pro quibus ipſa gratias cum Jobo egit, donec tandem à ſancto Parente in fidei aſſertionem fuiſſet perſanata. Inde ſanitatem alijs etiam ipſa miraculo reddidit. Conjugium opulentiſſimum eousque reſpuit, dum precibus intenta, poſt ſumptam ſacram Euchariſtiam expirâſſet.

Felix ſanè obitus ſanctæ iſtius Virginis, quæ Sponſo ſuo, inter calidiſſimas preces immortua fuit.

Spon-

---

(a) *Cyrill.*

Sponſe decore Virginum, JEſu Chriſte, ſub ſpeciebus panis deliteſcens, cur horam mortis impendentis mihi eſſe vis occultam? Non alia profectò de cauſa, quàm ut ad eam ſemper paratus ſim, non lampade ſolùm convenientis ſtatui meo caſtitatis, ſed oleo etiam internæ charitatis jugiter inſtructus. Fateor, optime Deus, me hactenus cum virginibus fatuis tenuiſſe quidem in manu lampadem fidei; at neglexiſſe cum ijsdem oleum charitatis, ac proinde meritum, audire cum ipſis terrificum illud: clauſa eſt janua; neſcio vos. Quis igitur dabit mihi pauxillum olei, adeo neceſſarij? Ad te, bone JEſu, accedo ſupplex; nam oleum effuſum nomen tuum: tu mihi largire de oleo meritorum tuorum, quantum ipſe nôſti eſſe neceſſarium, ut ad adventum tuum Euchariſticum dignè me comparem: Tu, lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, accende lampadem cordis mei, ut ardeat amore tui, & ad cœleſtes nuptias abituro præluceat; ut anima mea, velut una de numero prudentûm, dignè tibi occurrere, thalamúmque tuum ſuaviſſimum ſubire mereatur. Da ei fidei augmentum; oleum charitatis affunde; inſere ſpei elychnium; ut digna efficiatur, cui, non ut fatuis virginibus velut diſtrictus Judex, ſed ſicut prudentibus velut amabilis Sponſus, aliquando occurras. Humiliter proinde rogo, miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam; & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates meas, ut

ita dignè coram te compaream: Tu, lumen de lumine, illumina oculos meos, ut non obdormiam in morte, ſed potiùs ſemper vigilem; ut in lumine tuo videam lumen æternum, quod vigilantibus promittis, omnésque ad vigilantiam excitas, inquiens:

*Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.*

## Cal. Junij. Dies 1. ejuſdem.

### *S. Simeon Monachus.*

SOlitudinis amantiſſimus Simeon, animum jugi oratione paſcebat, corpus verò jejunijs macerabat. Multis dœmonum appetitus inſidijs, in piratas quoque incidit, enecandus ab ijs cum alijs comitibus, niſi è puppi in mare deſiliens, contra illorum tela ab Angelo protectus fuiſſet, atque undis quoque ereptus. Lucem phantaſticam, à dœmone conclavi immiſſam, nequidem oculis dignari voluit, dicens: mortuo mihi orietur ſol. Spiritu divino impellente complura ſancta loca peregrinus obivit, ea cumprimis, quæ Servator noſter veſtigijs geſtísque ſuis olim ſacraverat.

Inviſam & ego hodie loca ſancta, non quidem peregrè abeundo, ſed Templa Dei obeundo, atque adorando in loco, ubi ſteterunt pedes ejus, imò ubi diu noctùque ſub ſacris ſpeciebus abſconditus requieſcit. (a) Currunt multi ad diverſa loca pro viſitandis Reliquijs Sanctorum,

(a) *De Imit. Chriſti l. 4. c. 1.*

rum, & mirantur auditis gestis ipsorum; ampla ædificia templorum inspiciunt; & osculantur sericis & auro involuta sacra ossa ipsorum; & ecce tu præsens es hîc apud me in Altari, Deus meus, Sanctus Sanctorum, in manibus meis, Creator hominum, & Dominus Angelorum. Bene itaque Laurentius Justinianus: (a) cujus vel ferreum pectus aut adamantina mens non liquescat præ devotione, cùm Deum sibi, & se Deo senserit corporaliter unitum? Sed heu (ingemiscere cogor cum magno Asceta) quàm pusillum est, quod ago; quàm breve expleo tempus, cùm me ad celebrandum dispono, rarò totus collectus, ratissimè ab omni distractione purgatus; equidem in tuæ Deitatis præsentia nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla occupare creatura; quia non Angelum, sed Angelorum Dominum susceperus sum hospitio: quare igitur non magis ad tuam inardesco præsentiam? cur non majori me præparo solicitudine ad tua sancta sumenda?

Invisibilis mundi Conditor Deus, quàm mirabiliter agis nobiscum? quàm suaviter & gratiosè cum Electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendum proponis? Hoc omnem intellectum superat; hoc specialiter devotorum corda trahit, & accendit affectum. Fideles tui quoque, qui vitam suam ad emendationem disponunt, ex hoc dignissimo Sacramento omnem devotionis gratiam, & virtutum incrementa percipiunt: In hoc Sacramento confertur spiritualis gra-

(a) *De Disc. Mon. c. 19.*

gratia, & reparatur in anima virtus amiſſa, & per peccatum deformata redit pulcritudo. Tanta eſt aliquando hæc gratia, ut ex plenitudine collatæ devotionis non tantùm mens, ſed & debile corpus vires ſibi præſtitas ſentiat ampliores; quia videlicet

*Tu præſens es, Sanctus Sanctorum.*

---

iv. Non. Junij. Dies 2. ejuſdem.

*S. Eraſmus Epiſcopus & Martyr.*

UT vicem Servatori, in cruce pro nobis mortuo rependeret S. Eraſmus, inaudita pro illo ſupplicia pertulit, fuſtibus ac plumbatis primò contuſus; tum picè, reſinâ, ſulphure, plumbo liquefacto, cerâ, o'eo ferventi perfuſus, illæſus ſemper perſiittit, ab Angelo dein carceri ac vinculis exemptus. Sub hæc denuo variè excruciatus, tunicâque æreâ candente indutus, tandem vocante Deo cœlos Victor ſubivit.

Sancti Martyres tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia; ideóque Coronas perpetuas recipere meruerunt. Porro quoties ſanctorum Martyrum recolimus memoriam, toties in animum revocamus Domini paſſionem; hunc enim imitati ſunt illi in morte ſua, adimplentes ea, quæ ſibi deerant, paſſionum Chriſti. Ubi verò præciariùs recolitur memoria ſacratiſſimæ iſtius paſſionis, quàm in auguſtiſſimo illo Euchariſtiæ Convivio? de quo ipſe Dominus præcipit: hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

icietis. Accedendo igitur ad ſacrum Altare tuum, nemoriâ memor ero tui, & tabeſcet in me anima mea. Et reverà tabeſcet anima mea, viâ fide expendendo, quis, quid, à quibus, & quomodo pro me paſſus ſit Author vitæ, JESUS neus: tabeſcet, conſiderando, quàm multi ſanctiſſimo iſthoc paſſionis Dominicæ memoriali autantur, rurſum ſibimetipſis crucifigendo filium Dei; quorum finis interitus, quorum Deus venter ſt: tabeſcet, dum pondero vilitatem meam, Dei Majeſtatem, hujus puritatem ac ſanctitatem, neas verò ſordes ac contaminationem: inde ſupplex Deo fiam eâ precandi formulâ, quam ipſe ànctam Mechtildem docuit, dicámque: trahe ne, Domine, poſt te, ut curram in odorem nguentorum tuorum, qui dixiſti: cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum. Traxiſti, Domine, ad te ſanctos Martyres, ut tibi onjuncti vim tormentorum non perſentiſcerent; rahe&me,ut, ſi vitam pro te dare,& Sanguinem rofundere non liçet, per veram ſaltem mei ipus abnegationem, omnimodámque in voluntaem tuam ſanctiſſimam conſignationem tibi congar cruci: trahe me ad te in ſumptione divinisimi Corporis & Sanguinis tui; ut ijsdem ſaturatus am non appetam ſiliquas mundi hujus; neque (a) jam in me luxuriet viriditas carnis, non honorum ambitio, non divitiarum ſpinæ: trahe me oſt te, reſtinguendo in me omnem voluptatis nſum, omnes carnis concupiſcentias, omnes pra-

(a) *Aug. ſerm. 4. quadrag.*

pravas appetitiones; quisquis enim biberit ex cisternis hisce dissipatis, & aquis turbulentis, sitiet iterum: trahe itaque me, dando aquam mundam ac vivam, ut ex eadem bibens non sitiam in æternum; ac demum satier, cùm apparuerit gloria tua. Id rogo per illam charitatem immensam, quâ de cœlis in uterum Virginis descendisti, ac demum in cruce exaltatus es, cùm priùs in sacro Epulo te nobis in cibum reliquisses: rogo, inquam:

*Trahe me post te.*

---

## iij. Non. Junij. Dies 3. ejusdem.

### *S. Gebhardus Episcopus.*

ILlustrissimo in Suevia Sanguine progenitus Gebhardus, à Baluino Juvavienſi Præsule sacris initiatus est; cui mortuo unanimi totius Cleri suffragatione subrogatur. Ortis eâ ætate inter Pontificem Romanum ac Cæsarem gravibus dissidijs (quibus Pontifex Sede suâ pulsus est) Gebhardus ab illo contra Cæsarem stetit, in exilium propterea actus; integrum proinde novennium exegit profugus inter Suevos ac Saxones; biennio tamen ante obitum Sedi suæ restitutus est.

Cùm Admontense conditurus cœnobium, locorum asperitate territus sibi diffideret, dubiúsque hæreret; à muto quodam, qui aulam sequebatur, tunc solummodo diserto, animatus fuit; cùm is diceret: tuum est, ô Episcope, inchoare; Dei, consummare & perficere.

Quæ

Quæ mihi occurrere indies ſolent, negotia, DEO ſemper auſpicabor; ejus ad omnia conſilium ſemper expetam, præcipuè in ſacro Altari, am magni conſilij Angelum manibus teneo. Ad ıamlibet difficultatem ſemper mihi occinam: ıeum eſt, inchoare, Dei autem omnipotens, dirigere, conſummare ac perficere. Ita ctio quælibet à Deo incepta, per eundem fiietur, ad majorem ipſius gloriam, meámque c proximi ſalutem. Tu, Deus, actuum noſtorum cynoſura ac centrum, adjuvando nos roſequere, ac præveni aſpirando; oſtende noıs ſemitas tuas; auriculam noſtram revela, ut ıdiamus, quid loquaris in nobis; doce nos faère voluntatem tuam, ſicut tu de cœlis deſcenıſti, non ut faceres voluntatem tuam, ſed æırni Patris tui. Paratum cor meum, Deus corıis mei; ecce volui; pone legem tuam in meio cordis mei, ut quidquid accidat, quidquid el ingruat adverſi, vel proſperi eveniat, ſanıiſſimæ tuæ me ſemper conformem voluntati. ræceperas olim electo populo tuo: (a) non aparebis in conſpectu meo vacuus. Sed quid dao tibi, optime JEſu, qui nihil habeo, quod uum ex aſſe non ſit? Nempe, quod olim à lecta tibi Gertrude ipſe petiſti: dicens: ſiquis nihi voluerit placere, debet mihi clavem proriæ ſuæ voluntatis conſignare; hoc tibi ex aimo offero, clavem hanc ex toto in manus uas tradendo, meámque voluntatem tibi plenis-



(a) *Exodi 23.*

ſimè ſubjiciendo. Non mea, Domine, non mea; ſed tua in omnibus voluntas fiat; tranſeat voluntas mea in tuam; hanc ſemper exequar, cream verò propriâ voluntate.

Si in mea poneres poteſtate, petere, quidquid allubeſceret; aliud certè non peterem, quàm quod beneplacitum agnoſcerem æquiſſimæ voluntati tuæ, ut videlicet hæc in me, ac omni alia creatura perficiatur. Cedo itaque omni jure, ſiquod competere mihi poſſet ad quoscunque honores, officia, promotiones, commoda mea; totum hoc remitto ſanctiſſimæ voluntati tuæ: hæc ſola in omnibus perficiatur. Si me vis eſſe in lumine, ſit nomen tuum benedictum; ſi me vis eſſe in tenebris, ſit iterum nomen tuum benedictum; ſi me vis cumulare bonis mundi hujus, ſit nomen tuum benedictum; ſi me vis eſſe in egeſtate, ſit iterum nomen tuum benedictum. Et in unione illius reſignationis pleniſſimæ, quâ tu, Chriſte JEſu, in monte Oliveti voluntati Patris ex integro te ſubmiſiſti, toto mentis affectu animique intenſione dico, dicámque ſemper:

*Non mea, ſed tua voluntas fiat.*

## Pridie Nonas Junij. Dies 4. ejuſdem.

### *S. Quirinus Epiſcopus.*

LAureacenſis Eccleſiæ Paſtor Quirinus, cùm ad veri DEI abnegationem varijs cruciatibus impelleretur, intrepidè abnuit inquiens, didiciſſe

le

e pro immortalitate mortem temporalem contemnere. Quare ſuſpenſâ ad collum molâ in undas præcipitatur: ſed aquis ac morte ſuperior evaſit. Cæterùm ingenti Zelo exardeſcebat, nequa ex creditis ſibi oviculis, Chriſti; ſummi Patoris ſanguine emptis, peſſum iret, præcipuè ad incerum Dei ac proximi amorem eas ſolitus incitare.

Heu! quàm remiſſus ego ſum in utroque hoc præcepto exequendo, ex quibus tamen, velut gemino Chriſtianæ perfectionis cardine, tota lex pendet & Prophetæ. Cor meum, quod totum Deo impendi deberet, ad alia omnia diffunditur; propenſiones animi, corporis vires, ipſa denique mens, quæ in ſolo Deo occupati deberent, creaturis immerſæ torpent. Inde non mirum, quòd neque proximum amem propter Deum, tanquam imaginem Dei, & rem, ad ipſum pertinentem. Certè ob leviſſimam, imò nullam, aut imaginariam ſolùm cauſam exardeſco in iram contra fratrem meum; ira in odium degenerat, & diuturum rancorem. Verba, quibus ipſum compello, aut aſpera ſunt, aut ſaltem minùs ſincera, & fucatâ tantùm humanitate illita, felle interim in corde hærente. Et quâ fronte, ita comparatus, ad ſacrum Altare accedo, ſciens certò, fratrem meum aliquid habere adverſùm me, vel mihi non benè cum ipſo convenire? (a) Hebræis olim præceptum, ut caſtris exirent ad manna colligendum, quod roris inſtar ſparſum



(a) *Exodi* 16.

ſum erat in circuitu caſtrorum : & cur non in ipſis caſtris ? cur egredi debebant illud collecturi ? (a) Nempe in caſtris erant jurgia, diſſenſiones, rixæ ; exeundum itaque erat ijs, qui rorem hunc cœleſtem colligere volebant. Jam ſi Deus antiquæ legis egena ſacrificia noluit ſibi offerri ab ijs, qui odio vel irâ à proximis diſſidebant ; quanto juſtiùs exigit animum, omni livore, invidiâ, rancore immunem, in ijs, qui immaculatam legis gratiæ hoſtiam quotidie ad Aram litant ? Eſt enim Hoſtia pacis, & reconciliationis generis humani cum Patre æterno.

Reſpexit olim Deus ad Abel, & ad munera ejus ; ad Cain verò & ad munera ejus non reſpexit, quia cor ejus non erat rectum cum fratre, hic verò planè candidus & fratrem Cainum, ad deambulationem invitantem, ſimplici mente ſecutus fuit. Nempe charitas non cogitat malum ; & Abelem ſectari oportet, ſi dignè, & cum fructu accedere velimus ad Sacramentum reconciliationis. Auſer à nobis, Domine, quidquid charitatem lædere poteſt, aut imminuere ; deterge rancorem à corde, ab ore jurgia, ab actione aſperitatem. Miſerere nobis, miſericordiam tuam poſcentibus, da gratiam indigentibus, & fac nos tales exiſtere, ut ſimus digni, gratiâ tuâ perfrui, & ad vitam proficiamus æternam. Da, ut, qui de uno pane edimus, unum etiam ſimus cor, & anima una ; ideo potenti

(a) *Cypr. de Cœna Dom.*

tenti digito tuo ſcribe in tabulis cordis noſtri magnum illud, ac novum mandatum:

*Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.*

## Nonis Junij. Dies 5. ejuſdem

### *S. Bonifacius, Germaniæ Apoſtolus.*

BOnifacium Anglia genuit; Germania Apoſtolum experta eſt, quam multo ſudore, ac demum ſanguine ad copioſum fidei incrementum rigavit, in laboribus à S. Michaële, Angelorum Principe animatus. Ei famelico piſcem avis aliquando detulit. Tandem cùm Friſios, non ita pridem ad ovile Chriſti à ſe perductos, ſacro Chriſmate roborare in fide intenderet, ab ingratis filijs cum ſocijs triginta & uno trucidatur optimus Pater, licere frequenter ſolitus, olim fuiſſe Sacerdotes ureos, eòsque calicibus ligneis uſos in Sacrificio; am verò calices quidem aureos, Sacerdotes erò ligneos eſſe. Quid hodie dicturus eſſet anctus Archi-Præſul, quando ſplendidus Cleri aparatus Regum potiùs faſtum ac pompam, quàm umilem Chriſti, ſupremi Sacerdotis, vitam ac onverſationem refert? Sacroſancta & adoranda Trinitas: tu me, omnium indigniſſimum, maximúmque peccatorem ſolâ tuâ gratiâ ad munus Sacerdotale vocâſti; tu ſacratiſſima Corporis & Sanguinis Dominici Myſteria manibus meis credidiſti; tu ræcipis, ut incruentam indies Hoſtiam tibi immolem. Sed quâ ratione pro peccatis alienis intercedã, um proprijs gravor, urgeórque? quomodo me-

diator ero inter te & populum tuum, quando iniquitates meæ inter te & me diviſerunt? quando miſericordiam pro alijs implorabo, ipſe ob malitiam meam miſericordiâ indignus? quomodo ſacra alijs myſteria diſtribuam ac miniſtrabo immundus, & ſimilis aquis, quæ vaſa mundant equidem, at ipſæ in coloacam deſcendunt? Profectò aliud non reſtat, quàm ut in amaritudine animæ meæ confitear adverſùm me iniquitates meas, quibus gratiæ tuæ obicem poſui hactenus, eásque verâ deteſtatione ac ſincerâ confeſſione eluam: doleo proinde animitùs, quòd toties, támque graviter te offenderim innumeris peccatis ac negligentijs meis: aſcendat ad te gemitus cordis mei; ſuſcipe dolorem, & perfice pœnitentiam meam; & in illo amore, quo laviſti totius mundi delicta, riga animam meam lacrymis illis, quas ipſe profudiſti; dimitte univerſa peccata mea; unge animam meam myrrhâ dolorum, quos pro me ſuſtinuiſti; munda eam lavacro pretioſiſſimi Sanguinis tui; emitte manum tuam de alto, méque in bono confirma, ut ad Aram tuam digné accedere poſſim. Superveniat in me Spiritus tuus divinus, & virtus ejuſdem obumbret mihi, ut tremendum hoc myſterium non proveniat mihi in judicium & condemnationem; ut caſto corpore, mundo corde, puris manibus coram te compaream, & ita ſit anima mea (a) quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, dignum oculis tuis, dignum tuo hoſpi-

(a) Eccl. 50.

hoſpitio, & miniſterio. Ita magnum hoc Myſterium erit mihi in ſalutem, non verò

*In Judicium & Condemnationem.*

---

viij. Idus Junij. Dies 6. ejuſdem.

*S. Norbertus.*

CAnonicorum Præmonſtratenſium Author Norbertus, Servitio Mariæ Virginis ex aſſe ſe devovit, candidâ viciſſim veſte ab eadem donatus. Chriſtus in Crucem ſuffixus, qui unicè Norberto in amoribus erat, de Ordinis cœpti progreſſu eum edocuit, ſanctus verò Auguſtinus ſuam ipſi Regulam, aureis exaratam characteribus, tradidit. Moriens cœlum ſubire lilij ſpecie viſus. Ne ſacrum Chriſti cruorem minùs reverenter haberet, cùm prægrandis aliquando aranea calici incidiſſet, intrepidus totum exhauſit.

Non eſt equidem, quòd timeam, optime JEſu, ne mors in ſacro calice mihi propinetur; calicem ſalutaris mihi exhibes, ad vitam, ídque immenſo amore, affectu imperceptibili, maximóque deſiderio, paſcha hoc mecum manducandi, & te mihi conjungendi: ſed heu quanto tepore, quantâ deſidia menſæ tuæ accumbo! Hîc cœleſtia terrenis, terrena cœleſtibus junguntur; ego interim ſicut terra ſine aqua tibi. Tantam nobis hîc exhibes dignationem, ut ſpiritus Angelici beatos nos æſtiment deprædicentque; & tamen nauſeat anima mea ſuper cibo hoc Angelico, fætidásque Ægypti ollas ſuſpirat. Sed ex-

cutiatur denique torpor, recedat languor, evaneſcat deſidia & inertia, dum ad ignem divinum accedo, imo eundem intra me ſumo. Hunc in finem.

(a) Cùm ſumma devotione & ardenti amore, cum toto cordis affectu deſidero te, Domine, ſuſcipere, quemadmodum multi ſancti, & devotæ perſonæ te deſideraverunt in ſacratiſſimo hoc Sacramento, qui tibi in vitæ ſanctitate, & ardentiſſimâ devotione placuerunt. Deus meus, amor meus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te ſuſcipere cum vehementiſſimo deſiderio, & digniſſima reverentia, quam aliquis Sanctorum unquam habuit, & ſentire potuit; & licèt indignus ſim, qui ſenſus eoſdem in me experiar, offero tamen tibi totum cordis mei affectum, acſi omnia illa inflammata deſideria ſolus haberem; ſed & quæcunque poteſt mens pia concipere: hæc omnia tibi cum ſumma veneratione & intimo fervore offero, nihil mihi reſervando, ſed me, & omnia mea ſpontè & libentiſſimè imolando.

Domine Deus, Redemptor meus, tali cum affectu, reverentia & laude, cum tali gratitudine, amore, fide, fiducia ac puritate te deſidero hodie ſuſcipere, ſicuti te ſuſcepit ſanctiſſima Mater tua, quum Angelo, incarnationem tuam nuntianti reſpondit: ecce Ancilla Domini; fiat mihi ſecundum verbum tuum. Pari ratione (utinam

(a) *De Imit. Chriſti l. 4.*

tinam & pari ſpiritu ac fervore) ego dicam hodie, & quotidie repetam: ecce, Domine,

*Ego Servus tuus, & Filius Ancillæ tuæ.*

---

## vjj. Id. Junij. Dies 7. ejuſdem.

### *Beatus Robertus Abbas.*

Cùm ſacris operaretur Robertus, in ecſtaſin raptus haud procul à Monaſterio ſuo vidit navim maris fluctibus agitari, ac tandem ad ſcopulos alliſam ſubmergi cum plurimis vectoribus promiſcui ſexûs. Proinde ad ſe rediens, ſacro abſoluto ad locum naufragij acceſſit cum ſuis, erutáque ex undis demerſorum cadavera honoſtè tumulavit, pijs verò manibus per frequentia Miſſarum ſuffragia parentavit.

Non abs re dixit B. Ludovicus Bertrandus, Dei famulos, cibo Euchariſtico refectos, inſtar naviculæ, ventis ſecundis actæ, provehi. Certè divus Satyrus, Magni Ambroſij frater Germanus, cùm naufragium in mari paſſus eſſet, ope ſacratiſſimæ Euchariſtiæ (quam in pixidula clauſam è collo ſuſpenderat) feliciter enatavit, portúmque tenuit. Verùm anima mea, & mei ſimilium, peccatis immerſorum, haud abſimilis eſt navi, velis ac remis deſtitutæ: inde in magno hoc & ſpatioſo, procelloſóque mundi oceano huc illuc abripitur, raptatúrque jam inter ſyrtes ac ſcopulos turbine ambitionis, jam inter ſcyllam & charybdim ventis libidinum, pyratarum telis & inſidijs, hoſtibus, inquam, viſibilibus & inviſi-

mendum Domini ſui corpus ſeſe comparâſſet? Ipſe profectò Dominus ac Servator noſter, Evangelium ſuum auſpicaturus, quadragintadiale jejunium præmiſit. Quid ergo nobis incumbit Sacerdotibus? dum non ſolùm prædicationis, ac curandarum animarum ſuſcepimus officium, ſed ipſum Corporis Dominici Sacramentum quotidie conficimus, ipſiſque ſumimus, ac aliis miniſtramus.

(a) Certè ſi haberem Angelicam puritatem, & ſancti Joannis Baptiſtæ ſanctitatem, non tamen dignus eſſem, hoc accipere Sacramentum, ac manibus meis tractare; non enim meritis debetur hominum, quòd creatura vilis conſecret & tractet Chriſti Sacramentum, ac ſumat Panem Angelorum. Grande Myſterium, & magna dignatio Sacerdotum, quibus datum eſt, quod Angelis non eſt conceſſum. Sacerdos miniſter eſt Dei, utens verbo Dei per Chriſti juſſionem & inſtitutionem; Deus autem principalis eſt actor, & inviſibilis operator, cui ſubeſt omne, quod juſſerit. Plus ergo debeo credere Deo omnipotenti in hoc Sacramento, quàm proprio ſenſui, aut alicui ſigno viſibili. Attende igitur tibi anima mea, & vide, quale miniſterium tibi eſt traditum per impoſitionem manuum Epiſcopi; ecce Sacerdos factus es, & ad celebrandum conſecratus: vide nunc, ut fideliter & devotè ſuo tempore Deo ſacrificium offeras, & teipſum irreprehenſibilem exhibeas; non alleviâſti onus tuum,

(a) *Kemp. l. 4. per totum.*

um, ſed arctiori alligatus es vinculo diſciplinæ ad majorem teneris perfectionem ſanctita-

Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter, ut, qui ficium ſacerdotale ſuſcepimus, dignè tibi ac votè famulari valeamus: (a) abſtergat amaridо pœnitentiæ à mentis ſtomacho perverſæ tæ humorem; & per bona opera redeat aniæ pulchritudo; ut deinceps ſerviamus tibi

*Caſto corpore, mundo corde.*

## v. Idus Junij. Dies 9. ejuſdem.

### *S. Columbanus.*

Vitæ integerrimæ, & eximij Zeli Sacerdos erat D. Columbanus; qui vino aliquando deiente (b) tantum aquæ convertit in vinum, antum ſufficiebat myſtis præſentibus, ut ſacrium incruentum litare poſſent. Aliàs cùm ipſe aram faceret, viſus eſt ab adſtantibus globus ciſſimus à vertice ſacrificantis ad templi usque ſtudinem ſeſe extendere, neque ex oculis abi-, dum ſacrum abſolutum eſſet. Simili luce ibiri conſpectus eſt, cùm noctem coram auſtiſſimo Altaris Myſterio inter preces ageret. (c) Clementiſſime JESU, tu ignis es, jugiter dens, & nunquam deficiens; unde licet non tus cœleſtis & igneus, inſtar cujuſdam Seraini, eſſe queam, in id tamen incumbam, ut

vel

(a) *Gregor. Hom. 22. in Evang.* (b) *Sur. in vita.* (c) *Kemp. l. 4. per tot.*

vel modicum flammæ divinæ igniculum ex humili ſumptione vivifici Sacramenti concipiam. Quis enim copioſo igni proximus adſtat, neque tamen vel pauxillum caloris inde refert? Me miſerum, flaccidúmque in Dei obſequio! Sacerdos omnibus virtutibus debet eſſe ornatus, & alijs bonæ vitæ exemplum præbere; ejus converſatio non cum popularibus, & communibus hominum vijs, ſed cum Angelis in cœlis, & perfectis viris in terra: Sacris veſtibus indutus, Chriſti vices gerit, ut Deum pro ſe & omni populo ſuppliciter & humliter roget: habet ante ſe & retro Dominicæ Crucis ſignum, ad memorandam jugiter Chriſti paſſionem: ante ſe Crucem in caſula portat, ut Chriſti veſtigia diligenter inſpiciat, & ſequi frequenter ſtudeat; poſt ſe Cruce ſignatus eſt, ut adverſa quælibet, ab alijs illata, patienter propter Deum toleret: ante ſe Crucem gerit, ut propria peccata lugeat; poſt ſe, ut aliorum commiſſa per compaſſionem defleat, & ſe medium inter Deum & peccatorem conſtitutum eſſe ſciat, nec oratione & oblatione ſancta torpeſcat, donec gratiam & miſericordiam impetrare mereatur.

Præſta, Domine DEUS ſalutaris meus, ut cum frequentatione ſacri Myſterij tui creſcat meæ devotionis affectus. Tu magnus ille Paterfamilias, humanitate noſtrâ præcinctus, deduxiſti homines in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis, Hieruſalem cœleſtem: & quoties à via hac declinamus, deflectimúsque ad iter impiorum,

de-

deſcendentes ab Jeruſalem in Jericho; tu comitem te nobis jungis; tu baculo fulcis ne labamur, tu ſuſtines titubantes, prolapſos erigis, foves ſauciatos à latronibus; contra hos, in via nos tribulantes, paras in conſpectu noſtro menſam, laſſos reficis, æſtuantes refrigeras; verbo: tam in via, quàm in patria tu es

*Fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

---

## iv. Id. Junij. Dies 10. ejuſdem.

### *S. Margarita Regina.*

NOn priùs ſomnum admiſit ſancta hæc Regina, quàm matutinum, quem vocant, curſum de SS. Triade, tum de Cruce, denique de Virgine Deipara abſolviſſet. Annexuit his votivas pro mortuis preces, & Davidis Odaria; inde ſenis pauperibus pedes lavit. Diem auſpicari conſuevit obſequio, novem infantibus impenſo, quibus flexo poplite miniſtrabat. Tum alijs pauperibus trecentis cibos ingerebat, partito cum Rege conjuge miniſterio. Ipſa dein ſola, priusquam accumberet, viginti quatuor egentes paſcebat. Inter alios, quibus Scotiam ſubjectam purgavit, errores, fuit etiam omiſſio Communionis, tempore Paſchali præceptæ ab Eccleſia; quam omiſſionem mali genij imperitæ plebeculæ ſuaſerant, ac etiam perſuaſerant, aſſerentes, hominem mortalem, utpote infinitè DEO inferiorem, dignum haud eſſe, qui eidem in Epulo Euchariſtico uniatur; ac proinde accedentem judi-

cium

cium ſibi ex Apoſtoli effato manducare & bibere.

Et quidnî tremendum Dei judicium horreant mali Sacerdotes? Hi aram accedunt, non tantùm communicaturi Menſæ divinæ cum Laicis, ſed ipſum Domini Corpus conſecraturi; id quod vel Angelicis ſpiritibus tremendum videatur. Hi pauculis verbis Chriſtum cœlo devocant, manibus contrectant, ore ſumunt. O quanta ad hoc animi corporisque puritas neceſſaria! quàm jure ego Dei judicium pertimeſco, peccator maximus, affectibusque peccatorum implicatus! (a) Certè, Domine, cùm tuam dignitatem, & meam vilitatem penſo, valde contremiſco, & in me ipſo confundor; ſi enim non accedo, vitam fugio; & ſi indignè accedo, offenſam & judicium incurro: in veritate hîc ſtans delibero; quid faciam, Deus meus, Auxiliator meus, & Conſiliator in neceſſitatibus? Laboro in ſudore vultûs mei, dolore cordis torqueor, peccatis gravor, premor paſſionibus; nec eſt, qui adjuvet, non eſt, qui liberet, non eſt, qui ſalvum faciat. Niſi accedam, vitam fugio, remedium negligo, medicinam reſpuo; ſi indignè accedo, judicium incurro, reum me Corporis & Sanguinis Domini conſtituo.

Confiteor, Domine, indignitatem meam, probè ſciens, etiamſi Angelicam haberem puritatem, & Joannis Baptiſtæ ſanctitatem, hâc tamen Eſcâ divinâ me dignum non eſſe. Tu, opti-

(a) *Kemp. l. 4.*

optime Deus, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine; qui de indignis facis dignos, de peccatoribus Sanctos, & Filios Abrahæ de lapidibus; me quoque menſâ hâc dignum effice; quòd ſi peccata mea obicem ponunt; per confeſſionem ea expiabo, novásque ad aram vires capiam ad ea porro cavenda; ad expungenda verò cum dignâ ſatisfactione, hoſtiam pretij infiniti offeram; ad quæ omnia efficacem à te gratiam exoro, *Per quam omnia, ſine qua nihil poſſum.*

## iij. Id. Junij. Dies 11. ejuſdem.

### *B. Joannes Segovienſis.*

(a) Libet pretioſiſſimum Sanguinem Domini mei JEſu Chriſti in os meum ſuſcipere diſtillantem, libet in cor recipere: Tu enim, ô JEſu, Sacerdos es, & victima; tu Redemptor, & pretium animarum noſtrarum. Ita, poſt Petrum Damiani, purpuratum Eccleſiæ Patrem, ſuſpirabat, optabátque B. Joannes Segovienſis, divi Auguſtini Alumnus; cui ad aram facienti aliquando ſpectabilem ſeſe exhibuit Chriſtus, magno equidem ſplendore circumfuſum, ſed plagis inſuper lividum, ſanguinéque conſperſum. Inde ſpectaculo tam diro motus Joannes, exclamavit cum Davide: miſerator & miſericors Dominus; patiens & multùm miſericors.

(G) (a) Me-

(a) *Petrus. Dam.*

(*a*) Memoria in ſacrificio Miſſæ agitur excellentiſſimæ illius charitatis, quam in paſſione ſua Dei Filius notam fecit, quâ nulla major, nulla utilior, nulla amabilior, nullâque oculis divinæ Majeſtatis eſt gratior. (*b*) Qua de cauſa, dum hæc agimus, neceſſe eſt, ut nosmetipſos Deo in contritione mactemus; quia, qui paſſionis Dominicæ Myſteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc ergo vera Hoſtia erimus DEO, cùm nosmetipſos hoſtias fecerimus.

---Verùm ô facinus execrandum! ſæpe in memoriali iſthoc Dominicæ paſſionis non abſtergunt Chriſti Vulnera ac Sanguis; ſed illa denuo cruentis manibus renovantur, hic auſu ſacrilego proculcatur, ac pollutus ducitur; rurſus crucifigitur Dei Filius, dum Patri æterno immolari incruento ſacrificio deberet. Pro iis autem, qui hoc agunt, & inter hos pro meipſo, in ſpiritu humilitatis & animo contrito rogo, ignoſce illis, Domine; non enim ſciunt, quid faciunt; non conſiderant, non recogitant corde tanti Myſterij dignitatem. Pro aliquali tanti criminis ſatisfactione, cum ipſa ſacratiſſima Hoſtia meipſum tibi offero, animitùs exoptans, ut per verum ſincerúmque cordis dolorem incineretur tota ſubſtantia animæ ac corporis mei, & ſic maculæ tam deformes inde eluantur.

(*a*) Et

(*a*) *Laur. Juſt. Serm. de Euch.* (*b*) *Gregor. l. 4. Dial. c. 55.*

(a) Et quemadmodum tu, pijſſime Domine, horto ſudando Sanguinem, ac inde in paſſione tua, maximè in Cruce te obtuliſti Patri æterno, rogans, ut, ſi non poſſet tranſire à te calix amariſſimæ paſſionis tuæ, niſi iberes illum, fieret ſancta ejus voluntas; ita im pleniſſima reſignatione ac promptiſſima voluntate meipſum tibi in ara cordis mei offero holocauſtum ac juge ſacrificium, animam videlicet & corpus tibi fideliter committendo; uatenus ſic digniùs merear ad offerendum EO Sacrificium accedere, & Sacramentum orporis tui ſalubriter ſuſcipere: non enim eſt blatio dignior, & ſatisfactio major pro peccatis diluendis, quàm ſeipſum purè & integrè um oblatione Corporis Chriſti in Miſſa & Communione Deo offerre. Si fecerit homo, quod ſe eſt, & verè pœnituerit, dicit Dominus, uotiescunque pro venia & gratia ad me acceſſerit, cuncta ſibi indulta ſentiet, juxta illud: ivo ego; nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat; neque iniquitatum ipſius amplius recordabor. Itaque abluat anguis Dominicus ſordes animæ meæ; nec ulterius teneat exactor obnoxium, pro quo tam ublime pretium ſolutum eſt. Sic omnino non leſpicies, Deus optime, cor contritum; erſtue gratum tibi

*Sacrificium, ſpiritus contribulatus.*



(a) *Kemp. l. 4.*

## Pridie Id. Junij. Dies 12. ejuſdem.

### *S. Onuphrius Anachoreta.*

VEriſſime de ſe dicere poteſt Panis Euchariſticus: qui edunt me, adhuc eſurient. Expertus eſt hanc eſuriem magnus Eremicolarum Magiſter Onuphrius; qui cibo divino deſtitutum ſeſe aliquando conſiderans, tanto ejuſdem percipiendi exarſit deſiderio, ut inſtantiſſimè precatus Deum fuerit, dignaretur ipſe ſic eſurientem reficere, bonísque ac benedictione ſuâ replere. Tam juſtas preces audijt Deus; miſitque genios ſuos cæleſtes, qui inter concentus ſuaviſſimos ſacrum Pignus ad famelicum detulerunt; quod ipſe dein ſummâ cum animi lætitia, ac gratiarum actione è manibus Angelorum ſumpſit. Verè eſurientes replet bonis Deus, neque fraudat eos à deſiderio ſuo.

Non minori erga divinum Epulum fame ſtimulabatur Catharina Senenſis, ita ſæpius arbitrum conſcientiæ ſuæ affari ſolita: ô quantum, bone Pater, euſurio! quantum eſurio!

Equidem nulla ſimilis ad Menſam Euchariſticam me urget eſuries: imò anxium ſæpe reddit cogitatio, ánne forte indignus accedam? Certè mens arida, & omni cibi iſtius diviniſſimi ſapore vacua meritò me terret, abſterretque. Accedit impoſtor ſtygius, juratus hujus Myſterij hoſtis, ingeritque, ſacratiſſimum iſtud

Epu-

ulum uſu quotidiano vileſcere, Arámque ex ceſſu frequentiori fieri deſpectam; econtra votionem augeri, ſi rariùs accedatur. Sed ud planè à nobis exigit Miniſterij Sacerdota- officium; ad hoc enim ordinatur Sacerdos, quotidie hoſtiam placabilem offerat omnipo- nti Deo: ac proinde, (a) ſi, legitimè non im- ditus, celebrare omittat, privat ſanctiſſimam rinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, ccatores veniâ, juſtos ſubſidio & gratiâ, in rgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpi- tuali beneficio, & ſeipſum medicinâ ac re- iedio. Haud itaque probandus mos eorum acerdotum, qui ſacrum frequenter omittunt, ad ſe à communi, & velut vulgari Sacerdo- um ordine ſecernant, ac dein majori (ut ipſi ndem ſibi perſuadent) pompâ celebrent. Nem- e ſæculi vanitas in ſacris quoque hominibus ocum ſibi vendicat hodie, dum fructus bene- ciorum recipiunt, Miſſarum tamen officium non ependunt; & quod pejus eſt, inde ſuper a- os ſui ordinis viros ſeſe efferunt. Noverat orum è cenſu Prælatum quemdam divus Caje- anus, qui, pro ſuo erga promovendum fre- uentiorem ſacræ Euchariſtiæ uſum Zelo, Nea- olim mox advolavit, ubi ille agebat, nihil eritus evidens mortis diſcrimen, ex ardente um Canicula, & conſequente aëris immutatione mpendens; tantúmque ſeriâ adhortatione pro- ecit, ut Prælatus is errorem ſuum agnoſce-



(a) *Beda.*

ret, emendaretque: Sanctus verò in Urbem incolumis remearet.

(a) Frequenter igitur, imò quotidie tibi, quisquis es Christi Sacerdos, recurrendum est ad fontem gratiæ & misericordiæ, ad fontem bonitatis, & totius puritatis; quatenus à tuis passionibus & vitijs curari valeas, & contra universas tentationes & falacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis. Inimicus, sciens fructum & remedium maximè in sacra Communione positum, omni modo & occasione nititur fideles & devotos, quantum prævalet, retrahere, & impedire; cùm enim quidam sacræ Communioni se aptare disponunt, pejores sathanæ immissiones patiuntur. Ipse nequam spiritus, ut in Job scribitur, venit inter filios Dei, ut solitâ illos nequitiâ sui perturbet, aut timidos nimium reddat & perplexos, quatenus affectum eorum minuat, vel fidem impugnando auferat, si fortè aut omninò Communionem relinquant, aut cum tepore accedant.

Quamvis ergo indevotum me, ac in varia distractum plerumque deprehendam, ad sacrum tamen Altare cum plena fiducia accedam: siquidem habemus Dominum, qui possit compati infirmitatibus nostris: Novit ipse figmentum nostrum; & scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Tu, Domine, indignitatem meam, indevotionem, aliósque defectus supple; etenim

(a) Kemp l. 4.

nim vita es; & das vitam mundo; qui te non manducat, vitam in ſe non habet: Ecce deſiderio deſideravi, ad te accedere, ſicut cervus ad fontes aquarum: Tu, optime, gratiam efficacem largire, ut

*Cum frequentatione creſcat affectus.*

---

Idibus Junij. Dies 13. ejuſdem.

*S. Antonius Patavinus.*

EXimius Dei Euchariſtici cultor, ac ſimul Zeloſus propugnator extitit D. Antonius; cujus veritatem ut contra præfractum quemdam hæreticum aſſereret, non absque ingenti prodigio effecit, ut aſinus, utut fame diutina confectus, à pabulo tamen ad divinum, quod exhibebatur, Myſterium accurreret, idque pronus adoraret; cui etiam prodigio hæreticus manus dedit. Monſtratur hodieque locus Arimini, ubi hoc portentum evenit.

Queſtus olim fuit de peccatoribus vates regius, eos comparatos jumentis inſipientibus, illiſque ſimiles effectos. Et utinam multi eorum brutis animantibus deteriores non eſſent! Siquidem aſinus Dominum ſuum cognovit adoravitque; homo autem, cùm in honore eſſet, non intellexit. Inde duo mala enormia admittunt peccatores; derelinquunt enim fontem aquæ vivæ, & fodiunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent vel guttulam aquæ: derelinquunt Chriſtum, fontem vivum, qui

in Eucharistia nobis propinat aquam, salientem in vitam æternam, sanguinem videlicet suum, abluentem peccata nostra, sitim restinguentem, ac delentem chyrographum mortis: (a) Sanguis enim, pro nobis effusus, non solùm est signum amoris, verùm magnæ fiduciæ; dummodo ipsum per ingratitudinem non operiamus, uti in Job dicitur: terra ne operias Sanguinem meum. Sed, heu! fodiunt sibi mortales cisternas dissipatas, quæ aquas divinas continere non possunt; sectantur mundum, & ejus voluptates; dœmonis illicia attendunt, carni blandienti manus dant; Domino suo tergum obvertunt. (b) Novit inimicus, cui adhibeat æstus cupiditatis; cui illecebras gulæ ingerat; cui apponat incitamenta luxuriæ; cui infundat virus invidiæ: novit, quem mœrore conturbet; quem gaudio fallat; quem dolore opprimat; quem admiratione seducat: omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; & ibi causas quærit nocendi, ubicunque viderit studiosius occupari. Hinc in deserto ausus non fuit accedere Salvatorem, quamquam desiderio ejus tentandi flagrârit, nisi postquam cibi affectum in eo animadvertit, videns eum inediâ laborantem; ex quo occasionem ad eum tentandum sumpsit.

(c) Domine Deus, quàm mirabiliter cum Electis tuis agis; ut veraciter agnoscant, & patenter

(a) *S. Anton. Patav. de SS.* (b) *S. Leo serm. 7 de Nativ.* (c) *Kemp. l. 4.*

tenter experiantur, quantum infirmitatis in ſeipſis habeant, & quid bonitatis & gratiæ ex te conſequantur. Ex ſeipſis etenim frigidi, duri, & indevoti; ex te autem ferventes, alacres & devoti; & qui primùm anxij & ſine affectione ante Communionem, pòſt refecti cibo potúque cœleſti, in melius ſe mutatos viderunt. Typum habes in convivio illo Phariſæi, myſticè figurante convivium Euchariſticum; in quo Magdalena diluit, quidquid antea peccaverat: (a) Quod unguentum ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat; oculis terrena concupierat, ſed hos per continentiam conterens flebat; capillos ad compoſitionem vultûs compoſuerat, ſed jam capillis lacrymas tergebat; ore ſuperba dixerat, ſed jam pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat: quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta, juxta illud Apoſtoli: (b) Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiei, & iniquitati; ita nunc exhibete ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Ita

*Sequemur pœnitentes, qui ſecuti ſumus peccantes.*

---

xviij. Cal. Julij. Dies 14. Junij.

## *S. Baſilius Magnus.*

DEcreverat Valens Imperator hæreticus, Baſilium



(a) *Greg. Hom.* 37. *in Evang.* (b) *Rom.* 6.

ſilium in exilium mittere, ſed aliam illi mentem Deus per varia portenta injecit. Non leviora minitatus ſancto fuerat Julianus itidem Imperator; ſed is à Deo per Mariam impetravit, ut infamis Appoſtata horrendâ morte fuerit ſublatus. Ita quem Deus tuetur, quis lædere poſſit? Jejunijs ac ſtudiorum aſſiduitate effecit, ut virgineum pudorem tumulo illibatum intulerit. Sacerdos devotiſſimus, in eos, qui tepidè ad divina myſteria accedunt, ita detonat: (*a*) nónne horrendam damnationem incurrunt, qui in inquinamento carnis & ſpiritûs indignè ad hæc ſacroſancta accedunt? quam autem gratiam & effectum reportabunt, qui otioſè & inutiliter Chriſti Corpus manducant, & Sanguinem bibunt, Idque ex eo, quia finem, ad quem tendit inſtitutio hujus vivifici Sacramenti, fruſtrantur, ſimiles illi ſervo, qui acceptum à Domino talentum abſcondit: nam contra conſcientiam tantum bonum irritum faciens, & ingratè ad hujusmodi Myſterium accedens, condemnationem ac judicium habet negligentiæ ac ſegnitiei, ſimilis illi, qui talentum integrum in otio ſervavit.

Ecce, clementiſſime Deus, advolutum pedibus tuis ſervum inutilem ac prorſus negligentem, qui pretioſum talentum ſacratiſſimi Corporis ac Sanguinis tui indies fere ſine fructu, & pro more tantùm intra ſe abſcondit, dignus, qui tollatur, ne videat gloriam tuam; dignus, qui cum ignavo illo, veſtem nuptialem negligente,

(*a*) *Lib.* 1. *de Baptiſmo.*

e, in tenebras exteriores projiciatur. Tu, piſſime Salvator, qui veniſti ignem mittere in erram, nec aliud deſideras, quàm ut eo omnes ardeant; accende cor meum cœleſti hâc lammâ, ut ad tremenda Myſteria tua eo fervore accedam, quem tu requirebas, dum illa nſtituiſti, atque in commemorationem tui, pro totius mundi ſalute offerri præcepiſti; ut hâc ratione mihi & omnibus proveniant in augmentum ſalutis ac beatitudinis æternæ. Spiritûs ſancti gratia illuminet, & accendat ſenſus noſtros ac corda noſtra; ut juxta ſanctum tuum inſtitutum injunctum miniſterium piè & laudabiliter perficiamus, & ab omni tentationum incurſu præmuniri ac præſervari mereamur; ne cum tepidis evomamur, ſimúsque ex illorum cenſu, de quibus ſcriptura ait:

*Maledictus, qui facit opus* DOMINI *negligenter.*

---

## xvij. Cal. Julij. Dies 15. Junij.

### *S. Vitus Martyr.*

Cùm Vitus, admodum puer, ſacro fonte luſtrari inſtanter petiſſet; indignè id ferens ſceleſtus genitor, Judici filium prodidit, tradiditque; cujus juſſu flagris cæſus, cùm ea Chriſtianâ fortitudine tuliſſet, mulieribus depravandus traditur; ſed cùm has etiam rejeciſſet, in ahenum, plumbo liquato, reſinâ ac pice bulliens injicitur; verùm Angeli ope illæſus egreditur. Tum in cataſta cum ſocijs, Modeſto & Creſcentia,

ſcentia, extenditur. Inde aliò ductu Angelorum commigrat. Denique Cæſaris filium obſidione ſtygis poſtquam liberâſſet, glorioſo Martyrio cœlos conſcendit.

Magnus profectò Dominus, & magna virtus ejus; dum infirma mundi eligit, ut fortia confundat; & in ſexu fragili, ac tenera ætate tanta prodigia operatur. Me verò miſerum, qui à cunis penè, non Deo, ſed mundi vanitatibus adhæſi! Exhibet iſte roſas, ſed ſpinas ſub ijs occultat; præfert dulcedinem, latet tamen amarities; mel offert, ſed quod in fel aſpidum mox vertatur: (a) Siquidem in honorum ambitione quantæ ſpinæ? in luxuria libidinum quantæ ſpinæ? in ardore avaritiæ quantæ curarum ſpinæ? (b) Et quamvis mundus in ſeipſo jam aruerit, adhuc tamen in cordibus noſtris floret; ubique mors, ubique luctus, ubique deſolatio; undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; & tamen cæcâ mente carnalis concupiſcentiæ ipſas ejus amaritudines amamus; fugientem à nobis inſequimur, labenti inhæremus. Audimus quidem vocem Dei, inclamantis: præbe mihi, fili mi, cor tuum; verùm nolumus obedire, ſaltem integrè, & perfectè. Præbuiſti tu, Domine, JEſu, cor tuum nobis, imò quotidie etiamnum præbes corpus tuum; & abnuamus vicem reddere? cor noſtrum tibi totum conſignare, & ab amore rerum ſenſibilium retrahere etiamnum differamus? Tu,

(a) *Auguſt. in Pſal.* 120. (b) *Greg. Hom.* 20.

Tu, optime Domine, trahe poſt te cor meum; ſcis enim, neminem poſſe ad te venire, niſi tu traxeris illum. Non permitte, ut pergam, ulteriùs vagari poſt creaturas, aut ijs inhæream: Tu ſolus poſthac mihi ſapias, ſolus dulceſcas, qui ſolus cibus & potus es animæ meæ, ſolus amor meus, gaudium, dulcedo, & omne bonum meum. Et utinam totum me ex tua præſentia accendas, conſumas, & in te transmutes, ut per gratiam internæ unionis, & liquefactionis ardentis amoris, unus tecum efficiar ſpiritus; utinam totus ex te igneſcam, ac in me deficiam; cùm ſis ignis, ſemper ardens, & nunquam deficiens. Itaque, O amor, corda purificans, & intellectum illuminans,

*Illumina vultum tuum ſuper me.*

---

## xvj. Cal. Julij. Dies 16. Junij.

### *S. Benno Misniæ Epiſcopus.*

ILluſtris in Saxonia ſtirpis ſurculus, D. Benno, monaſticen primò amplexus eſt. Inde Epiſcopus Misnienſem rexit Eccleſiam eo Zelo, ut Sclavos ovili Chriſti adjunxerit. Captus eo bello, quod Saxones Henrico IV. moverant, ab hoc libertate donatur, ac Romam protinus abit, celebrato ibidem Concilio interfuturus. Inde redux, Templi claves, in Albim fluvium ante diſceſſum abjectas, in piſce exenterato reperit. Misniæ Marchionem die eodem, anno

xcvo-

revoluto, moriturum prædixit, quo colaphum ab eodem acceperat. Pede aquam è terra elicuit; aliàs aquam precibus convertit in vinum. Sacra ejus lipſana Monachij in ſumma æde honorifico tumulo condita viſuntur; colitúrque ipſe inter præcipuos Bojariæ Tutelares.

Ingens certè prodigium eſt, aquam è terra ſolo pedis impulſu prolicere; par ferè, aquam in vinum, Chriſti exemplo, tranſmutare: plus ego quotidie efficio, dum ad verba mea panis & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti transeunt. O admirandum, ac ſimul tremendum Myſterium! ô ſumma Sacerdotum poteſtas ac dignitas, cui comparari alia in creatis non queat.

Sint tibi, Creator omnium, DEUS, immenſæ gratiarum actiones, ac laudes, pro inſtitutione hujus admirabilis Sacramenti. Quàm utile & ſalutare conſilium tuum, cùm illud inſtituiſti, dicens: hoc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Quàm ſuave & jucundum Convivium, cùm teipſum in cibum exhibes. Quàm admiranda operatio tua, quàm potens virtus tua, quàm ineffabilis veritas tua: dixiſti enim, & facta ſunt, & hoc factum eſt, quod juſſiſti. Mira res, ac humanum vincens intellectum, quòd tu, Domine DEUS meus, verus DEUS & homo, ſub modica ſpecie panis & vini integer contineris, & ſine conſumptione à ſumente manducaris: Tu, Dominus univerſorum, qui nullius ha-

habes indigentiam, voluisti per Sacramentum tuum habitare in nobis; Conserva cor meum & corpus immaculatum, ut lætâ & purâ conscientiâ sæpius tua valeam celebrare mysteria, & ad perpetuam recipere salutem, quæ ad tuum præcipuè honorem, & memoriale perenne sanxisti & instituisti. (a) Lætare, anima mea, & gratias age DEO pro tam nobili munere, & singulari solatio, in hac lacrymarum valle tibi relicto: Nam quoties hoc Mysterium recolis, & Corpus Christi conficis, toties tuæ Redemptionis opus agis, & particeps omnium Christi meritorum efficeris. Ideò novâ semper mentis renovatione ad hoc te debes disponere, & magnum salutis Mysterium attentâ consideratione pensare. Ita magnum, novum & jucundum tibi videri debet, cùm celebras, & Missam audis, ac si Christus hoc die primùm in uterum Virginis descendens, homo factus esset, aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur, & moreretur. Siquidem

*Magnum est, & admirabile Sacrificium.*

---

## xv. Cal. Julij. Dies 17. Junij.

### *S. Ludgardis Virgo.*

(b) QUoties ad admirandum Calicem accedis, tanquam ab ipso latere Domini hauriens accedas. Ita monet Chrysostomus. Ita reipsâ egisse

(a) *Kemp. l. 4.* (b) *in Joan. c. 19.*

egiſſe ſanctam Ludgardem, è charioribus Chriſti corculis unam, nemo ambiget, qui perpenderit, ſponſum divinum ſpectandum ſe eidem præbuiſſe aliquando, in Cruce ſuffixum, totum Sanguine perfuſum; manúque alterâ, à Cruce ſolutâ, Ludgardem amplexatum, Vulneri lateris appreſſiſſe, nectaréque illo, omnium diviniſſimo, ſitibundam potâſſe.

Dulciſſime JESU, ex intimo cordis affectu deoſculor amabiliſſimum Vulnus ſacratiſſimi lateris tui, quod lanceâ perfoſſum, Sanguinem dedit, & aquam: Reſpice, æterne Pater, Filium tuum dilectiſſimum, ſummis confectum doloribus, opprobrijs ſaturatum, toto corpore in Cruce extenſum, ac ſaucium; Reſpice Agnum ſine macula, non aperientem os ſuum, quamvis in luporum faucibus hæreret; Aſpice ſacratiſſimum, & cuivis poteſtati verendum caput, ſpinarum aculeis transfixum, & præ dolore, imò amore inclinatum: Vide faciem, in quam deſiderant Angeli proſpicere, ſputis deturpatam, laceratam unguibus, fædatam Sanguine, livore tumidam: Cerne oculos, lacrymis ſuffuſos, os ſqualidum, genas exanimes, evulſos capillos, brachia diſtenta, nervos convulſos, oſſa luxata, confixum pectus, cor apertum.

Fiat igitur, Pater amantiſſime, fiat ſolâ gratiâ tuâ cor meum tanquam cera liqueſcens in medio mei, ut amorem amore compenſem; ut intimè compatiar Filio tuo, tanta pro me patienti; indéque ex animo compungar: ego enim ſum,

ium, qui peccavi; ego ſum vir ille, qui in crucem ſuffixi dulciſſimum Filium tuum, Patrem meum; ego ſputis fædavi, cecidi flagris, ſpinis pupugi, clavis ac lanceâ confixi. Habes, Pater ſanctiſſime, confitentem reum; convictum ac confeſſum ulciſcere; verùm hîc ure, hîc ſeca, ut in æternum pareas. (a) Contremuit terra, quando Dominus mortuus eſt in Cruce, conteſtans, mortuum ſe non poſſe capere; & dum reſurrexit, cum tremore Dominicum Corpus reddidit: annon jure meliori timor & tremor veniant ſuper me? annon totus concutiar, cùm Dominum meum toties ſuſcipiam? Timor iſte ſalutis eſt: ergo timorem tuum, Domine, & amorem pariter fac me habere perpetuum; timore tuo caſto & ſancto confige carnes meas, ut à judicijs tuis timeam: ſed amorem ſimul largire, ut fiat cor meum, tamquam cera liqueſcens; ut fiat ſepulcrum novum, in quo Corpus Dominicum condatur, & condiatur aromatibus devotionis, & omnigenarum virtutum: Concutiat mentem timor, ad bonum impellens, retrahens à malo; perficiat eandem amor, ut perfectè tibi uniar, JESU benigniſſime; hunc in finem in ſpiritu humilitatis, & animo contrito rogo:

*Aqua lateris tui lavet me.*



(a) *Hilar. l. 3. de Trin.*

## xiv. Cal. Julij. Dies 18. Junij.

### *S. Rainerius Piſanus Conf.*

TAntâ reverentiâ & devotione erga auguſtiſſimum Altaris Myſterium ferebatur divus Rainerius, ut in ejuſdem conſtitutus præſentia, alio corporis ſitu nunquam fuerit conſpectus, niſi aut nixus genibus, aut pedibus inſiſtens. Tali item fervore ac attentione cibum hunc cœleſtem frequentabat, ut lacrymas ſpectantibus exprimeret.

Quàm malè compoſitus & diſpoſitus ego compareo coram tremenda adeò Majeſtate, manifeſtè prodens, aut fide omnino deſtitutum me, aut corde: ſi namque præſentiam Domini mei vivâ fide apprehenderem; cum tremore utique, & debita veneratione ſacro Altari adſtarem: & ſi cor verè haberem, utique illud Domino petenti præberem, digneque pararem ad tantum hoſpitem ſuſcipiendum. Tu, Domine DEUS, qui fidem à me primo loco exigis, adjuva incredulitatem meam, ut præſentem te in Euchariſtia practicè credam; aperi oculos mentis meæ, ut te, ſacris involutum ſpeciebus, videam; latentem agnoſcam, ac devenerer eâ ſubmiſſione, quam divina Majeſtas tua à vermiculo abjectiſſimo jure petit. Præterea cor tibi exhibeo, dedicóque; tu illud à ſordibus emunda; gratiâ tuâ perfunde, & vas effice te dignum.

Deſidero te devotè ac reverenter ſuſcipere; upio in domum meam introducere, quatenus um Zachæo merear à te benedici, ac inter ios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum oncupiſcit; cor meum uniri tecum deſiderat; rade te mihi, & ſufficit: nam præter te nulla onſolatio valet; tu es ſuavis refectio animæ; & qui te dignè manducaverit, æternæ gloriæ æres erit.

Domine, in ſimplicitate cordis mei, cum plea fide, & in obedientia juſſionis tuæ accedo d te cum ſpe ac reverentia; vereque credo & onfiteor te hîc præſentem DEUM ac Hominem: ſu jubes, ut te ſuſcipiam, & me tibi in charitate uniam. Quapropter tuam precor clemeniam, ut concedas mihi verum tui amoris aſectum; quo cum Seraphico Franciſco tuo ex nimo poſſim dicere:

*DEUS meus, & omnia!*

---

## xiij. Cal. Julij. Dies 19. Junij.

### *S. Juliana Falconeria.*

PRodigioſum eſt, quod S. Julianæ, ex ordine Servorum beatæ Virginis, hâc die vitâ unctæ, contigit in agone ſupremo: cùm enim ob naturæ nauſeam recipere Epulum divinum non poſſet; rogavit adſtantem lectulo Sacerdotem, ut ſacram Hoſtiam, linteo obvolutam, pectori ſuo imponeret, ut vel hâc ſaltem ratione Dilecto ſuo frueretur. Quo facto, poſteaquam inter

intensissimos amoris ac desiderij actus paulò post exspirâsset; sacrum Pignus in linteo evoluto non ampliùs comparuit, dubitantibus, qui aderant, an intra cor moribundæ sese receperit, an verò rediêrit ad sacrarium.

Quibus non amoris affectibus exardescam ego, audito tam insigni prodigio? siquidem toties, imò quotidie, absque ullo impedimento Corpus Domini suscipio. O quot desiderant videre, quæ egò video; & non vident: quot ambiunt gustare, quæ gusto ego; nec tamen id eis concessum est. Quot sunt, qui multò me digniores quotidianum ad Aram accessum quæsiêrunt; neque tamen consecuti sunt: quot sunt, qui ministerium Sacerdotale humiliter optaverunt; nec sunt adepti. Flagrant ardentissimis quotidianæ Communionis desiderijs; æstuant amore; desiderio desiderant hoc pascha manducare; cervi sitibundi adinstar, ad divinos hos fontes anhelant; hi omnes in judicio supremo contra me levabunt vocem, arguent segnitiem, indignitatem damnabunt; hi acerbè exprobrabunt, quòd locum tam sanctum occupaverim sine requisita sanctitate; ministerium tam sublime ambiêrim sine vonveniente virtute; gradum tam eminentem obtinuerim sine vitæ, supra vulgus eminentis, conditione. (a) Certè viri Ninivitæ surgent in judicio, & condemnabunt malos Sacerdotes; illi enim pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: & ecce, plusquam Jonas hîc.

Re-

(a) *Matth.* 12.

Regina Auſtri ſurget, eósque damnabit; illa ſiquidem venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce, plusquam Salomon, JEſus Euchariſticus. Equidem aperio ego os in Communione; ſed non attraho ſpiritum: intrat Chriſtus in corpus, ſed non in cor meum; quia cordis oſtium clauſum reperit: (a) ſtat quidem ad oſtium, & pulſat clamans: ſiquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam; intrabo ad illum; & cænabo cum illo, & ipſe mecum; (b) qui enim venit, & januam pulſat, vult ſemper intrare: Sed in nobis eſt, quòd non ſemper ingrediatur; excluditur ſiquidem, ſi tu mentis tuæ januam occludis; & quamvis poſſet intrare, non vult tamen importunus irruere; non vult cogere invitos. Ipſe cogebatur olim à duobus diſcipulis, Emäuntem petentibus, cum fingeret longius iter, & cænabat cum illis; imò ipſi cum illo: dum cænam longè pretioſorem eis exhibuit, Corpus videlicet ſuum; quo ſumpto aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis. Nos ipſum, ut ad nos diverſat, minimè cogimus; imò ferè cogendi ſumus, ut ad ipſum divertamus. Non exardeſcimus ex divino, quo ad cor nobis ſecretò loquitur, colloquio; ſed tepidi, nos à ſacro miniſterio expedimus quàm celerrimè; hinc cænamus quidem cum Domino; non tamen ille viciſſim cænat nobiſcum, ſed diverſorium cordis quantociùs relinquit.



(a) *Apoc.* 3. (b) *Ambr. ſerm.* 12. *in Pſ.* 118.

Potentiſſime JESU, qui foribus clauſis ad diſcipulos tuos ingreſſus es; intra & in cor meum, utut tibi occluſum; dejice vectes, peſſulum remove: ubi tamen fueris ingreſſus, dæmoni illud, mundo ac carni obductis repagulis claude. Ita cænabis mecum, & ego tecum: tu mecum in hac vita; ego tecum in altera. En tibi deinceps pando non tam os, quàm cor meum, ut intres ſub tectum meum, & ſanes animam meam, verè

*Dulcis Hoſpes animæ.*

## xij. Cal. Julij. Dies 20. Junij.

### *S. Leufridus Abbas.*

ADductus fuerat ſancto huic Cænobiarchæ puer, graviſſimâ oppreſſus ægritudine; rogabantque mœſti parentes, ut perſanare eum digharetur. Hæſit aliquantulum ſanctus Pater; tum ſacrificium incruentum offert; cúmque Corpus Domini cum infirmo porrexiſſet, eo ſumpto is mox priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.

Medicina eſt Corpus Domini in Euchariſtia, aſſerente Ambroſio: (a) Vulnus eſt, quod accepit; medicina eſt, quam effudit; audi, quemadmodum antidotum Caro DEI eſt: Verbum factum eſt caro; miſit manum ſuam in cavernam aſpidum, venenum evacuavit, peccatum abſtulit, idem de peccato damnavit peccatum in carne. Porro ſi Corpus Domini medicina eſt corpori,

(a) *in Pſ.* 37.

pori, quantò magis animæ erit? propter animam ſiquidem eſt inſtitutum: inviſibilis cibus inviſibilem producit effectum. (a) Corpus Chriſti, inquit Angelus Doctorum, medicina ſpiritualis eſt, quæ cum reverentia guſtata, ſibi devotos purificat. (b) Igitur ſi, qui fimbriam veſtimenti ejus tetigerunt, convaluerunt; quanto magis corroborabimur; ſi totum in nobis habebimus? Quid ergo in cauſa eſt, quòd ſumpto toties cœleſti hoc Alexipharmaco langueamus tamen, peccemus, eanum inſtar ad vomitum redeamus? Nempe uti in Corpore Chriſti, etiamnum mortali, virtus erat ad ſanandum omnes, nec tamen ſanabantur, niſi ij tantùm, qui vivâ fide, ac firma cum fiducia accedebant: ita idem Corpus, jam immortale, multi ſumunt; multi adhibent medicinam contra præterita, antidotum contra futura peccata; nec tamen omnes aut ſanantur, aut à morbis animi præſervantur; ſed ij ſolummodo, qui dignè ſe præparant, fideque in Chriſtum, ac fiduciâ ſunt inſtructi. (c) Non Chriſtus infirmantibus deeſt, ſed fides: nam multò magis poteſt modò in nobis manens vulneratos curare, quàm olim latentem in turba mulierem in tranſitu perſanârit. Dicamus ergo cum muliere illa, ſed non minori, imò majori cum fiducia: ſi tetigero ſacratiſſimum ejus Corpus tantùm, ſalvus ero. Quid ſi intra me illud ſuſcipiam, ac contineam, annon exibit virtus de



(a) *Opuſc.* 58. (b) *Chryſ. Hom.* 51. *in Matth.* (c) *Chryſol. ſerm.* 34.

quò minus eam participemus? nempe ſo
defectus. Dicamus ergo cum Eunucho: (
Filium DEI eſſe JEſum Chriſtum: credo, (
verè præſentem ſub velo Euchariſtico; c
fide, firmáque inſuper fiducia ad eum :
mus, clamemúsque: Fili David, miſerere
ſana nos, & ſanabimur; ſalvos nos fac,
erimus, munda de immundo conceptos
ſit nobis perceptio Corporis tui in re
peccatorum; ſit ad medelam percipiend
denique ad

*Tutamentum mentis & corporis.*

---

xi. Cal. Julij. Dies 21. Junij.

*S. Aloyſius Gonzaga.*

BEatiſſimæ Virginis patrocinio Angeli
Juvenis parentibus eſt donatus, nat

Qua in re parentem diu reluctantem, difficilemque expertus, tandem obſtacula quævis perruit; atque in eadem Societate vitam duxit Angelicam; neque tamen multùm produxit; ſed conſummatus in brevi, explevit tempora multa, absque ulla gravioris noxæ conſcientia mortuus.

Verè oliva ſpecioſa in Domo DEI ex illorum numero, de quibus dixit vates regius, Eccleſiam Matrem affatus: Filij tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. Ad hanc Menſam divinam, in Eccleſia propoſitam, quia non concedebatur acceſſus Aloyſio, etiamnum puerulo; inde ferculum divinum, in ea expoſitum, frequentiſſimè, devotiſſimèque inviſit; ac famem ſpiritualem ardentiſſimis interea deſiderijs non tam extinxit, quàm acuit: demum ad Epulum cœleſte admiſſus, & quantâ illud reverentiâ animíque collectione è manibus divi Caroli, Archipræſulis Mediolanenſis, recepit! Certè confeſſionem præmiſit ijs veri ac ſinceri doloris argumentis, ut diceret ſacer Judex, ab innocente puero ea in re ſeſe magnopere inſtructum fuiſſe.

Heu me, quàm aridus ego, inſenſibilis, durior ſilice, pumice ſiccior ſum, dum ſacra pertago myſteria! lacrymis innatabat Aloyſius, quoties ad Aram facienti inſerviebat, Deúmque unum præſentem contuebatur; & ego, dum acris ipſe operor, Filium DEI cœlo devoco, manibus tracto, ore percipio, nec ſtillulam ex oculis profundo!

(a) Dulciſſime Domine JESU CHriſte, quanta eſt dulcedo devotæ animæ, tecum epulantis in Convivio tuo; ubi non alius cibus ei manducandus proponitur, niſi tu unicus Dilectus, ſuper omnia deſideria cordis deſiderabilis, Cibus puriſſimus, procedens de puriſſima Virgine, intra puriſſima ejus viſcera excoctus à ſancto Spiritu, ac fidelibus appoſitus, ut cum illis eſſes usque ad ſæculi conſummationem. Pro aliquali præparatione ad hoc tuum ineffabile Convivium offero tibi omnia bona mea, quamvis valde pauca, & imperfecta; tu eadem emenda & ſanctifica, ratáque & grata habe; tu ad majora, ac meliora ſemper me trahe, pigrúmque ac inutilem homuncionem dirige ad finem præfixum. En totum me in manus tuas conſigno; tu

*Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.*

## x. Cal. Julij. Dies 22. Junij.

### *S. Eberhardus Epiſcopus.*

ILluſtre virtutum Sacerdotalium ſpeculum in ſe exhibuit Eberhardus, Epiſcopus Salisburgenſis. Natus in Bavaria ex Hipolſtainiorum Comitum illuſtriſſima gente, ſanctioris vitæ Tyrocinium Bambergæ poſuit; ubi in Canonicorum adlectus Collegium, ad Monaſterium ſancti Michaëlis deſtinatus eſt. Inde ad Metropolim Juvavienſem regendam non absque violentia evocatus, rara poſt ſe liberalitatis in egenos exempla reliquit, non

(a) *Kemp. l.* 4.

non minùs etiam Numini Euchariſtico ex aſſe devotus; id quod tunc maximè oſtendit, cùm (a) die quadam leproſos pro more inviſit, interque eos hominem reperit, morti, ut videbatur, proximum; huic cùm ſupremum ritè decelentium Viaticum porrexiſſet; ſimulans is nauſeam, ſacras ſpecies non absque horrore ſpecantium rejecit; quas ſanctus Præſul, ad cavendam omnem ſanctiſſimi Sacramenti irreverentiam, generoſè glutijt, amorem ſuum Chriſto, ſub leroſi illius ſchemate latenti, probaturus.

En, anima mea, Servator tuus ſtat poſt parietem, reſpiciens per cancellos; videt te, entat, probat, uti ſanctos Jobum, Tobiam, & Præſulem hunc noſtrum, variè olim tentârat. ed heu, inopem ac miſerum me reperit, nec abentem, quod divinæ ejus placeat majeſtati, uóque benedictionem ac gratiam ipſius merear. Rogabat olim David, vir ſecundùm cor DEI: (b) proba me, Domine, & tenta me; re renes meos & cor meum. Neque irritæ uerunt preces: probatus eſt Rex optimus per Abſolonem, filium perduellem; per Semei, ubditum maledicentem; per Saulem, hoſtem erſequentem, tam ubique firmus, ut dicere poterit: probâſti me; & non eſt inventa in me niquitas. Tobias, quia acceptus Deo erat, eceſſe fuit, ut tentatione probaretur. Sed eâ er patientiam ſuperatâ, lætus cecinit: (c) ipſe aſtigavit nos propter iniquitates noſtras, & ipſe ſal-

(a) *Rad. in Reg. S.* (b) *Pſal.* 25. (c) Tob. 13.

ſalvabit nos propter miſericordiam ſuam. Magnus es, Domine, qui flagellas, & ſalvas; deducis ad inferos, & reducis, nec eſt, qui manum tuam effugere poſſit. Verùm diligentibus te omnia cooperantur in bonum; gaudentque electi tui, cùm in tentationes varias inciderint. Certè Jobus, utut graviſſimè, & multipliciter tentatus, ad omnia tamen velut inſenſibilis, identidem ingeminat: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum. Hoc nempe eſt, cum tentatione facere proventum; hoc eſt viriliter agere, & ſuſtinere Dominum. Talibus Chriſtus eſt in reſurrectionem: Sunt enim ſocij paſſionum; crucifixerunt carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs; inde, quia compatiuntur, & conregnabunt. Porro alijs eſt in ruinam; ijs videlicet, qui nolunt cum Chriſto crucifigi; qui ordinationi ac voluntati Dei reſiſtunt; qui crucem excutiunt, & ideo damnationem ſibi acquirunt. Tu, Domine, eſto mihi in reſurrectionem; tibi configar Cruci; cadat in me peccatum; deſtruatur corpus peccati; moriatur exterior homo, ut interior reſurgat.

Quis mihi det, ô Domine, ut inveniam te, & aperiam tibi cor meum, fruar te, ſicut deſiderat anima mea; & uniar tibi totus; & cor meum ab omnibus rebus creatis abſtraham; magísque ac magis ſemper per ſanctam Communionem, & quotidiana ſacra, cœleſtia ac æterna

na ſapere diſcam. Verè tu es Dilectus meus, electus ex millibus, in quo complacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ meæ. Verè tu Salomon pacificus, in quo pax ſumma, & requies vera; extra quem labor & dolor, & infinita miſeria. Verè tu Deus abſconditus, & conſilium tuum non eſt cum impijs, ſed cum humilibus & ſimplicibus ſermoniatio tua.

*Tenta me, Domine; proba renes & cor meum.*

---

## ix. Cal. Julij. Dies 23. Junij.

### *S. Maria Ogniacenſis. V.*

INſtruit me hodie divus Joannes Baptiſta, cujus Nativitatem feſtâ memoriâ prævenit Eccleſia, quâ ratione Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis recipiendus. Ille ad Domini ſui præſentiam, matris utero etiamnum concluſus, exultavit, gaudiúmque ſuum hoc modo teſtatus eſt: (a) videbat in ſpiritu Mariam, Aream Dei. Sicut enim Arca illa typica claudebat intra ſe Tabulas Teſtamenti, & urnam auream, manna continentem; Ita Maria, vera Arca fœderis, utriúsque Teſtamenti Conditorem, & panem de cœlo verum, in utero geſtabat. An non ego quoque exiliam? an non ſaltem cum Davide totis viribus? dum multò propiùs ad me accedit Dominus, quàm aut ad Davidem in Arcæ typo, ut ad Joannem in Virgineo Matris utero. Latet quidem ſub ſacrarum ſpecierum velamine; ſed

ijs,

---

(a) *B. Leo de S. Joan.*

ijs, ut vehiculo utitur, ut in intima mea ingrediatur; ut carnem ſuam carni meæ, Sanguinem ſuum ſanguini meo penitùs conjungat; ut ipſe in me, & ego in ipſo maneam. Verum oportet, ut ſaltum faciam de terra in cœlum, de malo in bonum, de peccatis ad virtutes: ſiquidem (a) Corpus Chriſti edere, illi eſt vivere; ab illo autem ſeparari: ei eſt mori: ſepararis autem, ſi diutiùs ſacro Epulo abſtines, ipſo aſſerente: niſi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.

Sancta Maria Ogniacenſis Chriſtum, à cruce ſuſpenſum ſiccis oculis nunquam aſpexit. Centies quotidie in genua oratura procidit, flagróque ter centies in corpus animadvertit. Fœminæ morienti, ob luxum veſtium æternùm damnandæ, gratiam veræ pœnitentiæ impetravit. Comedenti S. Joannes Evangeliſta aſſedit. Cùm Sacerdos quidam ſacrum ad ejus, nihil ea de re monitæ, intentionem dixiſſet; ipſa id divinitùs cognovit, Myſtámque ab Ara recedentem affata, hæc Miſſa, inquit, mea eſt, hodie Filium Patri pro me obtuliſti.

Quotidie ego pro me, & peccatis meis Filium Patri æterno offero; nec tamen melior inde evado, neque ſaltum de terrenis ad cœleſtia facio, aut immutor, & de virtute in virtutem tranſeo. Et quam ob cauſam? (b) quia omnis impius cæcus eſt in corde ſuo; præſens eſt illi ſapientia; ſed quia ipſe ab illa abſens eſt, licèt



(a) Greg. Naz. orat. 42. (b) Aug. epiſt. 120. c. 3.

oculis ejus præſens ſit, cæcus manet. Cæcus erat Saulus, Eccleſiam perſequens, & apertis oculis nihil videbat; unde Damaſcum deduci manibus debuit. Quando verò à ſynagoga ad eam ipſam, quam eatenus infectatus erat, Eccleſiam transivit generoſo ſaltu, confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tamquam ſquammæ, & viſum recepit. Cæcus erat Auguſtinus, in Manichæorum errores prolapſus, & (a) deductus in profunda inferni; cùm Deum non ſecundùm intellectum, ſed ſecundùm ſenſum carnis quæreret. Verùm ab Ambroſio in viam veritatis reductus, altu feliciſſimo à terreſtribus ad ſuperna ſe tranſtulit: (b) Voluptates, quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim eos à me, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore ſublimior. Tu, Domine, cujus potentiâ claudi ambulant, ſaliúntque ut cervi; mihi quoque gratiâ tuâ præpotenti aſſiſte, ut curram viam mandatorum tuorum; ut ſaliam in montibus perfectionis, tranſiliam colles omnium difficultatum; & dirigam pedes meos ad te, qui es

*Omni voluptate dulcior, omni honore ſublimior.*

viij. Cal.

(a) *Lib. 3. Conf. cap. 6.* (b) *Conf. l. 9. cap. 1.*

viij. Cal. Julij. Dies 24. Junij.

*S. Joannes Baptiſta.*

TRimus adhucdum Joannes, eremum petijt, pœnitentiam auſpicaturus (utut non haberet, de quo pœniteret) & ad annuntiandum Servatoris adventum ſeſe paraturus. Diſco inde, pœnitentiam agere, & per mortificationem præviam, ad Chriſti quotidianum ad me, imò in me adventum me parare, monente S. Leone Papâ (*a*) per temperantiam reſtringatur pars illa, quæ libidine æſtuat; ita fiet, ut mortificatis membris, quæ ſunt ſuper terram, paſcha dignè comedas, ſolitarij illius Joannis, Chriſti prodromi, & magni veritatis præconis imitatus pœnitentiam, circa cujus lumbos Zona pellicea, cilicij inſtar erat. Nempe uti Hebræi, divinitùs edocti, præcinctis renibus comedebant agnum paſchalem; ita nósque carnis luxuriam per continentiam coarctare debemus, ut carne mortificati, Agnum DEI dignè comedamus.

Vidit die hâc feſtiviſſimâ ſancta Gertrudis divum Joannem, Aræ aſſiſtentem, dum Sacerdos accedentibus in ipſius Præcurſoris honorem ac memoriam, ſacram ſynaxim porrigeret. Porro amictus erat veſte rubeâ roſei coloris, cui totidem agnelli intexti erant, quot erant, qui ſacram Menſam frequentabant; quos omnes ſanctus Baptiſta DEO enixè commendabat.

Et

(*a*) *Serm. de S. Joan.*

Et ego me tuis potentiſſimis precibus commendo, ſancte Tutelaris, & communis omnium advocate, dum hodie, & poſtquo ſequente DEO ad Aram litabo pro tua gloria & beatitudine. Tu intra viſcera Matris ſanctificatus, ab Angelo Patri, antequam concipere êre, annuntiatus, loquelam ei, quam hæſitatio in fide laveraſ, natus reddidiſti: Tu Deum agnoviſti, in lucem nondum editus; tu ſolitudinem habiâſti penè à cunis; tu cibum alium, præter locuſtas & mel ſilveſtre, non admiſiſti, nec alio ſus es veſtitu, quàm cameli exuvijs. Tum diu exercitatus, pœnitentiam prædicâſti, ac viam Domino paráſti; Tu Agnum Dei intento digito monſtráſti, undíſque Jordanis abluiſti; tu, licèt teſtante ipſâ Veritate majorem te non haberes inter natos mulierum, adeo ut ambigerent Judæi, ánne eſſes Meſſias, indignum tamen te judicâſti, qui ſolveres corrigiam calceamentorum Chriſti. Tu denique, qui vel cum capitis periculo Herodem adulterum inceſtumque intrepidè arguiſti, ac pro veritate cervicem generoſè præbuiſti, Virgo, Martyr, Doctor, Propheta, & plusquam Propheta; tu ora pro me, ut ſuper tot peccatis dignos adjam pœnitentiæ fructus, & ita à peccato immunis renaſcar æternitati. Confige cor meum amore & timore, ut non adhæreat hiſce mundi fallacijs, ſed ſoli Deo; & in umbra mortis meæ trepitantem me ſub umbra manûs tuæ protege; integra verò

*Dirige pedes meos in viam pacis.*

vij. Cal. Julij. Dies 25. Junij.

*S. Febronia Virgo & Martyr.*

HEva, non illa infelix Adæ conſors, ſed felix ſocia Sanctæ Julianæ, quâ, ceu inſtrumento, uſus eſt DEUS in inſtitutione Feſti ſacratiſſimi Corporis Chriſti: Id primò celebratum fuit Leodij, quoad Deus in ſanctiſſimo hoc Myſterio Sacerdoti cuidam incredulo Polſenæ manifeſtâſſet; tunc enim Urbanus IV. ſummus Pontifex illud ad totam Eccleſiam extendit: porro ad hoc evincendum, cunctáque complananda obſtacula, Heva prædicta maximos ſubijit labores; cernénsque tandem, intentum, ſe conſecutam, gaudio ac ſolatio plena cum Simeone dixit: *nunc dimittis famulam tuam, Domine, in pace; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*

Mihi non tantùm conceſſum eſt, ſacratiſſimum Chriſti Corpus ſemel in anno ſolenni pompâ comitari; ſed quovis die licet illud invíſere, adorare, offerre, ac ſumere; imò non licet ſolùm, ſed expediret etiam, ſæpiùs de die illò ſe conferre; ubi Dilectus noſter ſub velo ſacramentali latet, & orare ad Dominum DEUM noſtrum. Ad hoc efficaciter fratres ſuos hortatus eſt Venerabilis Simon Garzias, ex Ordine Minimorum, inquiens: (a) Dominus noſter JEſus Chriſtus triginta tribus annis in tot ærumnis, in

tot

(a) *in Vita.*

ot laboribus à juventute ſua, nobiſcum eſt mo-
atus; libeat ergo & nobis cum ipſo aliquantu-
um morari. Franciſcus Borgias, etiamnum
Gandiæ Dux, quoties audiſſet æs campanum,
opulum convocans ad comitandum ſanctiſſimum
acramentum, quod ad moribundum quempiam
eferebatur; ſepoſitis omnibus, regijs etiam,
egotijs dicere ſolebat: hoc ſignum magni Re-
gis eſt, nos ad ſe vocantis; eamus; & mox di-
inum ferculum per urbem comitatus, omni-
bus exemplo fuit. Cur non ferveo & ego? cur
hiſce exemplis non accendor? propter hoc e-
tenim Sacramentum cœlum, & quæ in eo bona
ſunt, me accepturum ſpero.

Unicus ergo eſto amor meus, JESU mi a-
mantiſſime; ſummo tui deſiderio teneor, ſum-
móque te præſtolor amore, ſpecioſiſſime inter
filios hominum, fons ſupereffluentis dulcedinis,
fons veræ delectationis, ad quem deſiderave-
runt tot animæ ſanctæ, tot animæ juſtorum,
qui tua ſecuti veſtigia, Sanguinem pro te pro-
funderunt. (a) Fugientibus Sororibus ſola in
conventu perſtitit ſancta Febronia, ut optatiſ-
ſimam Martyrij corollam promereretur, ac cum
virginibus prudentibus ad amplexus Sponſi quan-
tocius admitteretur, immobilis in fide, quam
DEO in baptiſmate, ac dein Chriſto in profeſ-
ſione Religioſa dederat; à qua nec blanditijs,
neque terroribus dejici potuit. Inde virgas,
equuleos, pectines, ignem infracta tulit, tan-



(a) *Hodie colitur.*

dem poſt dentium excuſſionem, ac pectoris dilacerationem gladio addicta; quo cæſa, tot ornata palmis ad Sponſum cœleſtem, quem in terris totâ mente dilexerat, victrix pervenit.

Generoſa Partheno-Martyr, aſſiſte mihi in conflictionibus meis, quibus vita hæc plena eſt; pugna pro me, & mecum, præſertim in ſuprema & decretoria illa lucta, à qua pendet æternitas; ut te protegente vincam principem tenebrarum, victórque à DEO coronari mereor, & ſic æternùm eundem tecum laudare poſſim, ac dicere:

*Mihi adhærere Deo bonum eſt.*

## vj. Cal. Julij. Dies 26. Junij.

### *S. Anthelmus Epiſcopus.*

E Monaſterio ad Mitram Bellicenſem vocatus eſt Anthelmus; qui alias delicias non noverat, præter auguſtiſſimum Altaris Myſterium, coram quo ſæpius orans, lacrymis totus diffluebat. (*a*) Sub Miſſæ autem Sacrificio, ubi ſe Deo mactabat totum in holocauſtum, totus ſpiritualis erat, totúsque DEO inhærebat.

Introibó & ego in domum DEI in holocauſtis, totúmque eidem me ſacrabó, mactando meipſum; ſiquidem (*b*) quando totum ardet, & totum conſumitur igne divino, holocauſtum dicitur; quando autem ſolummodo pars quædam, Sacrificium. Jam totum, quod habeo, DEO of-

(*a*) *Surius in vita.* (*b*) *Auguſt. in pſal. 65.*

offero; totum id consumat ignis divinus; nil supersit, totum ad DEUM abeat; & utinam eâ perfectione DEO me mactarem, totus spiritualis essem, Deóque inhærerem, quâ id egit sanctus Anthelmus! utinam offerrem DEO, non Sacrificium, sed holocaustum, nec holocaustum qualecunque, sed medullatum, meipsum videlicet ex intimis animæ medullis, uti optabat seraphicus Augustinus, inquiens: (a) intus teneam charitatem tuam; non erit in superficie; in medullis meis erit, quòd diligo te. Diligam ergo te, Domine, amplius diligam, amplius & ardentius te amem, non verbo solùm, & linguâ, sed opere & veritate; neque solùm in luce & solatio, sed etiam in tenebris & desolatione, non tantùm cùm benefeceris mihi, sed in omni tribulatione ac tentatione. Porro ut affectum hunc in opus deducam, bene mones: si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Antequam itaque introjero in domum tuam in holocaustis, deponam omne odium, omnem rancorem, omnem indignationem & aversionem erga proximum; præterea deponam omnem superbiam, animique elationem, omnem avaritiam ac cupiditatem, malos & distortos affectus omnes: Lumbos præcingam; lucernam ardentem manu præferam; & ita stu-



(a) *Aug. ibidem.*

debo, ut totus ſim ſpiritualis, totus Deo inhæream, totum me Deo mactem in holocauſtum. Sicut tu, JESU dulciſſime, teipſum expanſis manibus in Cruce, nudo Corpore Patri æterno pro me Hoſtiam ſpontaneam obtuliſti; ita ego quoque meipſum tibi totum conſecro cum omnibus viribus & affectibus meis; hoc quippe tibi gratum eſſe, hoc te requirere ſcio. Itaque, Domine, (a) in ſimplicitate cordis mei offero meipſum tibi hodie in ſervum ſempiternum, in obſequium & ſacrificium laudis perpetuæ: Tu totum te obtuliſti Patri pro me; dediſti etiam totum Corpus tuum Sanguinem in cibum, ut totus meus eſſes, & ego tuus permanerem: Suscipe & me cum hac ſancta oblatione tui pretioſi Corporis, qui totum me tibi trado & ſubjicio, ut diſponas de me, quomodo tibi placuerit; tuus etenim ſum in tempore & in æternitate; tuus, ſive vivo, ſive morior; dummodo tibi vivam, tibi morior. Solummodò

*Væ tempori illi, quo non amavi te!*

## V. Cal. Julij. Dies 27. Junij.

### *B. Daniel Abbas.*

CEcinerat olim Vates regius: Calix Domini inebrians quàm præclarus eſt! Jure multò meliori uſurpare idem potuit B. Daniel, Abbas Schönaugienſis prope Treviros; dum aliquando (b) ſub Miſſæ ſacrificio videre meruit ſacrum Sanguinem

(a) *Kemp. l.* 4. (b) Menol. Benedict. hodie.

guinem in calice consecrato, veri Sanguinis formâ ac colore apparentem.

Quamvis ego dignus haud sim, cui eadem divini Sanguinis species cruenta exhibeatur; uti sancto huic Viro; oculis tamen fidei quotidie cerno in sacro calice verum Christi Sanguinem; idque sufficit mihi, dum cogito, etiam beatum Regem Eduardum noluisse cum alijs spectare Hostiam divinam, sub sacrificio pij cujusdam Sacerdotis mutatam in formam speciosissimi cujusdam pueruli; ne videlicet fidei meritum perderet; nempe beati, qui non viderunt, & crediderunt. Quamvis igitur visus, gustus, tactus fallatur in Mysterio hoc; solo tamen auditu tutò creditur, quidquid de eodem dixit DEI Filius; nil siquidem hoc verbo veritatis verius. Itaque fides præstet supplementum, firmetque, quod non capimus nec videmus. Id tantùm optarem, ut dignus haberer, Sanguinem pro sanguine reddere ei, qui Sanguinem suum totum pro me effudit; imò hodieque totum in animam meam profundit. Porro cùm tantam gratiam haud mereor, id saltem agam deinceps, ne Sanguis iste sacratissimus frustra pro me effusus sit; adeóque usque ad Sanguinem resistam peccato. Equidem non rarò sanguis meus intra me tumultuatur, instar maris fervidi, quod quiescere non potest, variósque concupiscentiæ fluctus ciet; his tamen usque ad Sanguinem resistam. Superbiæ & ambitionis procellis elevatur; iræ & indignationis motibus agitatur; libidinis & gulæ

deſideriis effervescit: quibus omnibus uſque ad Sanguinem reſiſtam. Tu, ô JESU, Sanguine tuo puriſſimo vires ſuffice; ſuffoca omnem ſenſum libidinis; iræ motus compone; impera, & fac tranquillitatem: (a) nam ſua cuique cupiditas tempeſtas eſt. Clamavit olim infamis ille Apoſtata Julianus, cœleſti manu confoſſus: viciſti, Galilæe, viciſti; ſimúlque ſpurcam animam orco transmiſit. Alio ego, & ſanctiore ſenſu dicam: viciſti, mi JESU, viciſti, dum motus meos cohibuiſti; dum concupiſcentias carnis meæ ſpiritui ſubdidiſti; dum propenſionibus meis diſtortis terminum poſuiſti, ad quem tumentes fluctus ſuos confringerent. Quapropter

*Laudem dicam tibi, & benedicam nomini tuo.*

---

## iiij. Cal. Julij. Dies 28. Junij.

### *S. Leo Papa.*

EJus nominis ſecundus, cæterùm doctrinâ & magnanimitate cuivis par, probavit Acta Synodi VI. Conſtantinopolitanæ, damnavitque Sergij, Cyri, & Pyrrhi errores: fregit etiam ſuperbiam Antiſtitum Ravenatûm, pauperum, viduarum ac pupillarum Pater ab omnibus celebratus. Hunc ſancta Gertrudis, cùm ad ſacram Synaxin accederet hodie, Deo ſupplicem vidit, petentemque, ut omnem fructum, gratiaſque augimentum, quod quidem ipſe recepiſſet, dum vivens ad Aram litaret, ipſi Gertrudi conferre dig-

(a) *Auguſt.*

gnaretur. Annuit petitioni huic Deus; inde-
e animata ſancta Virgo per merita ſancti iſtius
ntificis rogavit Dominum, ut contra quasvis
ıtationes, puritati cordis adverſas, ſeſe tue-
tur; quódque rogaverat, impetravit.

Nec mirum, Sponſam caſtiſſimam id impetrâs-
à Chriſto; ei ſiquidem unicè cordi erat, ne
iſtiusmodi tentationibus contaminaretur. Ego
ontra ijſdem frequenter cedo; & non à natu-
ſolum, prona ad malum, ſed à prava inſuper
nſuetudine ad id impellor. Et quid mirum, ſi
ctorum patrocinium inefficax experior, dum
oderari nolo? Certè dicere cum D. Paulo ne-
eo: quis me ſeparabit à charitate Chriſti? quæ-
et enim vel leviſſima aura me movet; aſpectus
libet allicit; quodvis verbulum commovet;
a ſola aquæ guttula charitatem reſtinguit. Jurè
tiore dicam cum ſancto Petro: recede à me,
ominé, quia homo peccator ſum, malis con-
tudinibus implicitus, vitijsque & peccatis in-
neris oneratus. Quia verò non vis mortem
:catoris; ecce per merita Sanctorum tuorum
nillimè ſupplico, peccata, quæ admiſi hacte-
; , benignè remitte; & ne ullum deinceps
nmittam ſciens prudens, cuſtodi me ab affe-
ous malè ordinatis; & animo irreverenti & in-
nito ne tradas me: comibe propenſionem ad
lum; tentationibus ac concupiſcentijs pravis
dum ſtatue., ut contra peccati illicia firmus
iſtam. Super omnia verò divinum amorem
n mihi largire; ut cum Petro dicere ex ani-

mo poſſim: Domine, tu ſcis, quia amo te; & cum Paulo: certus ſum, quod nihil me ſeparabit à charitate tua; ſieque tibi intimè unitus permaneam per charitatem, quæ eſt

*Vinculum perfectionis.*

---

iij. Cal. Julij. Dies 29. Junij.

*SS. Petrus & Paulus Apoſtoli.*

GLorioſi Apoſtolorum Principes, Petrus & Paulus, fidei Magiſtri, Columnæ Eccleſiæ, & mundi lumina, hodie cœlum triumphantes ingreſſi ſunt. Ille, quòd Magiſtrum optimum timore perculſus negâſſet, totâ deinceps vitâ flevit, quoad eum lapſum in cruce expiaret, in quam capite ad terram verſo, in reverentiam divini Magiſtri ſuffixus fuit. Hic ex perſecutore Eccleſiæ, gentium doctor & vas Electionis, portavit nomen JESU coram gentibus, & regibus terræ: quod ſanctiſſimum nomen non ſolùm vivus in ore & calamo continuò habuit; ſed & caput jam à cervice reſectum gladio, illud ter diſtinctè pronuntiavit, ternos edens ſaltus, totidemque fontes proliciens, hodie etiamnum ſalutares.

Cùm die hâc ſancta Mechtildis audiret verba illa Evangelij: Petre amas me? extra ſe rapta audivit interrogantem Dominum: amas me ita, ut creaturam omnium in toto orbe terrarum amabiliſſimam propter me deſereres? cumque illa cordatè affirmâſſet, ſubjecit Chriſtus: amas me

ita,

ita, ut pro me omnem laborem, omne incommodum, omnéque juſſum meum ſubires? & cùm promptiſſimè annueret, addidit tertiò Dominus: amas me ita, ut omnem pœnam, etiam mortem ipſam propter me ſuſtineres? Id magno cum affectu affirmans ſancta Virgo, intellexit, promptam hanc voluntatem ſuam à Deo pro ipſo opere acceptatam fuiſſe.

Quódſi quæſtionem eandem ad me dirigeret Deus, cui omne cor patet, quémque latere nihil poteſt; quàm frigidè reſponderem, quámque juſtè meturem, ne mendacij convincerer, confunderérque! Nunquid enim Deus replicare veriſſimè poſſet: projeciſti me poſt corpus tuum, cujus commoda ac oblectamenta voluntati meæ hactenus prætuliſti? Nónne creaturis aviditſſimè inhiaſti, penſi habens, quòd me offenderes? quoties bona æterna poſt vanas ac momentaneas illecebras habuiſti? Nempe me dereliquiſti, fontem aquæ vivæ; & fodiſti tibi ciſternas diſſipatas, quæ nequeunt aquas continere. Quâ igitur fronte reponere poſſem: tu ſcis, Domine, quia ita amo te, ut omni creaturæ propter te renuntiare, quemvis laborem pro te ſubire, quævis ſupplicia, & mortem ipſam ſuſtinere paratus ſim? dum ita molliter habeo corpus meum, ut omnem adhibeam induſtriam, nequid ingratum ipſi accidat. Confiteor, ô bone DEUS, infirmitatem meam, agnoſco iniquitatem meam; video, hucusque terrena divinis, amorem mundi charitati tuæ me iniquiſſimè prætuliſſe. Verum-

rumtamen ſi hominis eſt, præparare cor; ea cordatè reſpondeo: diligo te plus, quàm omnem creaturam, paratus, eam amore tui deſerere, utut omnium pulcherrima eſſet: omnibus mundi iſtius bonis te præpono, amóque ita, ut omnem laborem, omne incommodum propter te ſubeam amplectárque; imò nec mortem ipſam, aut quosvis cruciatus recuſem. Porro amo te, quia tu prior amâſti me, dignúsque es omni amore,

*Quia DEUS, & Rex meus es.*

---

## Pridie Cal. Junij. Dies 30. Junij.

### *Commemoratio ſancti Pauli.*

NEſcit tarda molimina Spiritûs ſancti gratia; quæ Saulum in Paulum, hoſtem Eccleſiæ in ejus propugnatorem, reprobum in vas Electionis derepente mutavit, & ad ſublime Apoſtolatûs miniſterium ſegregavit.

O Pater miſericordiarum, & DEUS totius conſolationis, qui corda noſtra habes in manu tua, potésque, quò volueris, inclinare; me quoque perverſum converte, & in melius muta. En filiali cum fiducia ad te recurro; occurre pœnitenti, ac redeunti de terra longinqua vitæ ſceleratæ; ſuſcipe me in domum gratiæ tuæ, ac mercenariis tuis accenſe. Veni in propria tua, animam videlicet, & corpus meum; reforma inibi, quidquid vitioſum eſt; quidquid defectuoſum corrige; quidquid mendoſum, emenda; erige,

e; quidquid lapſui proximum, & corrobora; uidquid inſtabile, ut in tuo obſequio firmus per- ſtam. Viſita me, ô JESU, vita vitæ meæ, & iſitatio tua cuſtodiat ſpiritum meum; ut per- ectius tibi ſerviam deinceps: da mihi vel ſcin- llam amoris tui, quâ te diligam; da corporis nimique puritatem, quâ tibi placeam; da ſpiri- is fervorem, & mentis alacritatem, quâ tibi iniſtrem. Placuit tibi, Domine, corpus ha- ile aptare mihi; placeat & dare ſpiritum prom- um in tuo famulatu; ut cum dilecto Apoſtolo io Paulo audeam, quidquid alij audent.

Quantum non eſt aula ſancta Erentrudis, cujus odie feſta memoria recolitur? Hæc cum Ger- ano ſuo Ruperto in Bojariam veniens, Juvavij Parthenone Numbergenſi ſedem fixit, ſacris- æ Virginibus præfuit, virtutum omnium Magi- ra & Exemplar. Pauperes maternâ curâ fovit, edes eorum & ulcera abluit; in menſa plus ſa- â lectione, ac divinis colloquijs, quàm cibis poſitis reficiebatur, illud unicum identidem geminans: mihi adhærere DEO bonum eſt.

O ut ego quoque adhæream DEO meo, tor à rrenis omnibus retrahendo! Tu, JESU cle- entiſſime, abluè illud aquâ eâ pretioſiſſimâ, am divinus amor tuus ex nobiliſſima dulciſſimi ordis tui roſa eliquavit; Sanguine verò tuo ſa- tiſſimo illud conforta, & dirige in viam ſa- is æternæ. Sic ego etiam ero vas Electionis; tque pars mea cum Electis in terra viventium,

& mi-

& miſericordias tuas in æternum cantabo, dicens cum prodigio :

*Poſtquam convertiſti me, ègi pœnitentiam.*

## Calendis Julij. Dies 1. ejuſdem.

### *B. Ramboldus Abbas.*

(a) NAtus apud Francones Ramboldus, à ſancto Wolfgango Ratisbonam evocatur, ibíque divi Emerami Cœnobio præficitur; cui etiam per annos ſex & viginti integerrimè præfuit, verè pater pauperum, quibus geminum exæxit hospitium, quorum altero peregrini, ægrotantes altero excipiebantur. Velut alter Tobias oculorum uſum biennio toto amiſit, jacturam eam patientiſſimè ferens; Sub hæc, cùm nocte ad tumulum beati Emerami oraret, obdormiſſetque; vidit in ſomnis Chriſtum, è Crucis arbore deſcendentem, geminósque, qui ad Aram lucebant, cereos oculis ſuis admoventem; quo facto excitatus, lucem ſibi redditam deprehendit. Ab inimicis plures, eásque graves perpeſſus inſectationes, invicto animo tulit. Conditus eſt in ſubterraneo Eccleſiæ fornice, ubi plurimis ſignis claruit.

Patientia opus perfectum habet; ſi compatimur, & conglorificabimur. Nempe ſocios Dominus adhibet gloriæ, quos videt ſocios triſtitiæ futuros. Ita Petrum, Joannem & Jacobum teſtes adhibuit transfigurationis ſuæ, quia agoni-

zanti

(a) *Rader. in Bav. S.*

tanti etiam in horto Gethſemani præſtò futuri erant. Verùm uti Petrus in monte Thaboreo figere mox voluit tabernaculum, in olivetano verò fugam mox arripuit; ita & nos volumus eſſe ſocij conſolationis, non verò paſſionis; optamus, Chriſtum ſequi in Thaborem, non verò in Calvariam; prætendimus cum ipſo aſſidere in Regno DEI; ſed hîc nolumus guſtare calicem paſſionis, quem ipſe prælibavit, imò totum exhauſit. Sed perperàm; nam patientia opus perfectum habet; ſi compatimur, & conglorificabimur. Et quidni, patiamur in hac vita pro Chriſto, qui tanta pro nobis paſſus eſt, in ſummis doloribus, extrema egeſtate, maximo contemptu mortuus? Præcipuè quia in hac vita neceſſariò pati debemus; ubi proſpera adverſis, adverſa proſperis ſuccedunt. Itaque neque in illis dejiciamur, quia poſt modicum tranſibunt; neque in his extollamur, ſed potiùs animum paremus ad adverſa, quæ in vicem ſuccedent. Porro ut patientia opus perfectum habeat, ex radice humilitatis deſumenda eſt. Hanc verò addiſcam à magno Domini præcurſore, cujus hodie octiduana memoria recurrit. Quæſierant ex illo Judæi: tu quis es? ille non ſolùm confeſſus eſt, quia non eſſet Chriſtus; ſed ingenuè addidit, neque dignum ſe, qui corrigiam calceamentorum ejus ſolveret; cum interim de fide ſit, ipſum adhuc in utero materno ſanctificatum, unumque è præcipuis DEI amicis fuiſſe.

Me

Me miſerum & indignum, nimisque temerarium, dum audeo, quod vel ſanctiſſimi auſi non ſunt. Baptiſta intra matris etiamnum viſcera ſanctificatus; ego immundus, imò errans ab utero: ille innocuus aſperrimam in ſolitudine egit pœnitentiam; ego in bonis duco dies meos: ille præter mel ſilveſtre & locuſtas aliud in cibum nihil admiſit; ego etiam lautitias nauſea: ille pilis camelorum tectus eſt; ego mollibus veſtior: ille Chriſtum Sanguine contigit; ego hoſtis ejus, & carnifex; ille maximus inter natos mulierum, ego inter peccatores teterrimus: Ille Propheta, Apoſtolus, vox Verbi, Martyr & Virgo; ego opprobrium Sacerdotum. Cleri propudium, ſcandalum plebejorum: ille tamen indignum ſe profitetur, qui vel calceamenta Chriſti contingat; ego audacter ad eundem accedo, manibus contrecto, ore ſumo, viſceribus excipio, ac præterea aliis diſtribuo. Me miſerum & indignum, nimisque temerarium! coram tanta enim Majeſtate

*Peccator quomodo parebit?*

---

## vi. Julij. Dies 2. ejuſdem.

### *Viſitatio beatiſſimæ Virginis.*

POſteaquam Verbum æternum intra viſcera intemerata concepiſſet Virgo, exurgens paulò poſt, monente Filio divino, abiit in montana cum feſtinatione, & intravit in domum Eliſabeth; *ut & huic* gratularetur conceptum filium, & hunc

ipſum

ſum præſentiâ ſuâ ſanctificaret. Porro Eliſabetha mox exclamavit voce magnâ: unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me? unde tanta mihi obtigit gratia, ut per viam tam arduam ac longinquam ad me accedat, quæ æternum Dei Filium utero geſtat?

Quando veriùs ego humili conteſtatione dicere poſſum ac debeo: unde hoc mihi, ut Dominus meus veniat ad me? unde tanta mihi gratia? Ab immenſa videlicet bonitate tua, ac nimia charitate, ô piiſſime JEſu: juſtiùs ego, quàm beata Margarita de Cortona, dicere de me poſſum: ſi conſiſterem ad ſolis occaſum, & tu, Domine ac DEUS meus, ab ortu ſolis me reſpiceres, non eſſem dignus, oculos meos ad te levare: Quantò ergo minùs ero dignus, labijs cœlo te devocare, ore benedicere, oculis tam ex propinquo te contueri, linguâ contingere, corde excipere? Felices Chriſtiani orthodoxi! verè non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut DEUS noſter adeſt nobis. (a) O magna Mater DEI, quàm debitores tibi ſumus, quantásque gratias poſt DEUM tibi perſolvere fas eſt! Illud equidem corpus, quod in beatiſſimo utero tuo enutriſti, quod in gremio foviſti, quod faſcijs ſtrinxiſti, lactâſti uberibus, nos de ſacro Altari percipimus; ejúsque Sanguinem in Sacramento noſtræ Redemptionis haurimus.



(a) *Petr. Dam. de Nativ. Virg.*

Porro ſi finem ſpectem, quo Servator piiſſimus ad me accedere dignatur, eundem planè deprehendo, quem ſibi præfixit, dum Eliſabetham, etiamnum intra materna viſcera deliteſcens inviſeret; nempe ut Præcurſorem ſuum ſanctificaret, & à primæva labe emundaret: certè hâc ipſâ intentione ad me venit, ut à peccatis liberet, ſanctificetque. (a) Quodſi verò in primo ingreſſu tantus profectus extitit, ut ad ſalutationem Mariæ exultaret Joannes, repleretur Spiritu ſancto Eliſabeth; quantum putamus uſu tanti temporis ſanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam? O ut hunc ipſum effectum quotidianus in me adventus, ingreſſusque DEI mei in ſanctiſſima Euchariſtia ſortiretur! dudum omni peccato liber, ſanctus evaſiſſem: Tu, Domine, qui potes omnia, qui ſolo verbo creas omnia, ſolòque ſermone univerſa reſtauras, qui unico propitio obtutu peccatores revocas, fac potentiam in brachio tuo; veni & ſanctifica me; libera me à peccatis omnibus, habitus pravos deſtrue, reprime fomitem, & innatam ad malum propenſionem. Ita dignus ero, quem cum Matre tua ſanctiſſima inviſas. Tu, Maria Virgo dulciſſima, illos tuos miſericordes oculos ad me converte; ut viſitatio tua cuſtodiat ſpiritum meum; cuſtodiat in vita, cuſtodiat in morte ac ſuprema lucta; ut corpore ſoluta anima mea Dominum tecum magnificet, & æternùm

*Exultet ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

v. Non.

(a) *Ambr. l. 2. in Lucam.*

## v. Non. Julij. Dies 3. ejuſdem.

### *S. Guilelmus Abbas.*

(a) RAtisbonæ in Bavaria illuſtri proſapiâ natus, religioſis ſancti Emerani etiamnum puerulus traditur, in diſciplina ſancti Benedicti educandus. Sub horum magiſterio Philoſophiam, Eloquentiam, Matheſin, & Muſicen addidicit, non minori in virtutibus progreſſu, præcipuè in egenos profuſus, quorum Pater paſſim audiebat; in his ut Chriſtum tegeret, non rarò veſtem propriam exuit; & cùm aliquando omnia, quæ in domo erant, in eoſdem profudiſſet, ope divinâ aurum, frumentum, vinúmque recepit. Hirſaugienſis Abbas creatus, cùm ſchiſma Henrici Imperatoris execraretur; hic Wernhero Epiſcopo Argentinenſi præcipit, ut Monaſterium armatâ manu invaderet, everteretque. Huic nefario operi intentus Wernherus, dum equum loricâ obarmatus ſcandit, repente horribili cum ejulatu in terram decidens, miſerè expiravit; nec fuit deinde quisquam, qui vel manum contra locum ſanctum moveret, omnibus vindictâ DEI perterrefactis.

Verùm hæc vindicta non leviùs deſævit in Myſtas ſacrilegos; prout devoto cuidam DEI famulo oſtenſum, qui vidit presbyterum quemdam improbæ vitæ magno Judici præſentari, de multis



(a) *Rader. in Bav. S.*

ſacrilegijs accuſari, & ad æterna inferorum ſupplicia condemnari; è cujus faucibus genij cœleſtes ſacras illas particulas, quas indignè glutierat, protraxerunt, quas Virgo Deipara calice, quem geſtabat, reverenter excepit. Idem legimus factum Udoni Archi-Epiſcopo Parthenopolitano; è cujus ſceleſtis faucibus erutas ſacras hoſtias Alma Virgo in calice collegit, ac in ſacrario repoſuit.

Hæc dum audimus, Sacerdotes, totis artubus contremiſcamus, neſcij, odióne an amore digni ſimus; ignari, ánne vitam, an verò mortem ſumamus; dubij, an Matrem divinam aliquando ſimus habituri adjutricem, an verò potius accuſatricem? O JEſu pijſſime, Judex juſte; dum rigorem juſtitiæ tuæ attentiùs contemplor, tribunal tuum haud immeritò reformido. Equidem Agnus es manſuetiſſimus; ſed & leo rugiens es, & quis non pavebit? ut agnus innocens, & non aperiens os ſuum, pro me ductus es ad Crucis victimam; ut leo victor ab inferis rediſti, amabilis tuis, hoſtibus terribilis. Sed qualem ego te hactenus ſuſcepi in quotidianis ſacrificijs? an ut Agnum? an potiùs velut leonem? JESU clementiſſime, noli mihi eſſe in vita hac Agnus, in morte verò leo rugiens; jam nunc confige timore tuo carnes meas, ut Agnum te habere merear in morte. Quòdſi reus factus ſum Corporis & Sanguinis tui pretioſiſſimi; tu condona, tu remitte; ecce paratus ſum, millies potiùs mortem ſubire, quàm Aram tuam delibera-

rato ſacrilegio contaminare, & Corpus tuum ratiſſimum in judicium mihi ſumere. Itaque obabo me ipſum: & ſiquid deprehendero, quod aviter te offendere poſſit, ſacro tribunali cum imo dolore me ſiſtam. Sic non intrabis in judium cum ſervo tuo; qui miſericors es, & miator, patiens & præſtabilis ſuper malitia homum,

*Agnus equidem; at ſimul Leo.*

---

## iv. Non. Julij. Dies 4. ejuſdem.

### *S. Udalricus Epiſc. Aug.*

)Cùm videris Sacerdotem offerentem ſacram Hoſtiam; noli credere, eſſe manum Sardotis, ſed manum DEI, inviſibiliter extenn.

Imò non ſolùm extenſa inviſibiliter fuit, ſed ibiliter à miniſtro conſpecta manus DEI omnitentis, panem & vinum in Altari benedicens, m ſanctus Udalricus, Epiſcopus Auguſtanus, rba ſacra ſuper eadem elementa jamjam prourus eſſet. Hic DEI famulus, à puero innons, nec linguam, nec aures levibus ſermonius unquam præbuit; cosmophilos, quâ potuit, tione vitavit; carnem cilicio domuit, ignem nereum flammis reſtinxit, quibus digitum eo e immiſerat; fœminarum omnium conſortio abnuit, virtutum omnium exemplar.



---

(*a*) *Chryſoſt.*

Chriſte, Fili DEI vivi; Princeps principum omnium, cœleſtium ac terreſtrium; qui humilia reſpicis, ſuperbis verò reſiſtis: en humilio me ſub potenti manu tua; & in ſpiritu humilitatis, animóque contrito coram te comparere præſumo. Scio optimè, te DEUM eſſe tantæ Majeſtatis, ut jure mihi abſtinendum eſſet menſâ illâ, quam præparaſti diligentibus te. Tu DEUS Deorum in Sion, & Dominus Dominantium, coram quo columnæ cœli contremiſcunt, & throni pavent Angelici. Et ego miſerrimus peccator non contremiſcam? ego non paveam? Verùm ſumma tua dignatio viciſſim me animat, ac timorem pellit: audio acclamantes mihi genios cœleſtes: exulta, fili Regis ſuperni; ecce Rex tuus venit ad te, in ſacro Altaris Myſterio, juſtus & Salvator, manſuetus & humilis, bonus, ſuavis & placabilis. Eja ergo, Fili DEI vivi, Princeps pacis; ecce attollo portas cordis mei, affectu maximo accedo ad te; en elevo portas æternales indiviſi amoris: ingredere itaque, Rex gloriæ, Domine fortis & potens, Domine potens in præl o adverſus hoſtes animæ meæ, viſibiles & inviſibiles; ut cor meum te propugnante inexpugnabile reddatur. Domine, Dominus noſter, quàm admirabilis es, & quàm admirabilia ſunt opera tua, manus tua hæc, & tu, Domine, feciſti eam; quâ nimirum Sacerdos te benedicit, conſecrat, ſumit, diſpenſat. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? & quamvis ego peccatorum omnium

pri-

primus ſim; attamen tanto laudandi te, amandi, benedicendi agor, angórque deſiderio, ut geſtiam omne id ſupplere, quod in alijs deficit; donec tandem cum omnibus Electis tuis æternùm te laudem & glorificem, quia

*Magnus es tu, & faciens mirabilia.*

---

## iij. Non. Julij. Dies 5. ejuſdem.

### *Eugenius Papa.*

TAntâ ſanctitate conſpicuus eminebat Eugenius Papa III. ut, cùm ſacris operaretur aliquando, litantem circumvolitare viſa ſit columba candidiſſima: aliâs miro ad Aram ſplendore radiabat.

Columba ſymbolum eſt Spiritûs ſancti, hic charitas DEI; dum proin eundem peto, charitatem DEI peto.

DEUS meus, JESU mi, amor meus, utinam ſemper amâſſem te! utinam ſemper amarem te! utinam ita amarem te, ut amore tui mori mihi liceret! utinam tam vehemens in me eſſet amor tuus, ut totum me conſumeret, vel ſaltem abſumeret omne id in me, quod amorem tui non ſpirat! En maximum, quod habeam, bonum, vita eſt: hanc tibi offero, & unà meipſum, ut diſponas mecum ſecundùm beneplacitum, & ſanctiſſimam voluntatem tuam. Nolo vitam producere ultra metam, quam tu præfixeris; & quamvis id in manu mea poſitum eſſet, ſi tamen nôſſem, mortem meam tibi gratam fore;

hanc vitæ ipſi præponerem, ſolum ad beneplacitum tuum perficiendum. Equidem animitus opto, rogóque humillimè, ne me permittas prius decedere, quàm per veram pœnitentiam peccatis mortuus, converſatione tibi placeam: quandocunque tamen hinc evocaveris me, reſpondebo tibi, ac dicam: fiat voluntas tua. Et licèt occideris me, attamen in te ſperare non deſinam; & in tua charitate, & animo contrito peccatis ritè expiatus, ad tua tabernacula tranſibo.

Eja ſpecioſe formâ præ filijs hominum, JEſu amantiſſime, amore mei ſub exiguis panis ſpeciebus deliteſcens, veni, & animam meam in ſinum tuæ dilectionis reclina; ut ibi liquefacta in abyſſo tuæ Divinitatis abſorbeatur. Veni; & medio ſacratiſſimi iſtius Myſterij intimè me tibi conjunge; méque totum in te transforma; ut vivam, jam non ego, tu verò totus vivas in me. Benedictionem petebat magnus ille Patriarcha, cùm Angelus, quocum totâ nocte luctatus fuerat, miſſionem rogaret; inde repoſcit: non dimittam te, donec benedixeris mihi. Non nudam ego benedictionem à te peto, Domine; ſed verbis diſcipulorum tuorum te compello: mane mecum, Domine; id ſi feceris, ſtringam te cum Sponſa amante, tenebóque, nec unquam dimittam. Ita agere docet me mellifluus Bernardus, inquiens: (a) Sponſa non vult amantem dimittere, quem Patriarcha acceptâ benedictione dimiſit;

(a) *Serm. 79. in Cant.*

miſit; hæc autem ait: nolo benedictionem tuam, ſed te,

*Domine Deus virtutum; quis enim ſimilis tibi?*

## Pridie Non. Julij. Die 6. ejuſdem.

### *S. Goar Presbyter.*

DUm octavam ſanctorum Petri & Pauli, Magiſtrorum ſuorum, feſtivâ memoriâ hodie celebrat Eccleſia; ego ipſius Eccleſiæ, ejuſque neceſſitatum, ad Aram meminero, inductus exemplo ſancti Goaris, de quo Surius hæc habet: (*a*) Omni die Miſſarum ſolennia celebrans, ſacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti pro ſtatu Eccleſiæ offerebat. Certè unum Corpus multi ſumus, qui de uno pane participamus; inde oportet pro omnibus orare, omniúmque neceſſitates & miſerias DEO commendare. (*b*) Quódſi unum corpus eſſemus; ſi eos, qui pereunt, noſtra viſcerà eſſe crederemus; precum gemitu, effuſione fletuum clamaremus: Domine, ſalva nos, perimus. Per quid autem DEUM magis placare poſſumus, & ejus beneficia impetrare, niſi per placationis hoſtiam; (*c*) per quam ſtat Eccleſia, roboratur fides, viget Chriſtiana Religio, & Cultus divinus. (*d*) Tolle hoc Sacramentum; & quid erit in mundo, niſi error, & infidelitas, & populus Chriſtianus quaſi grex pro-



(*a*) *Sur. hodie.* (*b*) *Chryſolog. ſerm.* 20. (*c*) *Bonav. de prep. c.* 2. (*d*) *Chryſoſt. Hom.* 26. *in* 1. *Cor.*

corum diſperſus; dum etenim in hac vita ſumus, ut terra nobis cœlum ſit, hoc Sacramentum facit.

Suſcipe igitur, ſumme DEUS, hoc Sacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti pro ſancta Matre Eccleſia, pro ſupremo ejus Capite, tuo in terris Vicario, pro omnibus Matris ejusdem filijs ac membris; & per infinitam ſacrificij iſtius virtutem dignare eam cuſtodire, dilatare, & in omni bono proficere; ſuſcipe item in ſatisfactionem & expiationem omnium totius mundi delictorum; pro me, indigniſſimo famulo ac Sacerdote tuo, pro parentibus, fratribus, ſororibus, cognatis, amicis & benefactoribus meis; pro omnibus quoque afflictis, infirmis, egentibus, & in quacunque tribulatione conſtitutis; demum pro ijs omnibus, pro quibus teipſum obtuliſti, & etiamnum offerri præcipis. Et quia ſolâ miſericordiâ tuâ legatione me fungi voluiſti apud te; pro his omnibus accedam ad Altare tuum, portans iniquitates & miſerias, tam meas, quàm illorum omnium, rogánsque in ſpiritu humilitatis, ac virtute ſacrificij iſtius, ut peccata noſtra deleantur, ac miſeriæ tollantur. Itaque, Domine,

*Memento famulorum famularúmque tuarum.*

---

## Nonis Julij. Dies 7. ejuſdem.

### *S. Wilibaldus Epiſcopus Euſtettenſis.*

PEregrinum ſe in hoc mundo Wilibaldus etiam-

num

num puerulus agnovit: hinc depositis regiis insignibus, peregrinantium more & habitu, Romam venit; inde Jerosolymam transijt cum Richardo Patre, Rege, Wunibaldo fratre, Walburga sorore, Bonifacio Avunculo, Wilibrordo, Deodato, aliisque pluribus ex eadem regia cognatione. Quum loca sacra devotè obiret, in templo divi Matthiæ sub Missa oculorum usum derepente amisit; nil tamen inde territus, Deóque confisus, sacro ad finem usque adstitit; subinde Basilicam sanctæ Crucis ingressus, lumen recepit. Ita videlicat oportet facere cum tentatione proventum.

Imitabor ego cæcum illum, qui Christo transeunte totis viribus clamabat: Fili David, miserere mei. Et utinam eadem beatissima sors mihi obtingeret, ut ex me quæreret Servator: quid vis, ut faciam tibi? quàm promptè reponerem cum mendico illo: Domine, ut videam! & ita quidem videam, ut videam in lumine tuo lumen. Cæcus erat Saulus, apertisque oculis nihil videbat. Cæcus & ego sum, dum apertis oculis nil video, præter terrena; nil comprehendo, nisi transitoria. Tu igitur, Domine, emitte lucem tuam, & veritatem tuam, & deduc me in tabernacula sancta tua, ad Altare tuum in timore & amore tuo: Tu esto illuminatio mea, & salus mea. Tristabatur cæcus ille Tobias, dicens: quale gaudium mihi, dum in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? acsi notanter diceret: non inde contristor, quòd

mundi

mundi hujus objecta cernere nequeam, ſed quòd lumen cœli non liceat mihi aſpicere, atque inde ad contemplandum univerſi Conditorem aſſurgere. Ita nempe aſſurgebat igneus Ignatius, illud frequenter in ore habens: quàm ſordet mihi tellus, dum cœlum aſpicio! Hâc ratione illumina oculos meos, Domine, ut videam & intelligam in via immaculata. Jonathas dum pauxillum quid de invento mellis favo guſtat, illuminati ſunt oculi ejus: ego quotidie comedo integrum mellis divini favum in Euchariſtia; & adhuc cæcutiam? Ecce, Domine, ad te ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum; laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ; defecerunt oculi mei: Tu itaque adjuva & illumina me. Igitur introibo ad Altare DEI, ad DEUM, qui lætificat juventutem meam, id eſt, interprete Auguſtino, (*a*) novitatem meam: triſtis enim incedo, id eſt, in vetuſtate; nunc autem ſtabo gaudens in novitate. Depoſuiſti etenim peccatorum ſenectutem (addit Ambroſius (*b*)) ſumpſiſti gratiæ juventutem; hoc tibi præſtiterunt Sacramenta cœleſtia, juxta illud: vincenti dabo manna abſconditum, & nomen novum. Ita, Domine,

*In lumine tuo videbimus lumen.*

---

viij. Idus Julij. Dies 8. ejuſdem.

*S. Eliſabetha Regina Luſitaniæ.*

HÆc, à ſancta Cognomine, Thuringiæ Principe

---

(*a*) *In pſal.* 42. (*b*) L. 4. de Sacerd. c. 1.

e, magna Matertera ſua, nomen ſortita, non
ginum minùs, quàm poſtea nuptarum ac vi-
arum ſpeculum lucidiſſimum, orationi, jejunio,
emoſynis totam ſeſe impendit. Quas in pau-
:es profuſura erat, pecunias in roſas conver-
, ne deprehenderetur; ulcus horrendum oſcu-
ſanavit; bellicos furores non rarò ſedavit; à
atiſſima DEI Matre vocata, ad regnum cœle-
abijt.

Contigit aliquando, ut Dionyſius, ſanctæ hujus
ncipis maritus, ſuſurronibus aures præbens,
)icionem haud levem conciperet, quaſi ipſa
n famulo, qui ei ab eleemoſynis erat, turpi-
conſuêſſet. Hinc irâ judicium præcipitante,
ulum eundem jubet primo mane neſcio quæ
ndata perferre ad operarios, qui calcem ex-
quebant; quibus jam per alium internuntium
eceperat, ut eum in ardentem clibanum proji-
:ent, qui poſterâ primus ad ipſos eſſet acceſ-
us, ac Regis mandata delaturus. Paret Re-
imperio innocens Eleemoſynarius; dúmque
operarios prædictos greſſum accelerat, in
nſitu ad Eccleſiam quamdam deflectit, tribús-
e ſacris, DEO intùs monente, devotiſſimè as-
tit; interea æmulus, qui inſontem Regi detu-
:at, viam præripit, ad operarios primus per-
nit, & juſtiſſimâ talionis lege in fornacem
lciariam nequidquam reluctans præcipitatur.

Pijſſime Pater, ecce ad pedes divinæ Majeſta-
tuæ me abjicio, meque tibi cum corpore &
ima, cum omnibus utriusque ſenſibus, viribus

ac

ac potentijs, & earum functionibus offero: mancipo me tibi in ſervum perpetuum; divina præcepta tua inviolabiliter obſervare, voluntati tuæ penitùs me committere ac ſubmittere ſtatuo, ſciens, omnes capitis mei pilos numeratos eſſe, neque ullum exinde in terram caſurum absque juſtiſſima tua voluntate, & permiſſione. O ſummum bonum meum, infinitas tibi gratias ago, quia me quotidie participem facis ſacratiſſimorum Myſteriorum tuorum; & quantâ cordi meo bona tuâ præſentiâ confers? imò quantò majora mihi, pro immenſa liberalitate tua, conferre es paratus? Talia nempe, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, ea ex æquo ponderare. Quid tibi, Pater miſericordiarum, & DEUS totius conſolationis, quid retribuam pro omnibus, quæ tribuiſti mihi? Unigenitum tuum non tantùm dediſti pro redemptione animarum noſtrarum; ſed inſuper eundem quotidie das in refectionem, in pignus futuræ gloriæ, in cibum ac nutrimentum animarum. Quid igitur retribuam tibi? Ecce, Pater cœleſtis, tantum tibi do, dono, offero, quantum tu dediſti mihi; tu mihi dediſti Filium tuum, unàque omnes ejus virtutes ac merita: eundem tibi reddo, & viciſſim offero, munus utique, tibi acceptiſſimum. Quòdſi præterea aliud quid requiris à me, ecce meipſum tibi do, dono, offero, ut facias, ſtatuásque de me, quod tibi placuerit; in manibus tuis ſortes meæ, ut

lutum

im in manu figuli: finge me, ut lubuerit, vel vas contumeliæ, vel in vas honoris; etenim *Mirabiliter diſponis, Domine.*

---

## vij. Idus Iulij. Djes 9. ejuſdem.

### *S. Theobaldus Abbas.*

Jcruentum ſacrificium omnibus anteponendum eſſe docet hodie S. Theobaldus Abbas: hic im, cùm ſæculo adhuc militaret, & cum alijs is nobilitatis viris ad ludos equeſtres perge-, in templum ex itinere divertit, ibíque ſa- interfuit, quamvis tempus ludorum inſtaret. ero finito dum ad certamen properat, amicos osdam obvios habuit, gratulantes, quòd de- tis æmulis omnium plauſum, ac ſimul victo- præmium ipſe tuliſſet: unde facilè intellexit, ige'um tutelarem, ſuis tectum armis ac veſti- s, Trojam pro ſe luſiſſe, æmulósque ſuperâs-. Quare DEO, tam ſibi propitio, impoſte- m militare decrevit, divi Benedicti inſtitutum utus.

Diſcam hinc ego, ſacrum quotidianum alijs nnibus præponere. Optimè ſcilicet à Jove prin- ium ſumitur; nec eſſe quidquam debet, in- rius DEO. Quòd ſi interea aliquid agendum currat, DEO id committam, cui cura eſt de nnibus, quíque diſertè monet in Evangelio: uærite primùm Regnum DEI; & hæc omnia jicientur vobis. Et ubi Regnum DEI tutiùs

quæ-

quæram, quàm in ſacro Altari; dum teſte Chryſoſtomo (a) quousque in hac vita ſumus, ut terra nobis cœlum ſit, hoc myſterium facit; per quod Regnum DEI in terras translatum cernimus, dum triumphans Eccleſia per illud unitur militanti. Felix Capharnaum, de qua urbe ſcribit Matthæus: (b) & tu, Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis? rationem dat Hieronymus: diutiùs enim ibidem commoratus eſt Chriſtus, Dominus & Salvator noſter. A Chriſti ergo hoſpitio Capharnaum usque in cœlum exaltatur. At nónne animæ Sacerdotum Chriſti hoſpitium ſunt, ac cœlum in terra? ſed optandum eſſet, ne de pluribus eorum dici poſſet, quod de urbe Capharnao ſubditur ibidem: verumtamen usque ad infernum deſcendes. Quia enim Capharnaum Chriſti adventum non cognovit, dignitatem ſuam non intellexit, viſitationem Domini repulit; ideo inſtar Luciferi è cœlo usque in infernum præceps ijt. Væ miſero mihi, dum usque in cœlum exaltatus, ſimilis Altiſſimo, ſimilis Chriſto, ſummo Sacerdoti, ob gradum, characterem & dignitatem Sacerdotij, toties hoſpitium Chriſti effectus, ob morum pravitatem, ac vitæ perverſitatem deſcendam uſque in infernum. Non ita fiet, Domine; non enim mortui laudabunt te; neque omnes, qui deſcendunt in infernum. Itaque non moriar, ſed vivam: toto corde, & præ alijs omnibus quæram Regnum DEI; ut ita fiam Regnum DEI, juxta illud:

Reg-

(a) *Hom.* 26. in 1. Cor. (b) Cap. 11.

gnum DEI intra vos eſt; dum videlicet Regem lorum corde circumfero,

*Cui cura eſt de omnibus.*

---

## vi. Idus Julij. Djes 10. ejuſdem.

### *S. Idulphus Epiſc. Trev.*

Revirenſis Eccleſiæ Præſul Idulphus (*a*) nullum diem pertranſijt, quo non Omnipoti DEO ſacram Hoſtiam pro ſalute mundi, defunctorum requie obtulit. Obtulit & hodie atiſſimas DEO Hoſtias ſancta Felicitas; dum ptem filios in tormentis generosè cohortata t, ne penſarent præſentia ſupplicia, ſed quæ futurum gaudia cœlum ſponderet; hâcque viâ nuarium fuſtibus mactatum, Felicem ac Philipm præcipitio colliſos, Silvanum & Alexandrum, talem ac Martialem gladio cæſos, velut totim victimas, eò præmiſit, breviſque & ipſa cuta eſt, eodem ſupplicij genere conſumpta.

Docebunt me ſancti, non tantùm ſacram DEO oſtiam quotidie offerre, verùm etiam devotiom illorum ſectari. Ita David inquit: holocaua medullata offeram tibi, nec contentus erat nplici oblatione, ſed medullatam ſibi propoebat, omni ſcilicet poſſibili devotione inſtruam. Ad rem Petrus Cellenſis: (*b*) Carnem pro rne repone, pro ſancta ſanctificatam, caſtam o caſta ac virginea; Sanguinem item pro ſanuine, pellem pro pelle; id eſt, imitationem



(*a*) *Sur. hodie.* (*b*) *De panis. c.* 1.

patientiæ & manſuetudinis Agni immaculati, JEſu CHriſti.

Jam verò quid retribuo ego Domino pro omnibus, quæ tribuit mihi? Ipſe me ex nihilo condidit, fecitque ad ſe: an vivo ad ejus nutum & voluntatem? Ipſe pretioſiſſimo ſuo Sanguine redemit: an gratum me pro tanto beneficio exhibeo? donis ac talentis quàm plurimis, quà naturalibus, quà ſupernaturalibus me cumulavit: an utor ijſdem ad ipſius honorem & gloriam? Cœlum propter me ipſe produxit: an terræ illud præpono? animam contulit immortalem: an præ corpore ipſam curo?

Domine, Dominus noſter, quàm admirabilis eſt miſericordia tua in univerſa terra; Verè miſericordia tua ſuperexaltat judicium, præcipuè in me maximo peccatore. Dudum ruiſſet cœlum, niſi pietas tua illud ſuſtentaret; terra in nihilum recidiſſet, niſi bonitas tua eam conſervâſſet; gemerem ego à multo tempore in inferno inferiori, niſi clementia tua juſtitiam cohibuiſſet. Propterea confitebor tibi, & laudem dicam Nomini tuo, dum omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando oſtendis; certè quàcunque me verto, & quidquid aſpitio, miſericordia tua ubique in oculos incurrit: illa ſinu ſuo me excipit, foveque; illa me nutrit, conſervat, cuſtodit, ac reficit; illa docet ignorantem, tendentem ad patriam dirigit; in proſperis refrænat, ne extollar, ne concidam, animat in adverſis. Itaque miſericordias Domini in æternum cantabo,

in

generationem & generationem laudes ejus.
a temetipsum in cibum & potum mihi appo-
; tu vis cænare mecum; nec aliud vicissim
tis, nisi ut cor meum vicissim in cibum sapi-
ssimum tibi apponam. En totum illud tibi di-
, dedicóque, & in abyssum immensæ bonita-
tuæ refundo omnia bona, quæ ex eadem in
imam, ac corpus meum profluxerunt à primo
eationis meæ instanti, quæque mihi ac toti
iverso in æternum conferre paratus es, qui
*Das omnibus affluenter, & non improperas.*

---

v. Idus Julij. Dies 11. ejusdem.

*S. Pius Papa I. hujus nom.*

Ummâ Reverentiâ erga sacrum Missæ sacrifi-
cium afficiebatur sanctus hic Pontifex; inde
aves statuit pœnas in Sacerdotes incurios,
orum negligentiâ aliquid de sanctissimo Christi
nore super Altare, aut interamina fallasset.
Quòdsi tanta exigatur attentio in tractandis
ris speciebus, neque ferat impunè, qui vel
nimam earum partem negligit; quantò magis
tatis deteriora morerì supplicia, qui Filium
EI conculcaverit, & Sanguinem Testamenti
llutum duxerit; Heu me, gradu tam subli-
i, qualis est Sacerdotium, prorsus indignum,
i toties neglexi Dominicum Sanguinem, &
etium redemptionis meæ conculcavi, Deum-
ie meum post tergum projeci, dum negotijs
rrenis posthabui? Quantâ olim confusione ex-

probrabit mihi DEUS, quòd me conſtituerit ducem populi ſui, qui fideles perduceret in viam ſalutis, & ad patriam cœleſtem conduceret; qui hæſitantibus conſilio, aberrantibus auxilio eſſet; qui regeret in proſperis, ne efferrentur, in advetſis ſolaretur, ne animis concideret! Eſt enim, inquit Orator Aureus, (a) inter omnes divinas gratias maxima ſacerdotalis dignitas, ſiquis eam immaculatè cuſtodit: ego dixi: Dij eſtis, dixit de Sacerdotibus ipſe DEUS; ob poteſtatem videlicet in Corpus Chriſti, tum verum, tum myſticum. (b) Si autem Sacerdos à ſtatu ſuo & fine deficit, ex optimo fit corruptio peſſima, neque ulla eſt in mundo tam crudelis beſtia, quàm malus Sacerdos. Quodſi ſanguis Abel juſti clamavit ad cœlum de terra, vindictam poſtulans, quid efficiet Sanguis Chriſti, meliùs utique loquentis, quàm Abel?

Piiſſime JESU, unde hoc mihi, quòd me, peccatorem omnium graviſſimum, dignum æſtimaveris pretio infinito, dum, ut ſervum redimeres, teipſum tradidiſti? O felix Adæ peccatum, quod talem ac tantum meruit habere Redemptorem; & feliciſſima Chriſtianorum natio, quæ Deos ita ſibi appropinquantes habet, ut ipſum Deum ſuum in cibum & potum ſumat! Tibi laus, honor, & gratiarum actio in ſæcula ſempiterna, clementiſſime DEUS.

Salve

(a) *Hom. 15. in Evang.* (b) *Euſeb. in Ep. ad Damaſ. de morte S. Hieron.*

Salve igitur Sanguis Chriſti pretioſiſſime, qui animam meam Sponſo cœleſti longè arctiùs adſtringis, quàm olim anima Jonathæ fuerit agglutinata Davidi. Chriſtus ſiquidem dedit animam ſuam dilectam in mortem pro me, quod Jonathas minimè præſtitit Davidi. Imò eam ipſam animam adhuc quotidie pro me tradit; dum manibus meis, quamvis indignis, quotidie Patri æterno in Ara ſeſe immolat; & qui, reſurgens à mortuis, jam non moritur, adhuc myſticè offertur in hoc Myſterio. Nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis, ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus. Væ autem ſceleſtis, qui Sanguinem ipſius conculcant, & judicium ſibi manducant! veniet dies, quando ſummo cum rigore.

*Sanguis ejus exquiretur.*

---

## iv. Idus Julij. Dies 12. ejuſdem.

### *S. Joannes Gualbertus Abbas.*

GUalberto, ſacram Ædem ſubeunti, Chriſti, ex Cruce pendentis, imago caput inflexit. Hic ad exſcindendam labem Simoniacam, quemlam ſuorum Religioſorum, ardentem clibanum ngreſſum, illæſum precibus ſuis ſervarit, quum ntea ſacratiſſimo Chriſti corpore eundem muniſſet. Homicidæ, à ſanguine cognato etiamum calenti, in Chriſti gratiam ignovit.

Non in ſculpta imagine ad me ſeſe inclinat Chriſtus, ſed ipſe mihi oſculum pacis offert, modò



ſunt. Reipſa cœlos inclinat, ut ad me
deſcendat; Corpus ſuum in cibum dat, u
ficiat; Sanguinem in potum, ut me re
hic calix, hoc vinum lætificat cor hom
licem hunc ſalutis præclarum accipiam
men Domini invocabo. (e) Non ca
lingua deficit, humanus ſopitur ſenſus,
ſtigandum tanti Myſterij ſenſum, tanti S
ti arcanum; quantus ardor, quàm
amor, quàm caſti guſtantur amplexus;
Salvatore ergo operemur ſalutem; ſa
cruce, in qua eſt ſalus, vita, & reſurr
ſtra; ſalutem in Altari, in quo eſt cib
ctio, virtus noſtra, & viaticum. In
peremur ſalutem, per quam redemit
Altari operemur ſalutem, in quo ſalvavi
cruce, per quam ad cœlum duxit nos;
in quo pignus cœleſtis gloriæ dedit nob

ure potiori tenetur esse Christianus, quàm Sacerdos? quis magis esse discipulus Christi, quàm Sacerdos? Cordi id habuit S. Gualbertus, qui ad Magistri divini exemplum veniam hosti dedit, pompisque mundi abdicatis, humilem vitam in claustro est professus.

O JESU clementissime, qui mari posuisti vectem & ostia, & dixisti; hucusque venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos; cur ipse, ô JEsu, mare gratiarum investigabile, intra terminos te non cohibes? quare exundas per hoc Sacramentum, teque in me, altissimam miseriarum voraginem effundis? tu, mare immensum, solo amoris impulsu in uterum Virginis exundâsti, ut pro salute mea in cruce difflueres. Eja, Dilecte mi, effunde te in me; nam desiderio & amore tui ita exæstuo, ut omnes oceani aquæ non essent sufficturæ restringuendæ siti meæ; tu solus mihi sufficis; tu in Altari es cibus meus ac potus, in passione medicus, in cruce medicina; imò

*In Cruce Salus & Redemptio.*

## iii. Idus Julii. Dies 13. ejusdem.

### *S. Anacletus Papa & Martyr.*

Sub Trajano Principe Naviculam Petri gubernabat Anacletus, qui sepulchrum ejusdem Apostolorum Principis egregie exornavit. Statuit inter alia, ut Clerici sacris Ordinibus à proprio Episcopo initiarentur, utque in Missa peracta

ordinatione ſactam Communionem univerſi reciperent.

Olim populus ille Hebræus biduanam & triduanam ſanctificationem præmittebat ſacrificio, veſtesque lavabat, ut eò purior ad divina accederet. (a) Diſce exinde, Sacerdos, lavare veſtimenta tua, ut mundus ſacrificium, non taurorum aut hircorum, ſed pretioſiſſimi Corporis & Sanguinis Domini offeras. Si enim populus ille absque veſtimentorum ablutione prohibebatur accedere ad hoſtias legales immolandas; tu illotus mente & corpore audeas divina tractare Myſteria, & pro alijs ſupplicare?

(b) Dolendum valde, & miſerandum ſuper tepiditate & negligentia noſtra, quòd non majori affectione trahimur ad Chriſtum ſuſcipiendum, in quo tota ſpes ſalvandorum conſiſtit, & meritum; ipſe enim eſt ſanctificatio noſtra, & Redemptio; ipſe conſolatio Viatorum, & Sanctorum æterna fruitio; hoc Sacramentum cœlum lætificat, & mundum conſervat univerſum.

Heu cæcitas & duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere, & ex quotidiano uſu ad inadvertentiam diffluere; ſi enim hoc altiſſimum Sacramentum in uno tantùm conſervaretur loco, & ab uno tantùm conſecraretur Sacerdote in mundo; quanto, putas, deſiderio ad illum locum, & ad talem DEI Sacerdotem homines afficerentur, ut divina Myſteria perciperent. Nunc autem multi facti ſunt Sacerdotes.

(a) *Ambr. l. 1. offic c. 50.* Kemp. l. 4.

dotes, & in multis locis offertur Chriſtus, ut tantò major appareat gratia & dilectio DEI ad hominem, quantò latiùs eſt ſacra communio diffuſa per orbem.

Gratias tibi, bone JESU, Paſtor æterne, qui nos pauperes & exules dignatus es pretioſo Corpore & Sanguine tuo reficere, & ad hæc myſteria percipienda etiam proprij oris alloquio invitare, dicens: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Super hac bonitate tua, & magna miſericordia confiſus, Domine, accedo æger ad Salvatorem, eſuriens & ſitiens ad fontem vitæ, egenus ad Regem cœli, ſervus ad Dominum, creatura ad Creatorem, deſolatus ad pium conſolatorem; certè hîc latet.

*Magnum myſterium, & admirabile Sacramentum.*

---

pridie Idus Julij. Dies 14. ejusdem.

*S. Bonaventura E. D. Ep. Card.*

VIrgini Deiparæ in paucis addictus ſanctus Bonaventura, author pulſus, quo ſub noctem ære campano monemur Mariam cum Angelo ſalutare. Cùm ex ipſo quæreret Doctor Angelicus, ex quibusnam libris tantum hauſiſſet ſcientiæ, quantum in illo ſuſpiciebat; Crucifixum exhibuit Bonaventura, verum utique purioris doctrinæ fontem. Supremum ritè decedentium Viaticum cùm ſumere haud poſſet, morbi ratione id prohibente, ſaltem pectori illud admove-

ri inſtantiſſimè rogavit; unde factum, ut in cor ipſum, non ſine ingenti prodigio, Pignus divinum penetraret.

Cecinerat olim Hymnographus Regius: os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Cor ſuum aperuit Doctor Seraphicus, ingenti exardeſcens deſiderio, Dominum ſuum ante obitum ſuſcipiendi; unde & attraxit illum. Certè ſi, Apoſtolo teſte, (a) verbum DEI pertingit usque ad diviſionem ſpiritûs & animæ, compagum quoque, & medullarum; quis thiretur, Verbum Patris, Filium Virginis, ſpiritum & animam diviſiſſe, compages quoque & medullas, atque ipſa præcordia ſolviſſe ac penetrâſſe?

Reverà quisquis devotè, ac cum fructu Corpus Chriſti ſumit, eandem ſpiritûs & animæ diviſionem ſentit ac experitur. Anima ſiquidem occupatur circa ea, quæ mundi ſunt; ſpiritus autem ſpiritualibus & ſupernis intendit. Quisquis igitur non manducat carnem Filij hominis, nec bibit ejus Sanguinem, non habebit vitam Chriſti in ſe, ſed vitam mundi hujus; qui autem manducat hanc Carnem, & bibit iſtum Sanguinem, habet vitam æternam, & reſuſcitabitur in noviſſimo die. Qui non manducat Carnem Filij Dei, remanet homo animalis, qui non percipit ea, quæ DEI ſunt; qui autem devotè & cum fructu manducat panem hunc divinum, unus fit ſpiritus cum DEO.

Tu,

(a) *Hebr.* 4.

Tu, JESU benigniſſime, virtute tua omnipotenti divide in me animam à ſpiritu, ut abſcedat vanitas, accedat veritas; ut tua me transformet charitas, totúmque divinum efficiat. Aperiatur cor meum, recipiat Chriſtum, & unum cum illo fiat. (a) Recollige me, pie JESU, recollige me in tuis viſceribus, & inebria me vulnerum tuorum ſacratiſſimo cruore: cùm enim quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis myſticè immolatur.

(b) Quotiescunque effunditur ſanguis Chriſti, inquit Seraphicus Bonaventura, toties in remiſſionem peccatorum effunditur; debeo proinde ſemper illum ſumere, ut ſemper peccata mihi dimittantur; qui ſemper pecco, ſemper debeo peccatorum adhibere medicinam.

Piiſſime JESU, cordi tuo intimè me commendo, qui cor tuum pro me aperiri voluiſti, ut aſylum mihi panderes. En viciſſim cor meum tibi pando; tu eò tunc præcipuè ſubingredere, quum ſacrum Viaticum ſum recepturus: tunc me cuſtodi, tunc robora; & animam è corpore exeuntem, in cor tuum recipe; es enim

*DEUS Cordis mei, & pars mea in æternum.*

---

Idibus Julij. Dies 15. ejuſdem.

*S. Henricus Imperator.*

RAro admodum exemplo virginitatem matrimonio junxit S. Henricus; quem nulla unquam regni

---

(a) *Aug. ſoliloq.*

regni negotia, nullus rei cujuspiam reſpectus impediêre à Templorum frequentatione; adeo ut urbem aliquam ingreſſus, non antea diverteret ad regiam, quàm Eccleſiam inviſiſſet: meruit proinde, ut in æde ſancti Michaëlis Archangeli in Monte Gargano concentus audiret Angelicos, & Romæ in Baſilica ſanctæ Mariæ Majoris ſpectaret Chriſtum, Pontificalibus indutum, ſacra Myſteria peragere; ubi Symphoniarchi cœleſtes primò decantârunt notum illud Miſſæ initium: Suſcepimus, DEUS, miſericordiam tuam in medio templi tui. Sub finem Evangelij cùm miniſter Angelicus librum Chriſto, ac dein ſanctiſſimæ ejus Matri exhibuiſſet oſculandum; hæc mandavit Angelo, librum eumdem etiam Henrico Cæſari ad oſculum porrigere, utpote cujus (ut ipſa aſebat) virginitas magnopere ſibi placeret. Sacro abſoluto Angelus idem Henrici, velut alterius Jacobi, femur tetigit; ex quo Imperator deinceps, quoad vixit, claudicavit.

Mè pigrum, cui non obſtant imperij negotia, ſed tepor animi, & negligentia, quò minùs DEO me in Eccleſijs frequenter ſiſtam, in quibus miſericordiam ipſius toties ſuſcepi; ac proin laudes divinæ ejus bonitati meritò decantare deberem, dum toties DEO per pœnitentiam reconcilior, & ſacratiſſimo ejus Corpore indies paſcor; dum paſſionis Dominicæ memoriam toties recolo, & in quavis neceſſitate tutum habeo aſylum, imò Regiam Sedem, in qua ſumma reſidet Majeſtas, quam innumeri cingunt ac

ado-

adorant Angeli, ſanctique Indigetes demiſſè venerantur. Hîc præſens adeſt beatiſſima cœlorum Regina; hîc Sanctorum corpora quieſcunt, eorumque memoria in benedictione eſt. Cur igitur Paradiſum hunc terreſtrem non ſæpius inviſo? Cur Domum & Eccleſiam DEI non frequento? Hîc Hoſtia illa digniſſima quotidie immolatur, quam tu, Pater æterne, de cœlo in terram miſiſti; quam in monte Golgothæo pro expiatione peccatorum noſtrorum clementer ſuſcepiſti; quam denique voluiſti ſub exilibus panis ſpeciebus usque ad conſumationem ſæculi nobiſcum commorari.

Hanc ipſam, Pater ſupreme, ſuſcipe eo amore ac gaudio, quo Filium tuum, de Regione mundi hujus ad Regnum tuum cœleſte revertentem, tibique omnem fructum Humanitatis ſuæ, & glorioſa carnis ſuæ vulnera offerentem ſuſcepiſti. Non recedent ab oculis tuis plagæ illæ ſacratiſſimæ; ut memineris, quantam ab eo ſatisfactionem pro peccatis noſtris receperis; inde miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam; miſerere omnium peccatorum, ac fidelium vivorum & defunctorum; da nobis omnibus veniam commiſſorum, & inſtilla cordibus noſtris affectum ad ſacras ædes tuas, ad loca habitationis tuæ; ut eligamus magis, ibi abjecti eſſe, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ita

*Replebimur in bonis Domûs tuæ.*

## xvij. Cal. Auguſti. Dies 16. Julij.

### *Commemoratio beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.*

QUotquot memoriam Virginis Deiparæ agimus hodie, gaudeamus, & Ipſam laudemus cum Filio, quæ in ſignum peculiaris tutelæ ac protectionis ſacrum Scapulare beato Simoni Anglico porrexit, patrocinium ſuum potentiſſimum omnibus ijs pollicita, qui in ſacrum hunc cætum legitimè ſuſcepti, modicas preces, abſtinentiámque exiguam obſervaturi, caſteque pro ſtatûs ſui conditione victuri eſſent; eosdem è flammis piacularibus quamprimùm liberari, piè creditur.

MARIA, Mater pulcræ dilectionis, ſanctæ ſpei ac miſericordiæ, altiſſimus meritorum Libanus, in quo puriſſimæ virginitatis lilium efloruit; reſpice de excelſo folio gloriæ tuæ in profundiſſimam miſeriarum mearum abyſſum. Tu hortus concluſus virginalis pudicitiæ, in quo floſculus illæ divinus aſcendit de radice humilitatis tuæ; en indigniſſimus ego præſumo florem hunc decerpere, dum Filium tuum in ſacra communione ſumo.

Tu terra omnium fertiliſſima, ex qua prodiit fructus ille nobiliſſimus, odore ſuæ Divinitatis, & colore Humanitatis, unà cum varijs gratiarum ac virtutum folijs, cœlum & terram implens: hic fructus ventris tui lætificat animam meam: inde

inde offero tibi, Pater æterne, Sanguinem Humanitatis, Verbo unitæ; eundem tibi offero, & Verbum æternum; offero illum tibi, ſancte Spiritus; teque demiſſè rogo, Maria Virgo ſanctiſſima, ut eundem Sacroſanctæ Triadi exhibeas.

O MARIA pulcritudinis miraculum, tu ſpecioſa formâ præ filiabus hominum; te amare ſemper magis magisque deſidero, ut à te ſuſcipi merear in ſervum, adoptari in filium, aſſumi in ſponſum, eligi in caſtum, fidelem, devotum, ac conſtantem tui amatorem. Gratulor tibi animitus, quòd ab æterno ordinata ſis, & delecta ad tantam dignitatem, quanta eſt DEI Maternitas, ad tantam gratiam ac gloriam, ut magna ſit in Hieruſalem poteſtas tua: eſto mihi benigna; & fac, ut oculis Filij tui placeam, gratiamque apud eundem per te inveniam, quæ invenisti gratiam apud DEUM. Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum, ſanctiſſima Virgo & Mater, Maria cœli Regina, porta paradiſi, mundi Domina; ora pro me miſero peccatore, maximè in hora mortis meæ; rege me, cœli terræque Regina; dirige me, ſtella maris, & illumina me, ut procelloſum mundi iſtius oceanum tranſiens, non patiar naufragium; ut fluctus non me abſorbeant, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum. Eſto mihi in turbulento iſthoc mari cynoſura; præfer lumen, & tenebras omnes diſcute; ſiquidem mundus totus in maligno poſitus eſt, & undique nos impugnat; dæmon ventos tentationum, paſſionúmque flu-

ctus excitat; caro libidinis æſtum ciet; eosmophili jam favore, laudibus, honoribus blandiendo nos extollunt; jam invidiâ, livore, detractionibus ac injurijs ad ima nos deprimunt; divitijs ac delicijs molleſcit & diſſolvitur animus, dum interim, quidquid mundus propinat, falſum ac vanum eſt, & quod delectat, momentaneum. Itaque, ô Domina, illumina oculos meos, ne videam vanitatem, nec unquam obdormiam in morte; illuſtra mentem, ne conſentiam; eſto dux vitæ meæ; ut tandem per te portum ſalutis attingam. Amen! ſiquidem tu es

*Mater divinæ gratiæ, Mater miſericordiæ.*

## xvj. Cal. Auguſti. Dies 17. Julij.

### *S. Alexius Conf.*

PRimâ nuptiarum nocte Sponſam ac parentes relinquens Alexius, Româ abijt Edeſſam; ubi inter mendicos delituit, quoad à Virgine Deipara proderetur. Inde reverſus in Urbem, in ædibus paternis angulum ſub ſcalis exoravit; ubi Parentibus & Sponſæ planè ignotus, totos ſeptemdecim annos inter varia famulorum ludibria exegit, ſub mortem denique ſuis cognitus ex ſchediaſmate, cui genus ac totam vitæ ſeriem inſcripſerat, & inter uberrimas parentum lacrymas cum Urbis totius admiratione honorifico tumulo conditus. Dum Edeſſæ moraretur, indignum ſe judicabat, qui ſacram ædem ſubiret: (a) unde in atrio,

(a) *Sur. hodie.*

atrio, ad exemplum publicani illius, à longè ſtantis; & nec oculos ad cœlum levare præſumentis, ſemper ſeſe continebat: hinc etiam, quoties orabat, faciem in manus demittebat; ne alió mens abſtraheretur. Hâc ratione annos ſeptemdecim transegit in veſtibulo Eccleſiæ, Virgini Matri ſacræ; à qua tandem etiam proditus eſt, quis quantúsque eſſet.

Quàm grata ſit DEO humilitas, typum nobis exhibet publicanus ille, qui præ Phariſæo juſtificatus in domum ſuam deſcendit. Hunc mihi ob oculos ponam, quoties contrito corde, humilique geſtu pectus tundendo dixero: DEUS clementiſſime, propitius eſto mihi peccatori. Per humilem ejusmodi peccatorum confeſſionem ſpero miſericordiam DEI; & per humilem acceſſum ad ſacrum Altare gratiam Domini me obtenturum confido; nempé ibi mundor, hîc paſcor; ibi veterem hominem exuo, hîc induo novum; ibi vitia depono, hîc virtutibus exornor; ibi deſino inimicus eſſe Chriſti, hîc incipio amicus ejus eſſe; ut verò utrumque magis ac magis conſequar, ſemper etiam magis me humiliabo, indignum me æſtimans, qui conſpectum DEI ſubeam; præterea oculos claudam, ut abſque ulla animi evagatione orans, DEO liberiùs vacare poſſim; oculos demittam, indignus, qui cœlum ſuſpiciam, Sanctorúmque in Eccleſia imagines; percutiam pectus meum, & cum Seraphico Franciſco dicam; quis ſum ego, Domine, & quis es tu? ego peccavi ſuper numerum arenæ maris,

& multiplicata ſunt peccata mea; & non ſum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ; quoniam irritavi iram tuam, & malum coram te feci, Domine, indignus, vocari filius tuus.

(a) Domine DEUS noſter, panis cœleſtis, & vita univerſi; peccavi in cœlum, & coram te; ideo non ſum dignus particeps fieri tuorum immaculatorum Myſteriorum. Tu, miſericors DEUS, dignum me fac gratiâ tuâ, ut citrà condemnationem ſumam ſacratiſſimum Corpus & Sanguinem tuum in remiſſionem peccatorum meorum, & in vitam æternam. Amen. Ita fac, Domine, qui

*Humilia reſpicis, & alta à longe cognoſcis.*

## XV. Cal. Auguſti. Dies 18. Julij.

### *S. Fridericus Epiſc. & Mart.*

MItram Trajectenſem invitus ſuſcepit Fridericus, nec antè, quàm DEI voluntatem prolixâ oratione exploraſſet. Magni Baptiſtæ æmulus, dum effrænem Regis libidinem liberè arguit, à pellice ejuſdem ad necem quæritur: Quod divinitùs agnoſcens, ad agonem generoſè ſe accinxit, & Sacrum pontificijs indutus veſtibus devotiſſimè obtulit; inde cùm DEO agonem ſuum in quodam divi Joannis oratorio commendâſſet, ſicarios admiſit; à quibus graviſſimè ſauciatus, in tumulo ſeipſum compoſuit, poſtea-

quam

(a) *Orat. S. Matth. Apoſt.*

quam regni, ob Regis ac Reginæ flagitia, excidium prædixiſſet.

Conſilium intrepidi hujus Pugilis documento mihi ſit, nil unquam gravioris momenti aggredi priùs, quàm DEO fuſis coram ſacratiſſima Euchariſtia precibus rem totam commiſerim; ſiquidem divinæ ejus voluntati eventus omnes, ſive proſperi, ſive adverſi ſunt committendi: Ut proinde ſanctiſſima hæc voluntas eſſe debeat prima regula, & menſura agendorum. Sæpè enim via, quæ homini, ob propenſionem ad eandem, videtur bona, noviſſimè ad interitum ducit. DEO itaque relinquenda omnia, qui ſolus novit exitus viarum. Mortem porro meam, & agonem ultimum, cui rectiùs commendem, quàm Chriſto, ſub velo Euchariſtico latenti, ſupremo æternitatem adeuntium Viatico, cujus ope tunc ſpero perperàm admiſſorum veniam, roburque ac conſtantiam contra omnes dæmonum inſultus? neque grave erit, naturæ debitum exolvere ejus amore, & ad implendam ejus voluntatem, qui amore mei in Cruce mortuus eſt. Itaque jam nunc pro illo articulo ſpero in miſericordia tua, cujus non eſt numerus; confido in morte ac vulneribus tuis, intra quæ tum abſcondi rogo contra tela nequiſſima adverſarij; jam nunc te oro, JESU pijſſime per amorem illum, quo languores noſtros tuliſti, ac portâſti dolores, patientiam tunc largire, ut momenta ſingula, quibus morbum ſupremum, & agonem paſſurus ſum, ad honorem tuum, meúmque profectum

fectum cedant, fiatque in me id, quod immensa charitas tua ab æterno ordinavit. Insuper magnum in me succende desiderium tui æternum videndi; ut tuus ex asse sim in tempore & æternitate, qui

*Præcinxisti me virtute ad bellum.*

---

## xiv. Cal. Augusti. Dies 19. Julij.

### *S. Arsenius Eremita.*

HOnorij & Arcadij Cæsarum Moderator erat Arsenius; qui, expendens tritum illud: exeat ex aula, qui cupit esse pius, dum secum deliberat, vocem audijt sibi dicentem: Arseni, fuge, tace, quiesce. Fugit itaque in solitudinem, ibique tacendo quievit, assiduò plorans; ejusque rei causam rogatus, mortis horam se timere respondit.

Quomodo ego me sisto DEO meo, dum in Altari eidem assisto? anne ardet amore cor meum? an ipsi me unire contendo? an in pios affectus & sancta desideria prorumpo? Heu me! percussus sum, & aruit cor meum, dicèt quotidie comedam panem meum; non caleſio, licèt igni proximus; quamvis soli divino expositus, tamen cæcutio; coram tremenda majestate compareo, nec tamen colligor animo; ipsius DEI, Regis Regum, oculos subeo, sed corpore tantùm, non mente, verè eorum socius, de quibus ipse queritur apud Prophetam: populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me, ibi nempe,

nempe, ubi amat, non ubi animat. Et quamvis cum DEO agam aliquantiſper, mox tamen ad alia mente abeo. Etiam perfidus ille Iſcariothes præſens aderat, cùm corpus ſuum diſcipulis in ſuprema cæna traderet JESUS; ſed mente aberrat, agebátque cum Judæis, quibus Magiſtrum erat traditurus. Unde Chriſtus eum compellans, quod facis, inquiebat, fac citiùs. Rectè Orator áureus: (a) niſi exiſſet, proditor factus non fuiſſet; niſi ſeipſum extra ovile proripuiſſet; non eum lupus ſolum offendiſſet. Proinde non exibo ego poſt divini iſtius Myſterij perceptionem; quin totus animo collectus audiam, quid loquatur in me Dominus; econtrà exibo de terra mundi hujus, exibo de cognatione affectuum terrenorum, de domo patris mei Adæ; exibo à me ipſo, & amore proprio ac concupiſcentijs omnibus: fugiam cum D. Arſenio inquinata mundi iſtius habitacula; tacebo cum eodem, niſi loqui me cogat neceſſitas, aut charitas; quieſcam in ſolo DEI amore, & proximi charitate. Ita neminem timebo, neque viciſſim me timebit quisquam: timebo verò eum, qui corpus & animam perdere poteſt in gehennam. Timuit divus Hieronymus vocem illam terrificam: Surgite mortui, venite ad judicium. Timuit Arſenius horam mortis ſuæ; & ego peccator non timeam, quod ſancti ipſi horruerunt? Omnino timebo; & ſalutari hoc metu concuſſus, obediam voci Angelicæ, dicenti Arſenio:

*Fuge, tace, quieſce.*



(a) *Hom. de S. Joan. Bapt.*

## xiij. Cal. Auguſti. Dies 20. Julij.

### *S. Margaritæ Partheno-Martyr.*

PEr ignem & aquam tranſivit glorioſa hæc Virgo, ut in refrigerium educeretur. Virgis cæſa, uncis laniata, in carcere ſolatium ac ſanitatem divinitùs recepit. Dæmonem, ſub draconis ſchemate apparentem, ſolo Crucis ſigno fugavit. Tandem de morte etiam triumphans, ad ſponſum abijt coronanda, quia legitimè certaverat. Alterius quoque Margaritæ hodie meminit Eccleſia, (*a*) Iprenſis dictæ à patria; quæ etiamnum quadrima, ſanctimonialibus divi Dominici tradita eſt, ut aleretur, pieque educaretur. Hæc aliquando, cùm Sorores à ſacra menſa recederent, cœleſtem eas odorem ſpirare ſenſit: quare ingens mox concepit deſiderium, Corpus Dominicum ſuſcipiendi; proſtratâque ad pedes ejus, quæ vices ſuperioris tum agebat, humillimè rogavit, liceret ſibi ad menſam cœleſtem accedere, cujus effectum adeo mirabilem experta eſſet. Impetravit, quod rogaverat; & mox omnibus nugis, ei ætatulæ proprijs, generoſè ſeſe abdicans, in omni virtutum genere ſedulò ſeſe exercere cæpit.

Meritò mihi objicit Chryſoſtomus: (*b*) menſâ ſpirituali frueris; unguento ungeris; & fætore rur-

(*a*) *Martyrol. Gallic. & Diar. Dominic.* (*b*) *Hom. 16. ad Pop.*

rursum impleris? Nónne hoc est margaritas projicere ante porcos, & sanctum canibus dare? nónne hoc est sacratissimum Christi Corpus in cloacam fætidissimam cordis, omni scelerum sorditie scatentis, compingere? O me impium, & deploratum Sacerdotem! Vos, pretiosæ Margaritæ, quæ nitorem vestrum nunquam amisistis, miserum precibus vestris juvate. Fuit tentata per omnia, sancta Wilgefortis, & ipsa Partheno-Martyr, (a) quam hodie pariter recolit Ecclesia; fuit, inquam, tentata pro Deo, & pudicitia; sed crucem potiùs, & in ea non acerbam minùs, quàm ignominiosam mortem elegit, quàm fidei & castimoniæ jacturam. Ego econtra vix leviter tentatus, ad vomitum redeo, & peccata priora, acsi ea nunquam planxissem.

Tu, Domine, indue me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumda me; trade auribus meis inæstimabiles margaritas; circumda me vernantibus atque coruscantibus gemmis, & sanguine tuo orna genas meas, ut nullum præter te amatorem admittam. Fac, ô Sponse castissime, ut anima mea vestiatur augmento fidei, spe heroicâ, & operibus sanctæ ac fervidæ charitatis: Vestiatur tanquam Sponsa regio meritorum tuorum ornatu; & induatur purpurâ sacræ passionis tuæ. Quis mihi det te Fratrem meum, ut inveniam te in Sacramento Altaris, & apprehendam te summo charitatis affectu, certâ spe, & vivâ fide; & sic introducam te in domicilium cordis mei,



(a) *Sur hodie.*

& in intimum animæ meæ cubiculum, ubi efficaciter audiam vocem tuam, quâ me, & omnes ad te accedentes compellas, uti quondam Auguſtinum tuum:

*Tu mutaberis in me.*

## xij. Cal. Auguſti. Dies 21. Julij.

### *S. Daniel Propheta.*

DAniel, vir deſideriorum, ſanctionem Regiam, quam prævaricari nulli erat licitum, & certum mortis diſcrimen nihil moratus, ternâ indies vice (a) apertis feneſtris contra Jeruſalem adorabat genuflexus, & confitebatur coram DEO ſuo, prout alias conſueverat. Eum imitati Sodales, cùm juberentur ſimulacrum aureum, à Nabucodonoſore poſitum adorare, magno animo reſponderunt: (b) Notum ſit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus; & ſtatuam, quam erexiſti, non adoramus. Ita videlicet probatio dilectionis exhibitio operis eſt.

Quid tu faceres, anima mea? nónne contremiſceres tota, audiens edictum, verum DEI cultum prohibens ſub comminatione ſupplicij tam diri, quale Daniel, utut innoxiè, expertus fuit? nónne exhorreres ad minas ſuccenſæ fornacis, intentatas tibi, ſi ſtatuam quampiam divinis honoribus colere detrectares? Quâ animi firmitate fidem, amoremque tuum DEO probares, dum levis quisque flatus tentationis, imò unicum, quo

(a) *Cap. 6.* (b) Dan. 3.

quo ab alijs pungeris, dicterium ſufficit, ad te à conceptis bonis propoſitis, à cultu DEI, ac devotione dejiciendum?

Hâc die, divæ Mariæ Magdalenæ profeſtâ, tres beatorum Ordines vidit ſancta Franciſca Romana. Primum ductabat ſanctus Joannes Baptiſta; alterum vir quidam, ſenio venerandus; tertium denique ipſa ſancta Maria Magdalena; intellexitque memorata ſuperiùs Franciſca, hos eos eſſe Sanctos, qui in amore DEI præ alijs eminuêre. Addidit Magdalena triplex monitum, ità alloquens Franciſcam: qui in amore DEI creſcere volunt, debent inprimis exuere omnem affectum ad quamcunque creaturam, nudíque ſequi nudum Chriſtum: ſecundò odio habere perpetrata peccata, eáque adinſtar juſtitiæ divinæ in ſe, & corporibus ſuis punire: tertiò contumelias, & adverſa omnia invicto animo ſuſtinere.

Quanta generoſitate primum ex dictis monitis adimplevit nunquam ſatis laudandus Propheta Daniel; dum omnem depoſuit affectum erga Regem, à quo ad ſumma Regni munia promotus fuerat, imò omnem etiam affectum extit erga ſeipſum, & vitam propriam, maximum, quod in terra habeamus, bonum. Alterum monitum optimè obſervavit ipſa, quæ illud Franciſcæ dedit, Maria; lacrymis amariſſimis eluens peccata, quæ admiſerat, eáque in corpore ſuo caſtigans, quoad ſupervixit; præterea inſectationes, & odia Judæorum, imò adverſa quævis infracto animo toleravit, prout tertio loco monuerat faciendum.

Hos ergo juvat imitari Sanctos, has virtutes æmulari. Ecce, Domine, propter te omnem pono affectum ad quamlibet creaturam; neque ullam jam diligo, niſi propter te, & in te. Iniquitates meas, peccata & ſcelera, deteſtor, abominor, & odio habeo; quia diviſerunt inter te & me; ea proin ſeverè in me plectere ſtatuo; illatas etiam injurias, & adverſa omnia patienti animo feram, in illorum ſatisfactionem: Tu, JESU, cuſtodi hanc bonam voluntatem, & robora illam ſigillo charitatis tuæ; junge cerâ ſanctæ ſpei, & imprime ſignaculum fidei; gratiam item largire, hoc animi decretum innovandi, quoties ſacra Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Myſteria frequento; ut anima mea, aliquando verè purgata, reipſâ demonſtret, quòd

*Probatio dilectionis exhibitio operis ſit.*

---

## xi. Cal. Auguſti. Dies 22. Julij.

### *S. Maria Magdalena.*

CHriſti, dum in terra degeret, individua ſocia, diſcipula ac famula fuit Magdalena, in cœlis dein facta omnium peccatorum ac pœnitentium advocata. Porro quamvis ex ipſo Veritatis ore audiſſet ſibi remiſſa peccata; attamen in horridum ſeſe ſpelæum abdidit poſt Servatoris ad cœlos reditum; ubi coram cruce, ab Angelis illic poſita, ipſis triginta & tribus annis pœnituit, ſepties de die in altum ab Angelis elata, ubi cœleſtem ſymphoniam audivit. Tandem

lem ab ipſo divino Magiſtro munita ſacro ritè morientium Viatico, in eodem ſpelæo deceſſit.

Quantus ſanctæ iſtius Pœnitentis erga Chriſtum amor, quanta cura, ſacratiſſimæ ejus Humanitati impenſa? (a) Alacri animo venit ad Redemptorem, cernens eum in menſa cum Phariſæo; non quæſivit micas, ſicuti Chananæa, ſed ipſum vitæ panem; ad pedes enim ejus ſe proſtravit, vim lacrymarum fudit, capillis pedes lotos exterſit, & unguento pretioſo inunxit.

Actus iſte heroicus, humilis hæc ſubmiſſio, doctrinæ locò ſerviat mihi, qui ad convivium longè dignius, quàm fuerit illud Phariſæi, quotidie accedo; diſcámque, priùs ad Chriſti pedes me abjicere, quàm accumbam. Cecinit olim de ſe Vates regius: exitus aquarum deduxerunt oculi mei; & quam ob cauſam? quia non cuſtodierunt legem tuam. Deducam & ego, ad pedes Domini mei provolutus, exitus lacrymarum, qui leges ejus ſanctiſſimas toties, támque graviter fui transgreſſus. Expandam capillos capitis mei; cogitationes quasvis, altum ſapientes evellam, abſcindam ſuperflua omnia, & in abyſſum vilitatis ac nihili mei me demittam. Proferam dein unguentum pretioſum, unguentum optimum amoris DEI, quo nihil Chriſto gratius, quóque & ipſe, & omnia, quæ ipſius ſunt, emi poſſunt. O felix pœnitentia, quæ & crimina deles, & Chriſti gratiam perditam reducis. Gratias tibi, benigniſſime JESU, ago pro illis pietatis operibus,

(a) *Joan. Chryſ. t. 6. ſerm. in peccat.*



lrymas veræ pœnitentiæ mihi concedat
mumque amorem in corde meo ſuccend
netis. Beata fuit Magdalena, cui Chriſt
ſummus Sacerdos, ſupremum Viaticum p
adſis mihi, ô Diva, in ultimo agone,
ſtum hinc mecum auferam, eſque imm
in cœlum tollor; ubi tecum

*Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

---

x. Cal. Auguſti. Dies 23.

*S. Apollinaris Epiſc. & Mart.*

HOrrendum eſt, quod hâc die acci
Sacerdos quidam, ob incontinen
piùs admonitus, ſerió tamen reſipiſcer
in agrum exierat, equum ſuum curatur
ſubitò exortâ tempeſtate fulmen in eum
miſerúmque exanimavit, corpore qui
læſo, niſi quòd verenda ex more fuer

(a) Mundis volebat tractari manibus in præ-
io positus Servator noster; quantò majorem
nc corporis sui vult adesse munditiem jam pa-
næ Majestatis gloriâ sublimatus? Pauper Chris
s de seipso dicebat: volucres cœli nidos ha-
nt; Filius autem hominis non habet, ubi ca-
t suum reclinet; Sed quando Sacramentum Al-
is instituit, non amplius pauper, sed splendidus
parere voluit; delegit enim cœnaculum gran-
, magnificum, stratum lapidibus, ubi pascha
m Discipulis manducaret, indicans, velle se in
cipiente summum illud Mysterium habitaculum
ride, & apparatum. Pari ratione præmisit
scipulos, qui omnia pararent, monens te,
isquis es DEI Sacerdos, ut præpares te ad tre-
endum illum accessum, & Convivium Angelo-
m. Audi verba Christi de memorato suprà
cerdote, cùm Virgo Mater conaretur. pijssimâ
tercessione suâ animam ejus ab æterna damna-
ne eripere: (b) quamvis me sumpsit continuò,
n tamen ex hoc multùm meliorabatur, quia
n se præparavit, ut debuit: qui enim vult col-
ere hospitem bonum, aut Dominum, præpa-
re debet non solùm hospitium, sed & omnia
ensilia; iste autem etsi mundavit domum, non
men scopavit eam reverenter, nec pavimentum
avit virtutum floribus, nec utensilia membro-
m suorum implevit abstinentijs; ideo quid ei
ciendum sit, & quid promeruerit, satis vides.

Quàm

(a) *Petr. Dam. Opusc. 17. c. 3.* (b) *eodem lib. cap.*



corde Arcam DEI reponunt, quo Dagon dem ſtatuerant. Time, anima mea, tremiſce ad judicia DEI, quæ ſuns abyſſi Puris manibus, & mundo corde ad ſa tare accede. O JESU piiſſime, qui ſubire pro me in cruce dignatus es, pandiſti manus tuas, ut me eriperes à & ereptum ſalvares; cùm veneris judica ah noli me condemnare. Fateor, op vator, quòd ſæpiùs indignè te tracta ſacro Altari; quòd eò acceſſerim absqu præparatione; ac proinde graviſſima denda ratio; cui enim amplius commiſſi etiam requiretur ab eo: porro miniſter nius ac ſublimius nullum eſt munere Sac Fac itaque, Domine, bonum me, & Altaris tui miniſtrum, qualis erat div linaris, ſancti Petri diſcipulus, qui pote

ix. Cal. Auguſti. Dies 24. Julij.

*S. Chriſtina Virgo & Martyr.*

CAtechiſmum Angelo inſtituente didicit Chriſtina; quid proinde mirum, adeo fidei ardore fuiſſe ſuccenſam, ut non dubitârit argenteas Patris ſimulacra commnuere, & in pauperes erogare? Eapropter laxo ad collum alligato in ſtagnum projecta fuit, ſed inde ab Angelo exepta. Sub hæc dies quinque in ardenti fornace tranſegit incolumis; inde devictis ſerpentibus, & linguâ abſciſſâ, telis tandem confoſſa, tot aucta palmis ad Sponſum tranſivit.

Magna operatur charitas, & admiranda; imò niſi talia operetur, charitas non eſt. Hâc animatus dixit gentium Apoſtolus: in quo quis audet, audeo & ego. Hâc ſuccenſus magnus ille Ignatius, liberè edixit, nullo ſuppliciorum genere Chriſtum ſibi è corde eruendum. Hâc patiter exarſerat Petrus, divi Dominici Alumnus; de quo ejus Ordinis Ephemerides hâc die referunt, cum anno æræ chriſtianæ primo poſt milleſimum quingenteſimum Capuam explicarent milites hæretici, eorum quoſdam in Eccleſiam ſuprà dicti ſancti Patriarchæ irrupiſſe, ſacramque Hierothecam inde abſtuliſſe, Hoſtijs hinc inde diſperſis: tum Petrum, Zelo tanti Myſterij actum, in terram ſeſe abjeciſſe, ut ſacra, tam contemptibiliter habita, vel tegeret, vel colligeret: ſuſpicatos initiò prædones, eum aurum aut argentum petere,

petere, impetum in ipſum feciſſe; ſed cùm nihil tale cernerent, virum ſanctum trucidâſſe.

Quid acturus ego eſſem tali rerum eventu? ánne idem mihi, cum fervido iſthoc Religioſo animus? an vitam amore vivifici iſtius Sacramenti profundere paratus eſſem? Heu quantum ad conſpectum hjusmodi hominum barbarorum trepidarem! quantum expaveſcerem ad ſtrictos eorumdem gladios! Eſto tamen, timeat in ſimilibus debilis natura; at pellit timorem charitas, & foras mittit; animitus proin deſidero, pro honore diviniſſimi iſtius myſterij Sanguinem ac vitam profundere. Liceat mihi, ô JESU, amor meus, & omne bonum meum, ad hæc vota eſſe beato! paratum cor meum, DOMINE, paratum cor meum: feriat hæreticus fidei cauſâ damnatum capitis; non intrepidus tantùm, ſed & intimò perfuſus ſolatio cervicem præbebo.

Accipé, JESU amantiſſime, hocce deſiderium meum, ex imo cordis profectum; illúdque, in corde tuo dulciſſimo ab omni depuratum imperfectione, unà cum ſanctiſſima paſſione ac morte Patri tuo exhibe in remiſſionem peccatorum meorum, quæ

*Operit charitas, & timorem pellit.*

---

viij. Cal. Auguſti. Dies 25. Julij.

## *S. Jacobus Apoſtolus.*

JOannis Evangeliſtæ frater Germanus erat divus Jacobus, qui Virginis Deiparæ, etiamnum in terris

terris degenti, ſacellum ſtruxit Cæſar-Auguſtæ in Hiſpania, vulgò *Neuſtra Sennora del Pilar de Zaragoca* nuncupatum; ubi ſacratiſſimam Virginis ejusdem imaginem columnæ impoſuit eo ſchemate, quo ſibi conſpexerat apparentem. Juvenem, ad tumulum ſuum peregrinantem, & in itinere absque culpa ſuſpenſum è furca, vivum diu ſervavit idem beatus Apoſtolus, ac mœſtis parentibus incolumem reddidit: Carolo Magno, aliſque in ſupremo agone adfuit, primus ex Apoſtolis, qui vitam pro Magiſtro dedit.

Sancta Gertrudis, magnum hunc Apoſtolum peculiari hodie ratione deveneratura, ſacratiſſimum Domini Corpus eidem obtulit in Communione, inde digna, quam ipſe cœleſti viſione recrearet.

Et cur hâc potiſſimùm devotione ſanctum Apoſtolum coluit Gertrudis? Cur non certas in ejus honorem preces perſolvit? Cur non aliquam corporis afflictationem ipſi obtulit? Ita enim de proprio aliquid obtuliſſet, ſecus, ac contingit in ſacræ Communionis oblatione.

Sed iſi, verum fateri velimus, ſacra Communio eſt quædam peregrinatio, quâ homo greſſibus ſanctorum affectuum è terris in cœlum abit, ibique DEUM in Sanctis ſuis veneratur. Appoſitè Chryſoſtomus: propterea Judæi, exituri de Ægypto, expediti & præcincti, & ad exeundum parati, juſſi ſunt manducare Agnum Paſchalem; ut oſtenderetur nobis, quemadmodum, quicunque noſtrûm Agni Euchariſtiam manducare volunt,

ita debent esse expediti, quasi exituri simus de hoc mundo. Nemo, teste Augustino, digne accipit, nisi qui transit: unde pascha transitus dicitur. Et si rem penitiùs considéro, transitûs istius, ac peregrinationis exemplum mihi exhibet Salvator ipse; qui amore mei cœlo profectus, peregrinus factus est in hoc mundo, ac formam servi accepit. Imò, quod stupendum amplius, quotidie adhuc cœlo descendens, in manus meas delabitur: Inde condecens omnino est, ut ego quoque amore ipsius terram relinquam, ac cœlum petam; idque tum potissimum, dum eum intra viscera recipio, quem cœli cœlorum non capiunt. Tu, Domine, dux viæ mihi esto; tu languentem in itinere refice; stimula hæsitantem; cadentem erige, sustenta deficientem: ut, postquam viam hanc decurrero, tecum, & cum omnibus Electis tuis quiescam: nam

*In hoc mundo peregrinamur à Domino.*

---

## vij. Cal. Augusti. Dies 26. Julij.

### *Gloriosa Mater Anna.*

Adeamus hodie cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur in auxilio opportuno. Et quodnam opportunum magis, quàm dum Filium DEI inter homines invenimus in sinu magnæ Aviæ suæ, sanctæ Annæ? ô quàm verum, delicias ipsius esse cum filijs hominum! Ita me docet sancta Gertrudis, cui Christus, quo-

queſtus de aliquorum in frequentanda ſacra ſy-
axi negligentia, dixit: ſcias, delicias meas eſſe
cum filijs hominum; hunc enim in finem Corpus
meum eis reliqui, ut videlicet eſſem cum illis
usque ad conſummationem ſæculi: qui ergo o-
mittit frequentare hoc Sacramentum, privat me
gaudio illo, quo cupio inhabitare illius animam;
non ſecus ac Moderator alicujus Principis, cui
negat converſationem cum pueris, ſuâ ſorte in-
erioribus, quos appetit.

O mira dignatio, humanum tranſcendens in-
tellectum, quòd Dominus immenſæ Majeſtatis de-
lectetur cum filijs hominum! Quid enim eſt ho-
mo, quòd memor es ejus? aut filius hominis,
quia reputas eum? ô me tepidum! deſiderio
deſiderat pijſſimus Dominus, Paſcha mecum man-
ducare; & ego tepidiſſimè, ac ex conſuetudine
potius, quàm vera devotione, ad Menſam divi-
nam accedo! dignatur Rex immenſæ ac æter-
næ Majeſtatis delectari cum infimo terræ vermi-
culo; & ego ſolo corpore fere præſens, men-
tem ad alia omnia diverto! Sint, ah JESU bpti-
me, ſint meæ quoque deliciæ, eſſe tecum, te-
cum epulari, & in te delectari. Tu, magna
Chriſti Avia, Anna ſanctiſſima, accende cor
meum igne divini amoris, teporem excute, re-
voca mentem: & cùm caro Filij DEI aliquâ ra-
tione ex te procedat; fac, ut ego quoque,
carne eâdem mediante, Filio DEI, Nepoti tuo
ſacratiſſimo, Mariæ, filiæ tuæ, ac tibi, cliens
devotiſſimus conjungar; ſintque æternum

*Deliciæ meæ, eſſe vobiſcum.*

vi. Cal. Auguſti. Dies 27. Julij.

*S. Pantaleon Martyr.*

EXpertus quidem erat Medicus divus Pantaleon; plus tamen operæ dedit ex invocato JESU Chriſti nomine, quàm pharmacis ſuis. Patrem ſuum eidem genuit per Evangelium, novo miraculo, & naturæ incognito. Ejuſdem amore ignes, oleum bulliens, laminas ardentes, rotas, & aquas tulit, ab ipſo Chriſto animatus in carcere; inde caput ſecuri facilè ſubmiſit, non tamen cruorem, ſed lac, innocentiæ ſymbolum fudit.

Medicinam carnalem corpori meo non exhibebo hodie, neque Galeni alicujus, aut Hipocratis conſilia prenſabo anxius; Eccleſiam DEI potiùs adibo, & Corpus Dominicum, à quo virtus exit ad ſanandum omnes.

JESU, ſalus & ſanitas animæ meæ, tibi gratulor de tot ſignis ac prodigijs, à te perpetratis: Verè multa bona opera operatus es nobis; nec opus eſt multa tibi loqui; tu enim ſcis, quid eſt in homine. Tu ſcis vitæ meæ conditionem, & ſtatum infirmitatis meæ; nota tibi ſunt peccatorum meorum vulnera; ulcera negligentiarum mearum, & acediæ non ſunt tibi abſcondita; non latet te affectuum pravorum in me corruptio, & defectuum quotidianorum malignitas *tibi patet*; ſcis, Domine, quantum vermis conſcientiæ intricatæ me rodat, quantúmque cruciet,

ter, utpote jure dubius, amorene an odio dignus ſim, imò incertus, annò ſuperſit mihi utilitas in pretioſiſſimo Sanguinis tui Alexipharmaco; dum de corruptione deſcendo in corruptionem, & utinam non in æternam damnationem!

Ad te igitur, Salvator pijſſime, ad te accedo lethali preſſus infirmitate; tu Medicus es, & medicina ſacratiſſimum Corpus tuum. Ita ipſe teſtatus es filiæ tuæ Birgittæ, quando dixiſti: (a) Ab iſto die volo, ut recipias frequentiùs Corpus meum; hoc eſt enim medicamentum & cibus, de quo anima confortatur, infirmus in anima, & debilis in virtutibus convaleſcit. Nunquid non ſcribitur, quòd propheta mittebatur ad mulierem, quæ pavit eum modicâ farinâ; quæ non minuebatur, uſque dum pluvia venit ſuper terram. Ego ſum Propheta ille: Corpus meum eſt farina, quæ non conſumitur, licèt cibet ſemper animam. Cibus corporalis tria habet: Primò contritus liqueſcit; ſecundò annihilatur; tertiò cibat tantùm ad tempus: ſed meus cibus teritur, & manet integer; non annihilatur, ſemper idem; & cibat non ad tempus, ſed æternaliter, ſicut promiſi in Evangelio. Proinde ſicut æger creſcit ad fortitudinem virium per corporalem cibum; ſic omnis, qui Corpus meum cum bona intentione ſumit, creſcit ad ſpiritualem fortitudinem. Ita fiat, Domine, ita fiat in me per tuam infinitum miſericordiam!

*Sana me, Domine, & ſanabor.*



(a) *Revel. l. 6. c. 19.*

## v. Cal. Auguſti. Dies 28. Julij.

### *S. Simon Monachus.*

ACcedamus cum fiducia, inquid Apoſtolus, ad Thronum gratiæ, ut miſericordiam inveniamus in auxilio opportuno. Hâc certè fiduciâ Simon Monachus Placentiæ acceſſit aliquando, & nocturno quidem tempore, templum divi Sixti, DEUM Euchariſticum è porticu exteriore adoraturus; & en DEI gratiam! ſiquidem valvæ templi prodigioſè patentes, ad ingreſſum, propiorémque acceſſum ipſum invitârunt.

Simile prodigium indignus ego nullarenùs mereor; quin imò jure vereor, ne accedente me ad ſanctuarium, etiam lapides clament: foris canes!

JESU, cordis deliciæ, ac divitiæ animæ meæ! utinam tibi, in auguſtiſſimo Altaris Myſterio præſenti, cum creaturis omnibus diu noctúque ſervire, te laudare, adorare, ſemperque tibi intentus eſſe poſſem! utinam (quod fecerunt Sancti & Electi tui) diu noctúque tibi ſoli, unico ac ſupremo Domino meo viverem; de die quidem, te laudando, ad te orando, pro te laborando, te prædicando; de nocte verò, per rerum cœleſtium contemplationem in te ſuaviter conquieſcendo, in conſpectu Angelorum tibi pſallendo, & in ſinum amoris tui me reclinando: utinam totâ die memor tui eſſem cum Vate regio, de ſe afferente: memor fui DEI; & delectatus ſum

& exer-

& exercitabar, & ſcopebam Spiritum meum; de nocte verò, utut dormiret corpus, cor tamen vigilaret ad te, JESU amantiſſime, qui ſol es juſtitiæ, diem illuminans, & noctis tenebras eliminans: itaque illumina vultum tuum ſuper me, ne unquam obdormiam in morte.

Meminit hodie Menologium Benedictinum Venerabilis Beatricis Brabantinæ; quæ inter alios affectus ferventiſſimos, ita aliquando ad Sponſum cœleſtem ſuſpiravit: (a) fœdus ineamus, ô amor animæ meæ, ut de cætero haud ampliùs dividamur, ſed veraciter uniamur. Quo autem fortiori glutine, niſi Corpore & Sanguine Domini? ſiquidem (b) unicuique fidelium Chriſtus per myſteria ſe commiſcet, ut, quos genuit, per ſemetipſum enutriat. Accedamus itaque & nos ſimili alacritate ad ubera ſpiritalis poculi: accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam inveniamus in auxilio opportuno.

Cupiebat Herodes impius ſignum videre à Chriſto; nil tamen obtinuit, interim ipſo conciliante in amicitiam cum Pilato redijt. Hoc ſi Chriſtus præſtitit hoſti illudenti, quid denegabit humiliter deprecanti? certè etſi negaverit, quod petitur; aliud tamen, quod expedire ipſe noverit, largietur. Itaque accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ,

*Ut miſericordiam conſequamur in auxilio opportuno.*



(a) *In vita.* (b) Chryſoſt. Hom. 61. ad Popul.

## iv. Cal. Auguſti. Dies 29. Julij.

### *S. Martha Virgo.*

PRo Chriſto hoſpite ſolicita erat Martha, digna proinde cujus curam viciſſim ſuſciperet Chriſtus; qui morienti unà cum ſorore Magdalena apparens dixit: veni hoſpita mea dilectiſſima; quemadmodum tu quondam tuâ me domo recepiſti, ſic & ego te recipiam in cœleſtem domum meam.

Utinam & ego dignum me redderem, ut audirem verba illa melliflua in ſupremo agone meo: quia quotidie recepiſti me in domum tuam, in hoſpitium cordis tui; & ego te in æterna tabernacula recipiam!

(a) Non veſtrûm quis dicat: beati, qui Chriſtum ſuſcipere in domum ſuam meruerunt: noli dolere, quando jam Dominum non vides in carne; non abſtulit tibi hanc dignationem: nónne vides ipſum, licèt ſub ſpecie panis occultatum, puriſſimis fidei oculis? nónne manibus contingis? nec ſolùm, uti Martha, & alij, intra muros domûs materiales, ſed in interioris domûs recipis hoſpitio? Porro (b) hoc agnoſcito, nunquam hoſpitium cordis tui Dominum JEſum intraturum, niſi hoſpitem animam invenerit. Hæc ſi foris evagetur, ingreſſum differt, donec hoſpita redeat; ſi ergo ipſum hoſpitem deſideras, noveris & tu teipſum inhabitare.

JE-

(a) *Aug. ſerm.* 26. de Verb. Dom. (b) Auguſt.

JESU clementiſſime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium, quas tibi referam gratias, quòd indies inviſere me digneris. Tu æterna Sanctorum beatitudo, & gaudium Angelorum, viliſſimam cordis mei domunculam non abhorres. Jubes equidem (*a*) ut vacuus non appaream in conſpectu tuo; ſed quid pauperculus adferam? ſi quidquid cœli terræque ambitus complectitur pretioſi, ad pedes tuos deponerem, nil planè adferrem, immenſâ Majeſtate tuâ dignum; neque ſufficerent eidem omnia opera bona quorumvis Sanctorum, imò nec ipſorum cælituum; ſiquidem infinitam dignitatem tuam adæquare extra te nihil poteſt. Innuis tamen ipſe, quid flagites, quando dicis: præbe mihi, fili mi, cor tuum. Hoc itaque tibi affero, offero, do, dico, & dedico; idque non ſordidum, quale ſeipſo eſt, ſed contritum & humiliatum, quod utique non deſpicies. Tu appoſuiſti cor tuum ad cor meum, ut idipſum cor tuum, munus tibi gratiſſimum, offerrem; & en utrumque! cor meum videlicet, divino cordi tuo conjunctum, & ab eodem emundatum, tibi conſecro, ceu victimam & holocauſtum perenne: tu illud in hac vita in hoſpitium tibi delige, ubi quotidie recipiaris: ſed viciſſim in ſupremo agone meo verba illa dulciſſima fac me audire: quia recepiſti me in domum tuam,

*Recipiam & ego te in domum meam cæleſtem.*



(*a*) *Exodi 23.*

## iij. Cal. Auguſti. Dies 30. Julij.

### *S. Germanus Epiſcopus.*

ANtiſiodorenſis hic Præſul, dum Mediolani nulli hominum cognitus, & vili tectus habitu ſacrum offert, energumenus quidam altùm vociferari cœpit: cur nos, Germane, in Italia etiam perſequeris? an ſatis tibi non eſt, Gallijs & Angliâ nos pepuliſſe? Itaque proditus, & quis quantúsque eſſet, cognitus, multorum precibus victus, energumenum illum obſidione diabolicâ liberavit.

Redière cum gaudio Apoſtoli ad Magiſtrum divinum, dicentes: etiam in nomine tuo dæmonia ſubjiciuntur nobis. Utinam & mihi idem aſſerere de me liceret virtute admirabilis Sacramenti! utinam mihi ſubjicerentur, cederent, & à me diſcederent ſpiritus maligni! Nullum quippe è ſacris fidei noſtræ Myſterijs ita pellit dæmones, eorúmque opera diſſolvit, uti hoc: ſiquidem in eo paratur nobis menſa adverſùs eos, qui tribulant nos; eodem reſtringitur gula, ſopitur iracundia, libido comprimitur, frangitur ſuperbia, acedia propulſatur, invidia tollitur, avaritia emendatur. Equidem miſera mortalium ſors plurimis hoſtibus patet, multis exponitur malis, innumeris ſalutis periculis eſt permiſſa. Hîc latet anguis in herba, ibi venenum ſub melle conditur; pericula in terra, pericula in mari, pericula in falſis fratribus; timores nos exagitant,

ribulationes frangunt, triſtitiæ mentem offuſcant, cogitationes perturbant, puſillanimitas ac deſolatio dejiciunt; nec eſt, qui adjuvet; nec eſt, qui conſoletur. Porro in his animi angoribus, ne mens penitus ſuccumbat, ad te, o Deus confugiendum, qui es abyſſus miſericordiæ, & Deus totius conſolationis; tuóque divino, & in miſeros nos propenſiſſimo cordi, tuo paterno amori, cujus Sacramentum iſtud eſſera eſt, tuæ protectioni, quam in Menſa hac cœleſti omnibus offers, totum eſt committendum: hucusque perveniant adverſariorum inſultus; & hîc tumentes fluctus ſuos confringant.

DEUS cordis mei, unica ſpes, & refugium meum; ego pauperculus, licèt omni bono indigniſſimus, de tua nihilominus bonitate confido inducîâ & ſpe tam firmâ, ut nullus ambigam, quin mihi in quibusvis neceſſitatibus, periculis & anguſtijs, poſſis, velis, & ſcias ſubvenire. Jam dixi, divino auxilio tuo me prorſus indignum; &, ſi mecum agere velis ex meritis meis, non tantùm nullam à te gratiam mihi expectandam, ſed mille potiùs timenda ſupplicia; ſed quia bonitas & miſericordia tua ſuper omnia opera tua, cùm nec inimicis benefacere ceſſes, firmiter ſpero ac confido, auxilium tuum præſtò mihi ſemper futurum. Cedant ergo & recedant univerſi, qui quærunt animam meam: nam

*Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat.*

Pridie

## Pridie Cal. Auguſti. Dies 31. Julij.

### *S. Ignatius Lojola.*

EX milite nobili, Societatis nobiliſſimæ Dux Ignatius, per vulnus corporis, animæ ſanitatem recepit. Vulneris medelam divo Petro, vitæ mutationem lectioni piorum librorum, donum continentiæ Virgini Deiparæ ſe debere ipſe faſſus eſt. Eâdem, quâ obijt, horâ, cœlum ſubire viſus eſt, auditúsque ad ejus tumulum Angelorum concentus. Aliquando cùm Corpus Dominicum in Ara immolaretur, beatiſſimam Virginem ibi præſentem aſpexit; quæ & dixit ipſi: ſcias, fili, carnem Filij mei, meam quoque carnem eſſe.

Viciſſim ego, quoties Filium DEI in ſacro Altari manibus tenebo, Deiparæ dicam: Ecce Filius tuus! ecce caro de carne tua! Et utinam idem tunc reponeret mihi Chriſtus, quod Joanni in cruce ſuſpenſus dixit: Ecce Mater tua! Sortem hanc feliciſſimam meruit beata Gertrudis, quam, à ſacra Menſa redeuntem, hiſce verbis Matri commendavit Chriſtus: reſpice hanc tuam devotam, ô Mater, propter me. Utinam de me etiam indigniſſimo Matri diceret Servator: reſpice, ô Mater, hunc peccatorem propter me, propter meam & tuam carnem, propter meum & tuum Sanguinem, quem in paſſione mea acerbiſſima tam abundanter ejus amore profudi! *Tu verò*, ô piiſſima Mater, memorare, non

eſſe

esse auditum à sæculo; quemquam ad tua currentem præsidia, aut tua implorantem suffragia, à te derelictum. Ad hoc enim datus est tibi veniæ fons in Filium, ut omnibus gratiâ egentibus eam obtineas; & multitudinem peccatorum ac defectuum nostrorum operiat charitas tua copiosa. Igitur tali animatus fiduciâ ad te confugio; coram te miser & immundus peccator consisto. Ah ne spernas me propter innumera gravissimáque peccata mea, nec abjicias me propter nimiam immunditiam & duritiam cordis mei. Tu scis, ô Maria, quàm profundè peccatis & vitijs immersus sim, quámque justè gravissimam Filij tui iram prometuerim. Ne excludas me à gratia tua, quia post DEUM tu maxima mea fiducia, tu unica & summa salutis meæ ratio. Tantam enim de te concepi fiduciam, quòd mihi in animum inducere nequeam, me posse perire, quamdiu te amo, tibíque servio. O sacratissima Mater DEI, & Hominis, gaudium omnium Sanctorum, solamen omnium miserorum, refugium pauperum, per illam suavitatem & delectationem ineffabilem, quam olim persensisti, dum in utero tuo virginali incomprehensibilis divinitas, carnem ex te sumens, dignata est, se humanæ naturæ counire, rogo te, digneris causam meam in te suscipere, méque eidem Filio tuo dilectissimo reconciliare. Monstra, ô Mater, ubera, quibus eum nutrivisti; ostende ipsi brachia, quibus eum amplexata es: enumera illi omnes labores & dolores, quos

pro

pro eo ſuſtinuiſti ; & tuum illud mellitiſſimum cor, totum amoris igne flagrans, illi exhibe, ut cum mihi reddas placabilem ac propitium: ut per te reconcilier ei, qui per te datus eſt nobis; per te ei uniar, qui per te unitus eſt nobis ; per te denique ſalver, quæ ſalutem nobis peperiſti. Tu itaque, ô Virgo piiſſima,

*Solve vincla reis.*

## Calendis Auguſti. Dies 1. ejuſdem.

### *S. Petri ad Vincula.*

SUpreme ovilis Dominici Paſtor Petre, cui data à Chriſto poteſt, ſolvendi animas à nexibus peccatorum, libera me hodie à vinculis peccatorum, quibus anima mea conſtricta jacet, & forſan ſecundùm præſentem juſtitiam pœnis æviternis addicta. Catena illa, quâ Jeroſolymis ab impio Herode olim ligatus fueras, cum altera illa, quâ te Romæ poſtea Nero vinxerat, prodigioſè hodie coaluit ; oſtenditque, non unum carcerem, aut unam ſolummodò catenam te forti animo tuliſſe. Inde diſco ego, licèt variæ me tribulationes, anguſtiæ, ægritudines, velut geminatis nexibus conſtringant, ea omnia conſtanti, imò alacri animo, & voluntati divinæ ex integro ſubmiſſo ferre, collum ijs ſubmittere, & à manu divina acceptare, quidquid eidem immittere mihi placuerit ; donec idem, qui te è carcere Herodiano eripuit, Angelus, *mihi* etiam manum porrigat auxiliarem. Promittis

mittit DEUS opem præſentem omnibus, qui ipſius amore patiuntur adverſa, dicítque ore Pſalmographi: cum ipſo ſum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum. Porro quo medio alio efficaciùs nos eripit, glorificátque, quàm per vivificum Corporis ſui Sacramentum, quo vitam habemus, & abundantiùs habemus? Sed heu nos miſeros! náuſeat anima noſtra ſuper cibo hoc diviniſſimo: ſit mánna ſuaviſſimum; at cœpas præferimus: ſit panis ſápidiſſimus; lactucis agreſtibus inhiámus: ſit roſa fragrantiſſima; in ſpineto volutamur. Nempe delipit Chriſtus, quia ſanum non habémus palatum. Tu Claviger regni cœleſtis, uti ereptus fuiſti de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum, ita precibus tuis eripe me de manibus inimicorum meorum: ſiquidem frequenter

*Vectes ferreos confregiſti.*

## iv. Non. Auguſti. Dies 2. ejuſdem.

### *S. Stephanus Papa & Martyr.*

OB graviſſimam in Chriſtianos perſecutionem publico prohibitus miniſterio Stephanus Papa, in locis ſubterraneis ſacra obibat; quando hoſtibus fidei proditus, & derepente occupatus à ſatellitibus Tyranni, capite plectitur in ſede ſua; quæ cruore ipſius reſperſa, etiamnum monſtratur.

(a) Qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus,

(a) *Greg. l. 4. Dial. c. 55.*

mus, debemus imitari, quod agimus: tunc enim verè hoſtia erit, cùm nos ipſos hoſtias fecerimus DEO; non quidem vitam nobis eripiendo, ſed malas propenſiones mortificando; non caput ferro ſubmittendo, quando lictor deeſt, ſed illud DEO, & ſuperioribus, ejus vices gerentibus, per humilem obedientiam ſubijciendo.

Utroque iſthoc mortificationis, & humilitatis ſpiritu dignum ſe reddidit divus Franciſcus, ut ab Angelo moneretur hodie, conferret ſeſe illicò ad parvam Eccleſiam, de Portjuncula vulgò dictam: ibi ſupra Altare conſpexit Chriſtum Dominum, ac Matrem ejus ſanctiſſimam, innumeris ſtipatos Angelis; ab his juſſus petere, quod veliet, petijt ac obtinuit inauditam illam gratiam Indulgentiarum plenariarum pro omnibus ijs, qui die iſtâ, ſumptis ſanctiſſimis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Myſterijs, preces in eodem templo funderent: quam gratiam poſtea Sixtus IV. quibusvis Regularibus Ordinis Seraphici Eccleſijs indulſit.

Eadem & mihi gratia à Domino, in Altari tempore ſacrificij præſenti, conceditur, petendi videlicet, quod vellem. Quid verò petam? certè non aliud, cum humili Franciſco, quàm omnium peccatorum meorum veniam, & plenariam remiſſionem. Petam verò, ſi non lacrymis exterius perfuſus, ſaltem corde contritus; dicámque optimo Domino: ignoſce, Domine, ignoſce, da veniam peccatorum, & relaxationem pœnarum, per magnas Indulgentias, dilecto

lecto tibi Franciſco tantâ hodie benignitate conceſſas. Receptum verò in gratiam tuam, & primævæ denuo redditum innocentiæ, ita in bono conſerva, ut, qui perpetrata plango modò, plangenda deinceps numquam perpetrem; ſed potiùs confirmatus in concepto propoſito, quotidie ingeminem illud Seraphici Patris: (a) Abſorbeat, quæſo, Domine, mentem meam ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, ignita & melliflua vis amoris tui; ut amore tui moriar, qui ex amore amoris tui erga me mori dignatus es, obediens Patri usque ad mortem, humilians temetipſum, ut doceres nos, quod poſtea per Apoſtolum monuiſti:

*Humiliamini ſub potenti manu* DEI.

---

iij. Non. Auguſti. Dies 3. ejuſdem.

*Inventio S. Stephani Proto-Martyris.*

Hâc die corpus divi Stephani Protomartyris, cœlo revelante, inventum, ac translatum eſt. Flores, ſacris Reliquijs inſperſi, cæco viſum contactu ſuo reddidêre. Cùm tumulo eodem Romæ conderetur cum ſancto Laurentio, locum hic adventanti hoſpiti honoris ergò dicitur ultrò ceſſiſſe, & in aliam partem tranſiiſſe.

Adventum Domini mei nuntiat mihi Auguſtinus, inquiens: (b) Veniet ad te DEUS tuus; fac illi locum. Non ſufficit, ut aperias ei os tuum; ingredi cor tuum ambit, ibique locum capere,

(O) & qui-

---

(a) *Orat. S. Franc.* (b) *In Cant.*

& quidem dextrum, imò totum; ſtrátum enim angustum plures non capit. Recedat itaque amor proprius, omnesque distortæ animi propensiones procul abeant: veniet siquidem ad te DEUS tuus; fac illi locum; illi, cujus creatura es; illi, cujus ex asse servus es; illi, cui totum te debes; illi, qui cor tuum, velut centrum, quærit; illi denique, qui solus satiare te potest: nam (a) locus hominis DEUS est, extrà quem illi nunquam est benè. Utinam Angelorum ac Sanctorum omnium affectibus instructus essem, quibus Dominum meum, ad me adventantem, decenter invitarem, & in corde, velut centro suo, dignè pro modulo susciperem; ac retinerem! Quis mihi det, ut deosculer te Fratrem meum, nec unquam deinceps dimittam! Quoties itaque, pie JESU, spiro & respiro; toties ad te suspiro, intimè desiderans, ut anima meâ moriatur mundo, & tibi soli vivat. Equidem cor meum sæpe hostibus tuis prodidi, & in hospitium dicavi; jam redeo ad te, pudore suffusus, quòd illud non abnueres subintrare, quamvis illis tecum commune.

Sit proinde benedictus millies adventus tuus; sit benedicta tua dignatio, quâ pauperculum invisere quotidie non dedigneris. Cum humillima reverentia, & profundissima submissione accidens ad pedes tuos, eósque deosculans, te adoro, ac rogo enixissimè, veniam concedas, quòd tantâ negligentiâ, & indevotione sacro

tuo

(a) *Rup. in Apoc.* 14.

tuo Altari adſiterim, locúmque paraverim, tanto hoſpiti parum adeò convenientem.

Tu, DEUS clementiſſime, & præſtabilis ſuper malitia hominum, cùm optimè ſcias, non poſſe me affectum meum tibi exhibere eo effectu, quo vellem; in vicem iſtius ſuſcipe affectum illum, quo tu, pro immenſo tuo in nos amore, petis corda noſtra, dicens: præbe mihi, fili, cor tuum. Et in infinito hoc deſiderio tuo me tibi offero, dico, dedico ac conſecro in ſervum ſempiternum: dignare viciſſim, omnipotenti virtute tuâ, & tanti efficatiâ Sacramenti, cor meum præparare in habitaculum mundum, ſanctum, tibíque per omnia acceptum; ut ita fiat

*In pace locus tuus.*

---

## Pridie Non. Auguſti. Dies 4. ejuſdem.

### *S. Dominicus Confeſſor.*

VIrgini Deiparæ addictiſſimus Dominicus, ſacrum illius Roſarium per ſe, ac filios Religioſos mirificè propagavit, promovítque. Ejus ipſius ſancti exercitij ope mundum à ſagittis divinis unà cum divo Franciſco ſervavit, Grata clienti ſuo DEI Mater, morienti fideliſſimè adfuit. Inſulas quatuor, ultrò delatas, non minori animi contentione, quàm eas quærant alij, generoſè repudiavit. Ter quotidie in ſe flagellis ſævit, primò pro ſeipſo, inde pro exiſtentibus in gravi aliquo peccato; denique pro ani-

mabus in altera vita purgantibus. Pietate inefabili erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ferebatur; inde, recolens immenſum Chriſti erga nos amorem, in inſtituendo hoc Paſſionis ſuæ memoriali, quotidie fere lacrymis perfuſus ad Aram faciebat, non infrequenter paſſus divina ſub ejus Myſterij elevatione.

(4) Quàm magnum, & honorabile eſt officium Sacerdotum, quibus datum eſt, Dominum Majeſtatis verbis ſacris conſecrare, labijs benedicere, manibus tenere, ore proprio ſumere, & cæteris miniſtrare! Beatus, qui ſe Domino in holocauſtum offert, quoties celebrat, aut communicat. Et mihi quidem dulce foret, ô Domine, in præſentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere, & cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare: Sed ubi eſt hæc devotio? ubi lacrymarum ſanctarum copioſa effuſio?

O quàm mundæ debent eſſe manus illæ, quàm purum os, quàm ſanctum corpus, quàm immaculatum cor, quod toties ſubit Author puritatis! Oculi ejus ſimplices eſſe debent, ac pudici, qui Chriſtum ſolent intueri; manus puræ, & ad cœlos extentæ, quæ Conditorem univerſi ſolent contingere: nam Sacerdotibus ratione peculiari convenit, quod Scriptura dicit: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.

Tua, Domine, gratia nos præveniat ac ſequatur; & pijs operibus jugiter præſtet intentos; ut munus ſacerdotale, quod immeriti ſuſce-

(4) *Kemp. l. 4.*

ſcepimus, caſto ſemper corpore, mundo corde, & obſequioſo affectu obire valeamus. Hunc in finem quæſo, Domine,

*Da mihi rivulos lacrymarum.*

## Nonis Auguſti. Dies 5. ejuſdem.

### *S. Maria ad Nives.*

BEnedicta ſis benedictione perpetuâ, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum, Virgo cum Sponſo, Virgo indubitata, etiam dubitante Sponſo; Virgo ſole ſplendidior, lunâ pulcrior, aſtris clarior, nive candidior, Maria Filia, Mater. Sponſa, & Templum ſacratiſſimæ Trinitatis!

JESU candide & rubicunde, aperi cor meum, & potenti virtute illabere; templumque puriſſimum ac candidiſſimum tibi para. Nix ſignum eſt innocentiæ; quam ſi amiſi poſt baptiſmum, tu eam mihi per pœnitentiam reſtitue, qui dixiſti per Prophetam: ſi peccata veſtra fuerint ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Fit hoc per humilem ac ſinceram Confeſſionem, dignâmque Corporis & Sanguinis Dominici ſuſceptionem; ſiquidem animæ ſanctæ ſtolas ſuas in Sanguine Agni dealbaverunt.

Hoc à DEO mihi exora, ô Maria, nive candidior, lilio fragrantior; quæ odore virginitatis, ac puritatis candore Filium DEI attraxiſti, ut eligeret habitare in medio tui. Tu roſa Jerichuntina, cujus folia ſunt gratia & gloria, hor-

nor & honeſtas; trahe me in odorem tuæ ſuavitatis. Tu gloria cœleſtis Jeruſalem, lætitia orbis Chriſtiani, honorificentia Eccleſiæ Catholicæ, Regina cœli & terræ, creaturarum omnium domina.

*Monſtra, te eſſe Matrem.*

---

viij. Idus Auguſti. Dies 6. ejuſdem.

*Transfiguratio Domini.*

JESU glorioſiſſime, ſpeculum Electorum, & gloria, in quo hodie Pater æternus ſibi complacuit; concede, ut depoſito veteri homine transformemur in te, & ſanctiſſimæ vitæ tuæ conformemur, quoad non tantùm cum tribus diſcipulis, ſed cum Electis omnibus te contueamur facie ad faciem, experiamúrque, quàm bonum ſit, eſſe tecum. Nemo ambigat, Transfigurationem Chriſti fuiſſe typum futuræ gloriæ, quæ revelabitur in nobis; uti ejuſdem gloriæ Pignus eſt venerabile Euchariſtiæ Sacramentum; & quemadmodum in transfiguratione confirmati ſunt Apoſtoli ad labores muneris ſui generoſo animo ferendos; ita Epulo divino roborantur fideles ad ærumnas vitæ præſentis patienter tolerandas, viámque ad cœleſtem patriam alacriter decurrendam.

Dum ad Aram accedam hodie, Thaboreum vertícem in mente mihi exhibebo, credámque, Chriſtum me ſpectare, panis ſpeciebus, ceu veſte candidiſſimâ velatum. Angeli, Aræ circumfuſi, Apoſtolorum mihi locò erunt; & quamvis faciem

ciem Domini, ſolis inſtar radiantem, oculis corporeis non contuear, fide tamen erectus clamabo cum Petro: Domine, bonum eſt, nos hîc eſſe. Ille Chriſtum Magiſtrum ſuum vidit, glorificatum quidem, adhuc tamen in carne mortali degentem, ego eundem aſpirito immortalem ac glorioſum, quamvis ſub ſacris ſpeciebus latentem. Sed removebitur velum, fiétque, ut (a) revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, transformemur à gloria in gloriam, tamquam à Domini ſpiritu; hujus rei Pignus eſt ſacratiſſima Euchariſtia, de qua ita ſcribit magnus Areopagita: (b) verus ad ſacra percipienda acceſſus accedentibus id præſtat, ut ex communione divina ad DEI ſimilitudinem tranſeant; inde Chriſtiferi, id eſt, Chriſtum in nobis circumferentes, appellamur.

Satis eſt, Domine, ſatis eſt! O ter, imò millies me beatum, qui tantum hoſpitem ſuſcipio, tantúmque intra me contineo, quantùm latitudine ſuâ nec cœlum ipſum complectitur. Quem cœli cœlorum non capiunt, cor anguſtum intra ſe concludit; Cœlum ergo eſt cor hominis; quia DEI ſedes eſt: quàm verè dictum: Regnum DEI intra vos eſt? (c) DEO enim hîc paſcimur, DEO unimur, & facti ſumus unum Chriſti Corpus, & una caro: (d) ô Eſca ſacratiſſima, per quam comedens DEUS efficitur! Bonum ergo, me quotidie adire montem hunc divinum,



(a) 2. Cor. 3. (b) De cæl. Hier. c. 4. (c) Cyrill. Catech. 4. (d) Hier. in teſtam.

ut gloriam Domini ſpeculando transformer in ipſum; poſitiſque veteris hominis exuvijs

*Conformer imagini Filij DEI.*

## vij. Id. Auguſti. Dies 7. ejuſdem.

### *S. Cajetanus Conf.*

VEſtigia Apoſtolorum gloriosè preſſit Cajetanus, vitámque Apoſtolicam poſtliminiò reduxit, providentiæ divinæ opere ac verbo eximius propugnator. Etiamnum juvenis pacem perpetuam à Spiritu ſancto in ſpecie aviculæ accepit. Cor ejus amore divino ita æſtuabat, ut intra pectus contineri non potuerit, adeoque alis igneis inſtructum in cœlos evolârit. A Chriſto nectare ſuaviſſimo, è latere profluo, potatus, à Virgine Matre lacte dulciſſimo refectus, dicere cum Auguſtino poterat: hinc paſcor â vulnere, hinc lactor ab ubere. Ab eadem Virgine ſacratiſſima Romæ in baſilica Liberiana (locus adhuc cernitur) Infantem divinum in ulnas recipere meruit, unàque dulciſſimum Filij nomen. Dicere frequenter ſolebat: utinam haberem humilitatem illam in vitijs meis, quam Sancti in virtutibus ſuis habuerunt. Tandem ex ſeditione populi, quâ DEUM offendi noverat, concepto intimo dolore, poſteaquam omnia Chriſti patientis tormenta in viſione pertuliſſet, Neapoli migravit in cœlum, innumeris poſt mortem prodigijs illuſtratus.

Exta-

Erat Sanctus iſte in cultu auguſtiſſimi Altaris Sacramenti eximius; (a) cujus frequentiorem uſum maximè promovit. Quin contempto, quòd adibat, vitæ diſcrimine, ſub ipſis Caniculæ ardoribus Româ Neapolim abijt ea ſolùm de cauſa, ut Prælatum quemdam excitaret ad ſacrum quotidie offerendum; ad quod ipſe integro plerumque octo horarum ſpatio ſe parare conſueverat; indignum tamen tanto munere ſe judicans, recurrente die anniverſariâ, quâ primam DEO hoſtiam litaverat, ambitionem ſuam ac audaciam in ſuſcipiendo caractere Sacerdotali amarè deflebat.

O quanto juſtiùs ego de me dicere poſſum: utinam haberem humilitatem illam in vitijs meis, quam Sancti in virtutibus ſuis habuerunt! ego, inquam, vir, videns paupertatem meam in cenſu virtutum, econtra rationem diſtrictiſſimam, de tot vitijs ac peccatis propediem reddendam, quæ ſicut onus grave ſuper me ſunt gravata. O Domine, ecce amaritudo mea amariſſima; pro remedio ad te accedo, veniámque rogo. Et utinam vivâ fide, & indubitatâ fiduciâ ad te in ſacra Euchariſtia accederem; citò peccatorum indulgentiam, & vitæ emendationem obtinerem. O cor igneum Cajetani! ô affectus ardentiſſimos! ô dignam præparationem! ô amorem incomparabilem erga diviniſſimum hoc Sacramentum! Non ſegniùs ore corporis, quàm cordis affectu ad te, fontem vitæ anhelabat; neque eſuriem



(a) *Lect. Brev.*

ſuam temperare aliter poterat, quàm ſanctiſſimo Corpore tuo. Ita nempe ad te accedunt Sancti, quorum viva fides certum exiſtit argumentum præſentiæ tuæ; dum te, Dominum ſuum veraciter agnóſcunt in fractione panis; quorum corda ardent, te præſente, & cum illis ambulante. O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te! quantum ego confundor, & erubeſco de exiguo, & nullo fere amore erga te! Tu, JESU optime, adde cordi meo alas, & volabo, & requieſcam vide humilitatem meam; ſiquidem valde

*Confuſus ſum, & erubui.*

---

## vi. Id. Auguſti. Dies 8. ejuſdem.

### *Euchariſtia ſalutifera.*

INvaſerat anno à pariente Virgine quadringenteſimo ſexto ſupra milleſimum urbem Januenſem in Liguria peſtifera lues; cùm divus Vincentius Ferrerius, commodùm ibi præſens, Deo inſpirante hâc die ſolennem inſtituit ſupplicationem, in qua ſacratiſſimâ, quam circumferebat, Euchariſtiâ plateas omnes benedixit, & aquâ luſtrali aſperſit, effectu mox ſecuto: nam lues illa magna ex parte illicò ceſſavit.

Decumbit anima mea, hac horrendâ correpta, cui mederi penitus neſcio, ſiquidem peccatum meum contra me eſt ſemper. Imò morbis plurimis infectum me ſentio; quot nempe diſtortæ animi propenſiones, & contracti habitus vi-

vicis

ioſi in me vigent virentque. Sed ecce pharnacum præſtantiſſimum, Corpus Chriſti. Itaque id te, piiſſime Salvator accedo firmâ ſpe, fore, ut, ſicut olim pertranſiiſti ſanando omnes, ita & mihi infirmo priſtinam reddas ſanitatem, triſtem ſoleris, imbecillem corrobores, alliges ſauciam, vinctum carcere educas. Nempe (a) Corpus Chriſti medicina ſpiritualis eſt, cum reverentia deguſtata, ſibi devotos purificat. (b) Qui verò tranſitoriè, nec fixâ intentione percipiunt; non ſolùm nil commodi merentur, ſed & pœnam de pretio ſalutis miſeri acquirunt æternam. Nempe contingit iſtis, quod olim Philiſtæis, Arcam DEI Iſraël circumducentibus, ut plaga inflicta ceſſaret. Verùm omnino contrarium experti ſunt: (c) illis quippe circumducentibus Arcam, fiebat manus Domini per ſingulas civitates interfectionis magnæ nimis. Mors eſt malis ſanctiſſimum Chriſti Corpus; & ideo, teſte Gentium Doctore, multi inter nos infirmi ſunt, & dormiunt multi, quia minùs dignè illud ſuſcipimus. Teſtis eſt Rex Lotharius; (d) qui cum Adriano II. Papa colliſus, ut objecta purgaret, ſacratiſſimam Euchariſtiam è manibus Pontificis uſu ſacrilego percepit hâc die cum Aulicorum quibusdam: ſed intra paucos dies tum Rex ipſe, tum ejus familiares ſacrilegi miſerè perierunt. Itaque Corpus Domini ſumamus, non in judicium & condemnationem, ſed in remedium corporis

(a) D. Thom. opuſc. de Sacram. (b) Auguſt. (c) 1. Reg. 5. (d) Baron.

ris & animæ, ſemper illud Sapientis volvens animo: cùm ſederis ad menſam Regis, ſtatue cultrum in gutture tuo; ſciásque, medicinam hanc vel antidotum eſſe, vel venenum. Ego antidotum quæro: Tu, Domine, cœleſti hoc alexipharmaco ſana me, & ſanabor; ſalvum me fac; & ſalvus ero; converte me, & convertar ad te; ego enim dixi:

*Domine, miſerere mei.*

## v. Idus Auguſti. Dies 9. ejuſdem.

### *S. Afra Martyr.*

NArciſſus Epiſcopus, cùm Diocletiani crudelitatem cautè declinaret, Auguſtam Vindelicorum devenit, atque apud Afram diverſit. Cùmque & ante ſumptum cibum oraret, & totam noctem in DEI laudibus cum Diacono ſuo duceret pervigilem; Afra, hâc devotione mota, cum univerſa familia à Venere, & idolis ad Chriſtum tranſijt. Inde Cajo judici prodita, cùm nec à propoſito ſervandæ deinceps continentiæ, neque à fide dimoveri poſſet, ad palum alligata, atque igni tradita eſt, corpore à flammis nihil læſo. Eam Mater, unà cum Ancillis, antea in opere nefario ſocijs, alijsque pluribus, ad palmam eſt ſecuta.

Si tam accepta DEO eſt oratio, quæ cibo ſumendo præmittitur, & tanti meriti, ut ejus occaſione tot animæ Chriſto fuerint adductæ; quàm grata erit oratio, quâ ad Epulum divinum, & Convivium ſacrum, in quo Chriſtus ſumitur, digne

dignè nos paramus? Accedis ad menſam, & benedicis DEUM, qui dat omnibus affluenter: recedis à menſa; & gratias agis eidem pro cibo corporali, tibi collato: quantò magis accedendo ad menſam Euchariſticam præmittere debes orationem, teque præparare ad tantum hoſpitem dignè excipiendum? Quantâ ergo reprehenſione digni ſunt ij Sacerdotes, qui præparationem, vel nullam, vel exiguam, & ſuperficialem ſolùm præmittentes, ad Epulum cœleſte accedunt, eodemque modo inde recedunt? Longè profectò graviorem merentur maledictionem, quàm illi, qui aliud quodpiam opus DEI negligenter exequuntur. Dicebat de ſeipſo piiſſimus Jobus: (a) antequam comedam, ſuſpiro; & tanquam inundantes aquæ rugitus mei. Planè hoc magis convenit Sacerdoti; qui, ſi ex vehementi cordis contritione in lacrymas non diffluat cum Davide, aſſerente de ſe: exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non cuſtodierunt legem tuam, ſuſpiria ſaltem emittat, antequam comedat carnes Filij DEI. Certè ideo maximè fit, quòd tam paucis ſapiat cibus iſte divinus, & pauciſſimi dulcedinem ejus experiantur; quia ſcilicèt pauci admodùm, debitè ad illum ſuſcipiendum ſeſe parant; pauci debitas eo ſuſcepto gratias referunt. Cæterùm quantæ deliciæ animæ, prævia dignâ oratione cum Chriſto epulantis! Ipſe dilectæ ſibi Gertrudi dicit: (b) quando me tibi communico in Sacramento Altaris, blandior tibi per amplexus & oſcula. Hanc

(a) C. 3. 24. (b) In Revel.

Hanc ego dignationem, & amorem tam vehementem si minus promereor; tu, bone JEsu, propitius esto mihi; & mendico pauperculo subinde concede modicum quid de intimo illo amoris tui affectu in sacra Communione; ut fides mea reviviscat, spes augeatur, charitas nunquam excidat: potens es enim, in spiritu amoris, cum volueris, me clementer visitare. Dirigatur itaque oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo; ut vicissim

*Descendat super me misericordia tua.*

## iv. Id. Augusti. Dies 10. ejusdem.

### *S. Laurentius Martyr.*

AGere, & pati fortia, Romanum esse, Laurentius Romanæ Ecclesiæ Diaconus generosè comprobavit; quando cum Antistite suo velut ausus expostulare, dum hic ad Martyrium duceretur, dixit: quò, Sacerdos sancte, sine ministro, pater sine filio abis? nunquid degnerem me probâsti? Idem ostendit, quando thesauros Ecclesiæ in pauperes erogavit; & vel maximè, quum in craticula candente extensus, ridere etiamnum, & tyranno insultare sustinuit.

Dum heroëm hunc invictum considero, lento igne ustulatum; meritò causam inquiro, quâ motus, atrox adeò supplicium forti animo pertulit, quâque superior extitit igne, omnia aliàs domante. Et quidem ejus ardoribus nihil læsus est forsan, instar puerorum in fornace Babylonica? Ast contrarium ostendit

ere videtur lapis, Romæ hodieque viſus,
rpus ſancti Martyris poſt mortem impoſi-
Chriſtianis fuit, quique manifeſtas recen-
guinis, adipiſque defluentis notas exhibet.
, ut alij Martyres complures, ſupplicium
ignis non perſenſit? ſed dixit tyranno:
i eſt; jam verſa, & manduca. Ratio-
enuinam aſſignat Auguſtinus; inquiens:
longa morte, in illis tormentis, quia be-
nducaverat, & bene bibetat, tamquam
câ ſaginatus, & illo calice ebrius, tor-
non ſenſit. Siquidem Myſteriorum di-
m diſpenſator, ea ipſe prælibaverat: inde
itus, juxta acceptum à ſancto Xyſto Papa
im, vicit diabolum, pervenit ad trium-

cte Chriſti Pugil, mihi etiam à DEO exo-
num infractum, & conſtantiam, adverſis
us ſuperiorem, præcipuè quando lucta ſu-
, & decretoria imminebit; tunc exurge
itorium mihi, & victoriam de hoſte in-
precibus tuis obtine. Adfuiſti olim ſan-
enrico Imperatori; & calice aureo, quem
æ tuæ donârat antea; ejus ardores tem-
: adeſto & mihi; & morientem contrà
hoſtium incurſus tuere. Refocilla etiam
animas, in igne luſtrico detentas; quibus
tiam ſuffragari, dicto (*a*) ad eum finem
in quodam Eccleſia, tibi conſecrata, infra

occi-

*(a) Volunt Authores, Sacro ejusmodi animas pur-
multùm juvari.*

octiduum hoc non intermittam. Tu illis adhibe refrigerium; & me agonizantem protege

*Ab incurſu, & dæmonio meridiano.*

---

iij. Id. Auguſti. Dies 11. ejuſdem.

*S. Gaugericus Epiſcopus Cameracenſis.*

A Diens templum divus Gaugericus, ante carcerem publicum tranſijt, in quo rei duodecim vinculis conſtricti tenebantur. Pro horum liberatione ante aram cùm DEUM ſupplex rogaret, compedes mox diſſiliunt, vinctósque dimittunt; qui, ſancto etiamnum coram Altari orante, ſuperveniunt, gratias pro tanto beneficio acturi, Principe loci, & univerſo, qui aderat, populo ſtupentibus rei novitatem.

Vinculis & ego adſtrictus teneor; ſiquidem funes peccatorum circumplexi ſunt me. Et quò me vertam, ut conſequar libertatem? Ad Aram cum ſancto hoc Præſule confugiam, ubi in ſanctiſſimo Sacramento præſens eſt ille, qui ſolvit compeditos; quique vectes ferreos confregit, & captivam duxit captivitatem. Certè ſi de Chriſto, etiamnum mortali, virtus exibat, & ſanabat omnes; cur non de Corpore ejuſdem immortali & glorificato virtus pariter exeat ad extinguendum fomitem ardentis libidinis, motus iræ ac vindictæ comprimendos, ad eradicanda vitia, conſuetudines pravas exſcindendas, denique ad ſupprimendam legem peccati, in membris noſtris vigentem, & legi mentis noſtræ repug-

repugnatem. Hæc lex peccati, teſte Auguſtino pœnitente, (a) eſt violentia conſuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam invitò animus; unde idem ſubdit: ſuſpirabam ligatus, non ferro, ſed meâ ferreâ voluntate; velle enim meum tenebat inimicus; & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me: quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas; quibus, quaſi annulis quibuſdam, ſibimet innexis (inde catenam appellavi) tenebat me obſtrictum ſervitus; voluntas autem nova nondum erat idonea ad ſuperandam priorem, veruſtate roboratam. Ita hæ voluntates, illa carnalis, illa ſpiritualis, conflige-bant animam meam.

Eja igitur, optime JESU, cum virtus ſanandi, & ſanos ſervandi, de te ſolo ſit, totum me tibi commendo, qui vincula noſtra pertuliſti, &, quæ non rapueras, pro nobis exolviſti, ut morte tuâ nos à peccatorum nexibus, & æterna captivitate aſſereres. Disrumpe vincula, quibus adſtringor; ſolve compedes, quibus in via virtutis impedior; aperi carcerem, quo teneor; educ vinctum de tenebris, & umbra mortis: ut lætus cum Propheta concinere poſſim: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Et quia tu, Domine,

*Diripuiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.*

(P)

(a) *Conf. l. 8. c. 5. n. 1. & 3.*

Primæ hinc Augusti. Dies 12. eiusdem.

## S. Clara Virgo.

TCum ferme diem sancta Clara, nec millium Virginum Antecessa, impenderet hoc tractando sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento. Horis matutinis vel reptâ, vel spiritualiter suo indies reficiebatur; tum occupabatur in concionandis, hortandis, mandandisque sacris interminibus, quæ Corpus Dominicum in Ara contegere proximè solent; aut certè vestes concinebat, quarum ipsa sacris usus est. Tempus noctiumum maximam partem insumebat, in præsentia DEI Eucharistici placidè crandive. Ita meruit, audite ex eodem, cum hostes fidei, urbis muros jamjam invaderent: ego vos semper custodiam; quos hostes etiam objecta sacra Hierotheca in turpem fugam compulit. Christum, jam nascentem, jam morientem, coram aspexit. Denique morbo supremo decumbentem ipse primum Sponsus divinus, inde etiam Virgo Deipara invisit, felicet utique comites in aditu æternitatis.

Quòdsi decens omnino est, vasa, quibus Domino ministratur, munda esse, & ornata; quantò magis mundanda, ornandaque erit anima, utpote tabernaculum DEI, & vivum quidem? Id enim Sacerdotibus præcipuè conveniat, qui quotidie Dominum recipiunt; hinc meritò illis dicitur, [illegible] veteris Sacerdotibus ingeminabat Isaias:

Isaiæ: (a) mundamini, qui fertis vasa Domini; imò estis vasa Domini, Christiferi, Christum circumferentes in corporibus vestris, utpote Corpore ejus ac Sanguine pasti ac saginati.

Quàm stricta ergo nobis ratio quondam erit reddenda, cùm nosipsos, quos in vasa honoris adeò sublimis elegit DEUS, vasa contumeliæ efficimus; Tabernaculum DEI vivi prostituimus, membra Christi membra meretricis facimus, & ministerium, quovis alio, etiam Angelico, celsius deturpamus? Accessit ad DEUM Eucharisticum sancta Clara, (b) sed priùs uberrimis lacrymis irrigata, & cum tremore; utpote non minùs formidans in Sacramento latentem, quàm cœlum terrámque regentem. Et ego maximus peccator, tótque malis obnoxius affectibus, non timeam, non contremiscam? Illa tantâ erat erga divinissimum hoc Mysterium fiduciâ, ut sacram Hierothecam ipsa apprehenderit, & contra hostes progressa, ducto è fenestra (quæ hodiedum monstratur Assisij) contra eos Crucis signo, excæcatos in fugam compulerit. Dà, Domine, ut & mihi adsit virtus augustissimi istius Sacramenti; quoniam in te confidit anima mea: Adesto mihi, tanquam bellator fortis, quando consistent adversùm me castra in agone meo; tunc vincam in hoc Signo; neque hostes tartáreos formidabo, quando tu mecum es. Manifestum est enim, asserente Augustino, quia non vincimus nos; sed vincit ille, qui in nobis



(a) C. 52. (b) Surius in vita.

eſt, ille, quem portamus, qui dicit: ego vici mundum. Tunc ergo, Domine, doce manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Ita obtentâ per te victoriâ

*Miſericordias tuas in æternum cantabo.*

## Idibus Auguſti. Dies 13. ejuſdem.

### *Beatiſſimæ Virginis Deiparæ obitus, & ad cœlum abitus.*

HAbet antiqua traditio, DEI Matrem hâc die corpore ſolutam, ad cœlos abiiſſe quoad animam; corpus verò virgineum triduo poſtea eòdem gloriosè aſſumptum: ut in hoc etiam Filium divinum imitaretur, qui tertiâ à morte die gloriosè reſurrexit.

Dulciſſime JESU, per amorem illum, quo intrà puriſſimæ Virginis Mariæ viſcera carnem aſſumere voluiſti, in qua opus Redemptionis noſtræ perficeres, quámque poſtea in cibum nobis relinqueres, te rogo, digneris ſupplere omnes defectus, quos in peragendo ſacro Miſſæ ſacrificio, cultúque debito eidem ſanctiſſimæ Matri tuæ exhibendo unquam commiſi; pro quorum ſatisfactione tibi offero omnem illum affectum divini cordis tui, quod illam præ quavis creatura in Matrem ab æterno elegiſti, electam à primæva labe præſervâſti, virtutibus ac gratiis incomparabilibus decoraſti: offero favores omnes, quibus eidem unquam, dum ipſi conviveres, blanditus es, cùm in ſinu illius quieſceres,

tot

tot ſacra oſcula libares, omnique fidelitate, reverentiâ ac obsequio filiali eam proſequereris, ac ſubditus illi eſſes: offero amorem illum, quo in Cruce inter atrociſſima tormenta pendens, tui oblitus, ejúsque deſolationi ac dolori mutuo compaſſus, dilectum tibi Joannem ipſi in filium conſignâſti, dicens: Ecce filius tuus: denique offero tibi dignationem illam ineffabilem, quâ eam, hodie è vita migrantem excepiſti, & inixam dilecto ſuo ſuper omnes Angelorum ac beatorum Choros evexiſti, cœlique ac terræ Dominam conſtituiſti. Rogo te, Fili DEI & hominis, da mihi filialem erga hanc Matrem tuam amorem; inſtilla cordi meo tenerrimum quemdam erga illam affectum; eam mihi placabilem redde, viventíque ac morienti Patronam aſſigna; ut per eam veniam ad te, qui per eam veniſti ad nos; ſitque mihi MARIA

*Janua Cœli.*

---

## xix. Cal. Septembris. Dies 14. Auguſti.

### *S. Stanislaus Koſtka.*

TAm tenerè erga Virginem Deiparam afficiebatur S. Stanislaus, ut inexhibendis ei obſequijs cum ſocijs certaret, dignus proin, cui decumbenti JEſulum ipſa cederet, ſinu fovendum, addito mandato, Societatem JEſu ingrederetur. Corporis Dominici Sacramentum cultu ſingulari venerabatur: etiamnum Novitius, ſæpiùs de die id inviſebat; nocte verò oculos

ſaltem ac cor eò convertebat, ubi Pignus divinum aſſervabatur, & cum Daniele adorabat. Divæ Barbaræ Partheno-Martyri apprimè devotus, ejus precibus meruit, ab Angelis, ipſâ ſanctâ, ac Deiparâ præſentibus, Epulô divinô reſici, cùm graviter ægrotaret.

Omnino neceſſarium mihi eſt Sanctorum patrocinium pro decretoria illa mortis hora, ne abſque ſacro Viatico decedam. Certè ambiguus, ac maximè tremendus inſtat ſupremi illius negotij ſucceſſus, ijs præcipuè, qui ducunt in bonis dies ſuos, & vix non in puncto ad inferna deſcendunt. Quantum tunc trepidabit miſella anima mea, neſcia, odióne an amore digna ſit! quantum terrebunt genij mali, horrifici ad divinum Tribunal comites! quantum pavorem incutiet judicium, in quo juſtus etiam vix ſalvabitur! quàm ſtricta ratio de omni etiam verbo otioſo reddenda! Itaque ex conſilio Chriſti faciam mihi amicos, qui me recipiant in æternà Tabernacula, qui Judicem mihi placabilem reddant; in hoc verò potentiſſima eſt cœlorum Regina; nam (ut ille bene ait) Judicem non formidat, qui Matrem Judicis habet propitiam. Itaque eſto mihi propitia, ô alma DEI Mater, & tuos illos miſericordes oculos ad me indigniſſimum famulum tuum converte; & propter ſuavitatem delitioſitatis illius ineffabilis, quâ in tranſitu de hoc mundo ad cœli palatium innixa ſuper Dilectum tuum fruebaris, in hora mortis meæ mihi aſſiſtere digneris, atque in eadem tremenda

menda hora ſacratiſſimæ Trinitati pro me offerre merita placidiſſimarum dignitatum illarum, quibus in die Aſſumptionis tuæ ſupra omnem humanam & Angelicam dignitatem præparata, ipſi ſummè complacuiſti. Tu quoque, ô ſancta Barbara, gratiam mihi à DEO exora, ne ſubitaneâ morte abripiar, ſed priùs verâ contritione, ſincerâque confeſſione animum expiare, ac inde ſacro Viatico ritè muniri merear; ſimque inter illos, de quibus ſanctus Joannes:

*Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

## XVIIJ. Cal. Septembris. Dies 15. Auguſti.

### *Aſſumptio Beatiſſimæ Virginis Mariæ.*

SI cor Virginis Deiparæ officina fuit amoris divini; quantò amoris incendiò non exæſtuârit in ſupremo vitæ termino? cùm utique, juxta Philoſophorum ſcitum, motus longè ſit velocior in fine. Inde dicere cum Jobo poterat: emotum eſt cor meum de loco ſuo; imò non emotum tantùm, ſed omnino ſolutum corporeis vinculis, non mortis imperio, ſed amoris affectu; poſteaquam ipſa ſacratiſſimum Filij ſui Corpus è manu divi Petri, vel, ut alijs placet, Joannis Evangeliſtæ, devotiſſimè ſuſcepiſſet. Inde aſcendit de deſerto vitæ præſentis innixa ſuper Dilectum ſuum, delicijs affluens.

Virgo ſanctiſſima, meus poſt DEUM amor, gaudium & ſpes mea, animitùs tibi gratulor ſummam illam gloriam, ad quam hodie, ceu creaturarum omnium Domina, evecta fuiſti. Ne

dɔſpicias me ſordidiſſimum peccatorem, neque à præſidio tuo repellas. Admitte me inter clientes tuos, uti ego te Dominam meam agnoſco; in corde tuo materno me deſcribe, atque amatoribus tuis accenſe: ecce enim amo te; nec amo te, ut per te ſalver, aut quia non amantes te æternùm pereunt; ſed quia digna es omni poſt DEUM, & Filium tuum amore, utpote à DEO plus omnibus creaturis amata, & ad ſupremam, quam earum ulla capere poſſit, dignitatem evecta. Et quamvis certò ſcirem, me reprobandum à DEO, neque tuâ ſalvandum interventione; attamen amarem te, & eò quidem intenſiùs, quòd ita cernerem, poſt brevem hanc vitam mihi ampliùs conceſſum non eſſe, te porrò amare. Itaque inveniam gratiam in oculis tuis, quæ Mater es miſericordiæ, & cum nobis genuiſti, qui non ſolùm redemptio & ſanctificatio, verùm etiam ſacramentalis animarum noſtrarum refectio nobis factus eſt. Recordare, ô Domina, ut loquaris pro me bonum, & indignationem Filij tui à me avertas.

Saluto te, ô virginea Mater, ſalutatione Patris æterni: veni, Electa mea, fruere nobiſcum omnibus bonis cœleſtibus in æternum. Saluto te cum Filio tuo amantiſſimo: Mater mea, dominatura cunctis creaturis, ſede à dextris meis. Saluto te verbis Spiritûs ſancti: Sponſa mea, columba mea, veni, coronaberis Regina Cœli & terræ. Per omne hoc gaudium, & applau-

ſus

ſus cœleſtes, quibus perfuſa hodie, ſuper omnes Angelorum Choros fuiſti exaltata, rogo te, adſis mihi in hora mortis meæ; & plenâ peccatorum remiſſione obtentâ eò me perducere digneris, ubi miſericordias, à DEO per te tam largè in me erogatas, æternùm cantabo. Interea in adverſis omnibus, ac tentationibus

*Eſto mihi turris fortitudinis à facie inimici.*

## xvij. Cal. Septembris. Dies 16. Auguſti.

### *S. Hyacinthus Confeſſor.*

Cùm Tartarorum Barbaries afflictam Poloniam premeret; ne margaritæ porcis objicerentur, Hyacinthus, Sacerdotalibus tectus indumentis, ſacram Hierothecam illorum furori ſubduxit; cùmque ante ſtatuam quamdam Virginis beatiſſimæ feſtinus tranſiret, quam magnâ eatenus devotione coluerat; ab eadem ſibi amanter exprobari audijt: cur, Hyacinthe fili, in prædam hoſtibus me derelinquis? Cui Sanctus intimo cum dolore reſpondit: & quomodo hinc aſportare te potero? ſiquidem lapidea erat ſtatua, ponderis ingentis. Et, illa, facillimè, inquit. Ergo ſiniſtrâ Imaginem ſacram complexus Hyacinthus, ponere nihil gravante, iter proſecutus eſt; objectumque fluvium ſicco pede tranſivit, Socijs Religioſis pallio transvectis. Indè magno populi concurſu ingreſſus Cracoviam, utrumque ſacrum Pignus depoſuit.

Proſperum haud dubiè iter eſt, ubi JESUS & MARIA Comites, ille dextram, hæc ſiniſtram ſtipant; hos certò nec hoſtium cunei, nec amnium vortices ullâ poterunt ratione morari. O JESU, ô MARIA, ſalvate me, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam: comitamini me, quoniam circumdederunt me canes multi, & aperuerunt ſuper me os ſuum; infixus ſum in limo profundi; & non eſt ſubſtantia. (a) Flumen eſt omnis mortalitas ſæculi; alia veniunt, tranſeunt alia; & his denuo tranſitura ſuccedunt. Tranſit mundus, & concupiſcentia ejus; tranſeunt omnes ejus delitiæ; proinde qui utuntur hoc mundo, ſint, tamquam non utantur. Præſens vita via eſt ad mortem, nec deeſt, qui nos prodat tradátque, Judas, mundus videlicet, habet hic ſatellites ſuos, qui inſidias, qui necem parent; ſunt hi dæmones, & cohors vitiorum. His ſignum dat proditor: quemcunque oſculatus fuero, quem blandiùs habuero, honores, opes, voluptates ipſi deferendo, hic ipſe eſt; tenete eum; adjicite voluptatem voluptati, opes opibus cumulate, honoribus addite honores; conſtringite profani amoris vinculis, pravis conſuetudinibus irretite; caute tamen eum ducite, ne aſylum quærat apud DEUM, & reſipiſcat. Oſcula hæc mundi proditoris ut caveam, vos, ô JESU & MARIA, juvate; vos inter hæc eos me conducite; ut ſic eo veſtigio tranſeam flumen mortalitatis hujus; & quan-

(a) *Aug. in Pſal.* 6.

& quando mihi perrumpenda erunt hoſtium caſtra in ſupremo agone, tunc

*JESUS & MARIA mecum ſint in via.*

---

XVI. Cal. Septembris. Dies 17. Auguſti.

*S. Clara de Monte Falconis.*

APparuit Claræ Deipara, Natum ſinu fovens; qui oſculum ei ſuaviſſimum libavit. Aliàs idem JESUS, Sponſi habitu, & veſte ſplendidiſſimâ eidem adſtitit, Crucem manu ferens, unde mirum non eſt, fel virginis iſtius, ſedem cæteroquin iræ & impatientiæ, in ipſam dulcedinem verſum eſſe, ac tres protuliſſe globulos ejuſdem prorſus coloris, ac æqualis ponderis, ſi vel unus ad duos, vel omnes ſimul ad pondus unius appenderentur.

Diſcam ego exinde devotionem erga ſublimiſſimum ſanctæ Trinitatis Myſterium; addámque peculiarem etiam affectum ad auguſtiſſimum Corporis Dominici Sacramentum, velut meſſioriale paſſionis Chriſti; cujus omnia inſtrumenta, Crucem videlicet, lanceam, ſpongiam, arundinem, coronam, flagra, clavos, aliáque in corde ſanctæ iſtius virginis vivaciter expreſſit Sponſus divinus; eámque Corpore ſuo ſacratiſſimo ipſe aliquando refecit.

Quod DEUS prodigiosè egit in corde ſanctæ Claræ, idem ego exprimam in corde meo devotâ conſideratione ante & poſt ſacrum. Itaque efformabo intra me verticem Golgothæum,

in

[illegible] Dominum meum cruci[illegible], [illegible] utrumque passionis Dominicæ [illegible], [illegible] centies, & iterum centies [illegible] meus crucifixus est! Amor meus [illegible]. ô bone JESU, ut [illegible] mihi concedant [illegible]. [illegible] sanguinem tibi [illegible] mortem tuam divi[illegible] [illegible] inimicos. omnibus vicissim [illegible]; [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] offero dolo[illegible], quem intimisti, quæ[illegible] [illegible] in altum elevans, ac postea violenter demissus tulli, cor[illegible] universo ex tribus [illegible] cruciatissimis suspenso; offero [illegible], quas [illegible], preces & suspiria, quæ emisisti, [illegible] omnia, quæ protulisti, frigus ac tremo[illegible] membrorum, quem pertulisti, angustias ac [illegible]pressionem cordis, quas persensisti, pudo[illegible], ac verecundiam, quam passus es, omnes [illegible]tus virtutum, quos elicuisti, dolorem, quem [illegible] sanctissima Mater tua, cum aliis tibi devotis, [illegible] pedem crucis sustinuit; denique offero tibi amarissimam mortem tuam, quam tibi amor violentissimus, ac simul dolor intensissimus inulit; per merita sacratissimæ vitæ, passionis ac mortis tuæ humiliter te rogans, digneris ani[illegible] ab omnibus maculis abluere in San[illegible]eritisque ac virtutibus tuis exorna[illegible] [illegible] suo è corpore sanctissimâ passione

ac

morte tua communire. Amen! Ita erit mihi *Salus in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti.*

---

## XV. Cal. Septembris. Dies 18. Auguſti.

### *S. Helena Imperatrix.*

Præcipuis, quibus ob Zelum eximium ob-ſtricta eſt Eccleſia, ſanctis Matronis fuit He-a, Magni Conſtantini Mater; quæ idolatriam, ic ubique fere vigentem, nihil morata, Hie-ſolymas abijt, ſacram Domini Crucem ſeduló æſivit, inventam è latebris eruit, erutam tui orbis totius propoſuit-, locáque, Chriſti tientis veſtigijs ſignata, pluribus, iſque mag-icis Templis exornavit.

Sanctæ iſtius Imperatricis exemplum ego e-m imitabor; tótque in corde meo Servatori truam baſilicas, quot loca ipſe patiens præ-ouè nobilitavit. Et primam quidem ſtatuam ipſo clivo Golgothæo, ubi Dominus ſalutem ſtram operatus in medio terræ: alteram eò co erigam, ubi Chriſtus flagellis non igno-iniosè minùs, quàm dolorosè eſt conciſſus, ſertò ſpineò redimitus: tertiò in Arce Sionis prabo cænaculum illud grande, ſtratum lapide, quo ultimam cum Diſcipulis cænam Chriſtus lebravit, & auguſtiſſimum Corporis & Sangui-s ſui Myſterium inſtituit; ubi etiam Spiritus nctus Virginem Deiparam cum Apoſtolis, aliſ-re diſcipulis gratijs ſuis ac chariſmatibus in die ntecoſtes replevit. Tria hæc tabernacula

cordis

cordi meo fixa hæreburit; hæc dedicata sunto amori divino, tam magno, ut Sanguinem suum pro me fuderit Christus, & morte suâ à morte perpetua me asseruerit; ac demum seipsum in sacro Sacramento reliquerit, quò usque ad consummationem sæculi nobiscum esset.

At verò miserum me! vix enim sacra hæc Mysteria percipio, aut animo revolvo; mox alio mente abeo; vereque de corde meo scripsit Augustinus: (*a*) vix stat cor ad DEUM suum, & vult se tenere, ut stet; & quodammodo fugit à se; nec invenit cancellos, quibus se includat; aut obices quosdam, quibus retineat avolationes suas. Non ita, ô DEUS, non ita erit deinceps; ad te, Domine, levabo animam meam; DEUS meus, in te confido, non erubescam: tu lætifica animam servi tui; quoniam tu suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. Ludibrio Christum habuêre Judæi, quando flexo coram ipso poplite dixerunt: Ave Rex Judæorum: non absimiles istis sunt Sacerdotes illi, qui in Missa, Horis canonicis, aliisque externis simulant devotionem, animo autem liberè evagantur, cogitationibus ad alia voluntariè distrahuntur, labijs DEUM honorantes, corde autem longissimè absentes. Non tales adoratores quærit DEUS, sed qui eum

*adorent in spiritu & veritate.*

xiv. Cal.

(*a*) *in psal.* 35.

## xiv. Cal. Sept. Dies 19. Auguſti.

### *S. Ludovicus Epiſc. Toloſ.*

PAtrem habuit Carolum II. Regem Siciliæ Ludovicus Toloſatium Antiſtes; qui etiamnum juvenis obſes datus, & Barcinone in cuſtodia detentus, indies ſub ſacro, ad ipſam ſacræ Hoſtiæ elevationem, DEUM precatus eſt, ne cuſtodiâ illâ liberaretur; quòd cerneret, ità commodam è nactum occaſionem, DEO liberiùs ſerviendi, nundique tumultus declinandi, ac ſpiritum ineriùs colligendi: quod & ſeptennio integro obinuit.

Aſſerunt divus Thomas, ſanctus Petrus Maryr, aliique, efficaciſſimam illam orationem eſſe, juâ gratia quæpiam à DEO petitur eo tempore, uo ſacra Myſteria populo oſtendit Sacerdos. Iti enim ſagitta Jonathæ nunquam redijt retrorum; ita humilis precatio, tunc exhibita Patri eterno, quando ſacer Myſta eidem offert Fiium dilectum, in vanum non effundetur; tunc naximè habemus Advocatum apud Patrem, JESUM CHriſtum juſtum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & pro noſtris neceſſitatibus jugiter interpellat.

Itaque tibi me committo, ô bone JESU, totúmque conſigno tuæ divinæ, amoroſæ & plusquam paternæ pietati, favori ac protectioni, idque in unione illius commendationis, quâ tu Patri tuo cœleſti Spiritum tuum in Cruce

commendâsti; præterea sanctissimis vulneribus tuis, ac cordi dulcissimo omnem meam petitionem includo, resigno, & pro benignissimo annutu tuo eo modo humillimè rogo, quo ipse vis, desideras & jubes, ut orem; dicis enim per Psalmographum: clamabit ad me; & ego exaudiam eum. Quòdsi differas, exaudire me; ideo solùm differs, ut in tempore opportuno audias, & in die salutis adjuves me; neque enim fieri potest, ut quis servorum tuorum, quâcunque pressus necessitate, angustiâ, periculo aut infirmitate, ad te recurrat, suique curam tibi fiducialiter committat, quin eum tu exaudias; cùm sis ipsissima pietas, infinita bonitas, essentialis clementia, & ineffabilis misericordia; ac proinde non possis non juvare in fide, spe & charitate ad te confugientem.

O summa & infinita bonitas, quæ in angustissimo Altaris Sacramento quotidie me invisere non dedignaris; quantam dignatio hæc spem & fiduciam occurrente quâvis necessitate in me excitare deberet! ô DEUS æterne, uti me condidisti ex nihilo, cruore proprio redemisti, conservasti hactenus curâ & amore paterno; ita confido, fore, ut deinceps etiam in quovis periculo mihi assistas. Itaque semper, & pro semper

*Ponam in* DOMINO DEO *spem meam.*

xiij. Cal.

## xiij. Cal. Septembris. Dies 20. Auguſti.

### *S. Bernardus Abbas.*

QUoties Eccleſiam intraret divus Bernardus, ad ejus fores depoſuit quasvis cogitationes, ac curas, aliò ſpectantes, inquiens: hîc expectate, dum rediero. In ipſâ verò Eccleſia adeò modeſtus, & mente in DEUM erectus erat, ut nullo fere ſenſuum uſu conſtare videretur, planè ignorans, quis templi ipſius ornatus, quæve pavimenti aut teſtudinis ſtructura eſſet. Moribundo cuidam, in peccatis obſtinato, gratiam reſipiſcendi obtinuit per Sacrificium Miſſæ; ipſâ verò ſacrâ Hoſtiâ, patenæ impoſitâ, dæmonem è fœmina obſeſſa proſcripſit, & Guilielmum Aquitaniæ Ducem ad frugem reduxit.

Sanctum hunc Abbatem ſecutus, ad templi ingreſſum quasvis alienas cogitationes deponam, ut devotè ac attentè divino officio ac ſacrificio aſſiſtere valeam, & è corde meo pellatur omne dæmonis opus, ac cum Guilielmo in viam redeam, peccata admiſſa ſeriâ pœnitudine eluam, mores pravos corrigam, mortemque beatam, ac mite judicium merear obtinere.

Fateor equidem, peccâſſe me ſuper numerum arenæ maris, nec dignum eſſe, qui aſpiciam altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ. Verùmtamen quantum ob peccata mea dejicior, tantùm ob Chriſti erga peccatores bonitatem erigor; qui in mundum venit, non, ut judicet mundum, ſed ut

ſalvetur mundus per ipſum; qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores. Leo equidem eſt; ſed & ſimul Agnus eſt: & ſi intolerabilis eſt ira comminationis ejus; inveſtigabilis etiam eſt multitudo miſerationum illius; longanimis ipſe eſt, & multùm miſericors, patiens & præſtabilis ſuper hominum malitia: deducit ad inferos; ſed & reducit; humiliat, & ſublevat: humiliat & proſternit Saulos; & Paulos erigit, lupos in agniculos mutat, in Juſtos & Sanctos, graviſſimos peccatores. Tremant igitur, & paveant alij à vultu virtutis ejus; at non paveam ego; confundantur alij, at non confundar ego, licèt omnium minimus, & peccatorum maximus; quin potiùs corde contrito, & animo humiliato ad DEUM confugiens, ſpe ampliſſimâ erga infinitam ejus miſericordiam conceptâ, imperterritus Dominum expectabo; eſt enim

*Longanimis, & multùm miſericors.*

---

## xij. Cal. Septembris. Dies 21. Auguſti.

### *Beata Villana.*

SPeculum mihi objicitur hodie, noviſſima hominis, & mundi exhibens vanitatem. Eſt id beata Villana Florentina; quæ ſæculo etiamnum addicta, cùm die quâdam fœminarum more ſe comeret, pingeret, fingerétque, ſpeculum ex vana ſui complacentia conſuluit; non tamen formàm ſuam in eodem, ſed monſtrum quoddam terrificum conſpexit, adeo exinde territa, ut

velut

velut exanimis conciderit. Ad ſe autem rediens, ex ſpeculo vanitatis facta eſt norma pœnitentiæ, habitum ſancti Dominici induta.

Dicebat quondam vir magnus: (a) feciſti, Domine, de Corpore tuo ſpeculum animarum; quod intuentes, transformamur in Spiritum Domini. Inſpexit hoc latro in cruce; (b) & ſcivit, quòd vulnera illa in Corpore Chriſti non eſſent Vulnera Chriſti, ſed ſua: & ideo illum amare cœpit, poſtquam in corpore ejus ſua vulnera recognovit. Ego bina mihi hodie efformabo ſpecula, alterum inanimatum, quod demortui Calvaria mihi exhibet, vivaciter ingerens commune illud: hodie mihi, cras tibi: alterum animatum Spiritu divino; & hoc eſt ſanctiſſimum Chriſti Corpus; illud mihi oſtendet rerum omnium vanitatem, fluxum divitiarum, honorum, voluptatum, quibus ſcelerati plerumque hîc fruuntur, ſed ad momentum tantummodo; prout Vates Regius teſtatur, inquiens: vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani; & tranſivi: & ecce non erat! & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus: hoc bonorum æternorum ſubſtantiam, & futuram gloriam (cujus Pignus eſt) ob oculos ponet; nam omnes quidem, ſicut veſtimentum veteraſcent; Chriſtus autem in æternum permanet; & memoriale ejus in generationem & generationem. Illud mihi exhibebit hominis inſtabilitatem, & in concepto propoſito inconſtan-



(a) *Drogo Cardin.* (b) *Ambr. ſerm. 44.*

ſtantiam; ſiquidem juxta divum Jacobum homo comparatur viro, conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo; ſed conſideravit, & abijt, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit: Hoc monſtrabit mihi gratiam Domini noſtri JESU Chriſti, in qua omnia poſſumus, quando nos confortat. Ita contraria juxta ſe poſita magis elucescent, dum inde meam deformitatem, hinc gratiam ac benignitatem DEI agnoſcam. Et profectò quis ego ſum, Domine, & quis tu? Tu Dominus DEUS, Creator, Redemptor, Conſervator & Protector meus es; ego plaſma tuum, & viliſſimus terræ vermiculus, inobediens, perverſus, perduellis, peccator; tu Dominus tantæ Majeſtatis, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum; ego terra & cinis, & vas ex luto coagulatum. Cur igitur ad oppoſitionem hanc non deficit cor meum? cur non diffluit totum in lacrymas? cur ex tali meditatione ignis intra me non exardeſcit? Velle equidem adjacet mihi; perficere autem non invenio; tu, Domine, volentem juva, tu infirmo dexteram porrige, qui es Imago claritatis paternæ, &

*Speculum ſine macula.*

---

## xi. Cal. Septembris. Dies 22. Auguſti.

### *Beatus Jacobus Dominicanus.*

ILluſtre Ordinis Dominicani Sidus, beatus Jacobus de Bevagna, ſanctiſſimo Euchariſtiæ Myſterio addictiſſimus, ternis in hebdomade diebus,

bus, tempore Adventûs & verni jejunij, ſolo hoc cœleſti Epulo reficiebatur, omni alio cibo tum abſtinendo; hoc tamen non obſtante, de ſalute animæ frequenter angebatur, adeo ut toto corpore ſudaret, tremeretque; neque elicito actu ſpei in divinam miſericordiam conquieſcere poſſet. Contigit aliquando, ut hiſce actus turbinibus, ad Chriſti crucifixi pedes ſeſe abjiceret, pro ſalute ſua affectu intenſiſſimo DEUM precatus: tum has ex ore Servatoris voces audijt: en, Jacobe, Sanguis iſte in ſignum ſit ſalutis tuæ; ſimúlque guttulis aliquot pretioſiſſimi cruoris, ex vulnere lateris prorumpentibus, orantis faciem conſperſit, ac manus; quarum notæ neque poſt mortem in ſacris ejus reliquijs deleri potuerunt.

Quòdſi homines tam ſancti de ſalvatione ſua anxij dubitârunt; ſi omnibus artubus contremuerunt ex metu judiciorum divinorum; væ miſero mihi! ſi enim juſtus vix ſalvabitur, impius ego, & peccator ubi parebo? ſi Apoſtolus vult omnes ſalutem ſuam cum timore & tremore operari; temerarius profectò ego ſum, qui cœlum mihi tam facilè ſpondeo. Si nemo ſcit, utrum amore, an odio dignus ſit; & ille etiam, qui nihil ſibi conſcius eſt, non tamen in hoc juſtificatus eſt; quantum ego de divina miſericordia ac bonitate præſumo! Pie JEſu, optime Salvator, ſanguis iſte, quem pro me in paſſione & morte tua tam copiosè effudiſti, quémque ego, utut indigniſſimus, in ſacro Miſſæ ſacrificio

in cujus centro ſtatuam Dominum meum crucifixum; appendam utrinque paſſionis Dominicæ inſtrumenta, dicámque centies, & iterum centies: Amor meus crucifixus eſt! Amor meus crucifixus eſt! quis mihi det, ô bone JESU, ut & ego moriar pro te? Id ſi minùs concedatur mihi; ſi dignus haud ſum, qui ſanguinem tibi reddam; ecce offero tibi mortem tuam diriſſimam, ac dolores illos ineffabiles, quibus viſcera tua penetrata fuerunt; offero tibi ſannos, ludibria, & blaſphemias irrogatas; offero dolorem illum intenſiſſimum, quem ſuſtinuiſti, quando unà cum cruce in altum elevatus, ac poſtea in terram violenter demiſſus fuiſti, corporis pondere univerſo ex tribus tantummodò clavis acutiſſimis ſuſpenſo; offero lacrymas, quas profudiſti, preces & ſuſpiria, quæ emiſiſti, verba omnia, quæ protuliſti, frigus ac tremorem membrorum, quem pertuliſti, anguſtias ac compreſſionem cordis, quas perſenſiſti, pudorem, ac verecundiam, quam paſſus es, omnes actus virtutum, quos elicuiſti, dolorem, quem ſanctiſſima Mater tua, cum aliis tibi devotis, ad pedem crucis ſuſtinuit; denique offero tibi amariſſimam mortem tuam, quam tibi amor violentiſſimus, ac ſimul dolor intenſiſſimus intulit; per merita ſacratiſſimæ vitæ, paſſionis ac mortis tuæ humiliter te rogans, digneris animam meam ab omnibus maculis abluere in Sanguine tuo, meritiſque ac virtutibus tuis exornare, & in exitu ſuo è corpore ſanctiſſimâ paſſione

ac

oportet autem, ut non ſolùm me præparem ad devotionem ante Communionem, ſed ut etiam me ſolicitè conſervem in ea poſt Sacramenti ſuſceptionem: non enim minor cuſtodia poſt eam exigitur, quàm devota præparatio ante eam; nam bona poſtmodùm cuſtodia, optima iterum eſt præparatio ad majorem gratiam conſequendam; qui autem nimiùm effuſus eſt ad exteriora ſolatia, redditur valde indiſpoſitus. Cave igitur tibi, anima mea, à multiloquio, & magis à ſtultiloquio; mane in ſecreto, & fruere DEO tuo; ipſum enim poſſides, quem tollere tibi nemo poteſt; dic proinde intimo cum affectu:

*DEUS meus, & omnia.*

---

## ix. Cal. Sepembris. Dies 24. Auguſti.

### *S. Bartholomæus Apoſtolus.*

ANguſta eſt porta, quæ ducit ad vitam; & pauci intrant per eam. Certè divus Bartholomæus ipſam etiam pellem exuit, ut tranſiret expeditiùs: orationi ita fuit addictus, ut centies de nocte genua flecteret oraturus. Quis proinde miretur, eum abſolutum in dæmones imperium exercuiſſe, adeò ut corpora obſeſſa relinquerent ad ipſius mandatum, & in idolis obmuteſcerent, ſi vel ſolùm propiùs acceſſiſſet.

An & ego pellem, aut ſaltem veterem hominem, amore Chriſti exuo? an aliquid pro ejus ſuſtineo honore, qui tanta pro me, imò ipſam

cordi meo fixa hæreburit ; hæc dedicata ſunto amori divino, tàm magno, ut Sanguinem ſuum pro me fuderit Chriſtus, & morte ſuâ à morte perpetua me aſſeruerit ; ac demum ſeipſum in ſacro Sacramento reliquerit, quò uſque ad conſummationem ſæculi nobiſcum eſſet.

At verò miſerum me! vix enim ſacra hæc Myſteria percipio, aut animo revolvo ; mox alio mente abeo ; vereque de corde meo ſcripſit Auguſtinus : (a) vix ſtat cor ad DEUM ſuum, & vult ſe tenere, ut ſtet ; & quodammodo fugit à ſe ; nec invenit cancellos, quibus ſe includat ; aut obices quosdam, quibus retineat avolationes ſuas. Non ita, ô DEUS, non ita erit deinceps ; ad te, Domine, levabo animam meam ; DEUS meus, in te confido, non erubeſcam : tu lætifica animam ſervi tui ; quoniam tu ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te. Ludibrio Chriſtum habuêre Judæi, quando flexo coram ipſo poplite dixerunt : Ave Rex Judæorum : non abſimiles iſtis ſunt Sacerdotes illi, qui in Miſſa, Horis canonicis, aliſque externis ſimulant devotionem, animo autem liberè evagantur, cogitationibus ad alia voluntariè diſtrahuntur, labijs DEUM honorantes, corde autem longiſſimè abſentes. Non tales adoratores quærit DEUS, ſed qui eum

*Adorent in ſpiritu & veritate.*

xiv. Cal.

(a) *In pſal.* 35.

## xiv. Cal. Sept. Dies 19. Auguſti.

### *S. Ludovicus Epiſc. Toloſ.*

PAtrem habuit Carolum II. Regem Siciliæ Ludovicus Toloſatium Antiſtes; qui etiamnum Juvenis obſes datus, & Barcinone in cuſtodia detentus, indies ſub ſacro, ad ipſam ſacræ Hoſtiæ elevationem, DEUM precatus eſt, ne cuſtodiâ illâ liberaretur; quòd cerneret, ità commodam ſe nactum occaſionem, DEO liberiùs ſerviendi, mundique tumultus declinandi, ac ſpiritum interiùs colligendi: quod & ſeptennio integro obtinuit.

Aſſerunt divus Thomas, ſanctus Petrus Martyr, aliique, efficaciſſimam illam orationem eſſe, quâ gratia quæpiam à DEO petitur eo tempore, quo ſacra Myſteria populo oſtendit Sacerdos. Uti enim ſagitta Jonathæ nunquam redijt retrorſum; ita humilis precatio, tunc exhibita Patri æterno, quando ſacer Myſta eidem offert Filium dilectum, in vanum non effundetur; tunc maximè habemus Advocatum apud Patrem, JESUM CHriſtum juſtum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & pro noſtris neceſſitatibus jugiter interpellat.

Itaque tibi me committo, ô bone JESU, totúmque conſigno tuæ divinæ, amoroſæ & plusquam paternæ pietati, favori ac protectioni, idque in unione illius commendationis, quâ tu Patri tuo cœleſti Spiritum tuum in Cruce

commendâſti; præterea ſanctiſſimis vulneribus tuis, ac cordi dulciſſimo omnem meam petitionem includo, reſigno, & pro benigniſſimo annutu tuo eo modo humillimè rogo, quo ipſe vis, deſideras & jubes, ut orem; dicis enim per Pſalmographum: clamabit ad me; & ego exaudiam eum. Quòdſi differas, exaudire me; ideo ſolùm differs, ut in tempore opportuno audias, & in die ſalutis adjuves me; neque enim fieri poteſt, ut quis ſervorum tuorum, quâcunque preſſus neceſſitate, anguſtiâ, periculo aut infirmitate, ad te recurrat, ſuique curam tibi fiducialiter committat, quin eum tu exaudias; cùm ſis ipſiſſima pietas, infinita bonitas, eſſentialis clementia, & ineffabilis miſericordia; ac proinde non poſſis non juvare in fide, ſpe & charitate ad te confugientem.

O ſumma & infinita bonitas, quæ in auguſtiſſimo Altaris Sacramento quotidie me inviſere non dedignaris; quantam dignatio hæc ſpem & fiduciam occurrente quâvis neceſſitate in me excitare deberet! ô DEUS æterne, uti me condidiſti ex nihilo, cruore proprio redemiſti, conſervaſti hactenus curâ & amore paterno; ita confido, fore, ut deinceps etiam in quovis periculo mihi aſſiſtas. Itaque ſemper, & pro ſemper

*Penam in DOMINO DEO ſpem meam.*

xiij. Cal.

## xiij. Cal. Septembris. Dies 20. Auguſti.

### *S. Bernardus Abbas.*

QUoties Eccleſiam intraret divus Bernardus, ad ejus fores depoſuit quasvis cogitationes, ac curas, aliò ſpectantes, inquiens: hîc expectate, dum rediero. In ipſa verò Eccleſia adeò modeſtus, & mente in DEUM erectus erat, ut nullo fere ſenſuum uſu conſtare videretur, planè ignorans, quis templi ipſius ornatus, quæve pavimenti aut teſtudinis ſtructura eſſet. Moribundo cuidam, in peccatis obſtinato, gratiam reſipiſcendi obtinuit per Sacrificium Miſſæ; ipſâ verò ſacrâ Hoſtiâ, patenæ impoſitâ, dæmonem è fæmina obſeſſa proſcripſit, & Guilielmum Aquitaniæ Ducem ad frugem reduxit.

Sanctum hunc Abbatem ſecutus, ad templi ingreſſum quasvis alienas cogitationes deponam, ut devotè ac attentè divino officio ac ſacrificio aſſiſtere valeam, & è corde meo pellatur omne dæmonis opus, ac cum Guilielmo in viam redeam, peccata admiſſa ſeriâ pœnitudine eluam, mores pravos corrigam, mortemque beatam, ac mite judicium merear obtinere.

Fateor equidem, peccâſſe me ſuper numerum arenæ maris, nec dignum eſſe, qui aſpiciam altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ. Verùmtamen quantum ob peccata mea dejicior, tantùm ob Chriſti erga peccatores bonitatem erigor; qui in mundum venit, non, ut judicet mundum, ſed ut ſal-

aſpiret dies claritatis æternæ, & umbræ figurarum tranſeant; tunc cùm advenerit, quod perfectum eſt, ceſſabit uſus Sacramentorum: beati enim, DEI præſentiâ fruentes, guſtant DEI Verbum, quod carnem aſſumpſit, ſicut fuit ab initio, & manet in æternum. Ego interim ambulabo in fide, exemplis Sanctorum confirmatus; ſolatio item erunt libri ſancti, qui vitæ ſpeculum mihi exhibebunt. Præcipuè ſanctiſſimum Chriſti Corpus tutum mihi in omnibus aſylum præbebit. Siquidem in carcere Corporis hujus conſtitutus, duobus egeo, cibo videlicet, & lumine: jam verò dediſti mihi Corpus tuum in cibum; ac ſimul lucernam poſuiſti pedibus meis verbum tuum. Inde

*Confitebor, & laudem dicam tibi.*

---

vi. Cal. Septembris. Dies 27. Auguſti.

*SS. Cæſarius, & Tuto, Epiſcopi.*

PRæceperat olim DEUS Hebræis, Agnum Paſchalem comeſturis, ut, ſi ad ejus eſum non ſufficerent domeſtici, vicini advocarentur, ut ita agnus integer abſumeretur. Nempe advocandi ſancti, & præcipuè vicini, ſeu Eccleſiarum, quas incolimus, præſides; ut eorum patrocinio adjuti, digni reddamur ad Agni eſum: (a) ita vicinis aſſumptis per DEI gratiam ad eſum Agni ſufficimus; ideo in Canone tot Sanctos commemoramus, quatenus eorum meritis & inter-

(a) Rup. Abb.

terceſſionibus gratum fiat DEO ſacrificium noſtrum.

Exemplum devotionis iſtius nobis præbet beatus Tuto, (a) Epiſcopus Ratisbonenſis, antea Arnulphi Imperatoris Cancellarius; qui aulæ valedicens, Monachum induit ad ſanctum Emeranum: poſteà ad mitram ejus civitatis evectus, Cæſarem in Gallias ſecutus eſt; unde captâ Lutetiâ aſtu mirabili corpus ſancti Dionyſij Areopagitæ, unà cum codice Evangeliorum, auro gemmiſque diſtincto, in patriam retulit, eásque Reliquias cum bona Imperatoris venia cultui publico expoſuit in eodem divi Emerani Monaſterio, ubi divinæ contemplationi in loco quodam ſolitario vacare non ceſſavit.

Simile planè exemplum reliquit nobis ſanctus Cæſarius, Præſul Arelatenſis; qui ad Altare, ſacrum facturus, nunquam acceſſit, niſi Sanctorum auxilium patrociniúmque priùs expetijſſet; inde perſoluto ſacro Miniſterio obſeſſos à dæmonibus liberare ſolebat.

Hos, aliósque imitatus, primò Reginam Sanctorum omnium implorabo, ut præſidio ſuo mihi adeſſe, meúmque ad Altare ingreſſum benedicere dignetur.

Inde ad vos tranſeo, ſancti Angeli, & Archangeli, teque præ cæteris, ô magne paradiſi præpoſite, ſancte Michael, unà cum Angelo cuſtode meo rogo, impetrate mihi precibus veſtris, ut veſtræ æmulus puritatis, JESUM, Regem

a) Rabi. Bap. S.

gem veſtrum ac meum, in thalamum animæ meæ introducere dignè merear: Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, omnes ſancti Apoſtoli ac Diſcipuli Domini, vos ſancti Martyres & Confeſſores, vos Virgines ac Viduæ, vos denique Sancti omnes intercedite pro me, ut JESUM, veſtrûm omnium coronam ac gloriam, fide integrâ, ſpe firmâ, & charitate ſolidâ recipere valeam, ut ita ego etiam conſequar coronam gloriæ ſempiternæ.

Vos, ſancti Tutelares mei, amici æſtimatiſſimi, vos pro cliente veſtro, licèt immeritiſſimo, orate, ut veſtro nixus præſidio ſufficiens reddar ad eſum ſacri Agni.

Et tu, Agne DEI, qui tollis peccata mundi; tolle à me, quidquid tibi diſplicet in me. Agne DEI, qui tollis peccata mundi; mea quoque tolle peccata, ut tibi caſto corpore ſerviam, & mundo corde placeam. Agne DEI, qui tollis peccata mundi; ne tollas animam meam à me, niſi priùs Angelorum Pane ſit refecta; grandis enim mihi reſtat via, ignota ac periculis plena: ne ergo deficiam in via, tu me refice; ne aberrem, tu me illumina; ne in latrones incidam, tu me protege. Et vos

*Sancti DEI, intercedite pro nobis.*

---

## v. Cal. Septembris. Dies 28. Auguſti.

### *S. Auguſtinus Epiſcopus. E. D.*

Cùm Mediolani in horto domeſtico meditabundus deambularet, vocem audijt, ingeminan-

minantem: tolle, lege; tolle, lege. Itaque tollens, aperiensque sacrum Codicem, legit ex Apostolo, quinam regno DEI excludendi essent. Inde non Doctorum tantummodò, ac Præsulum Ecclesiæ, sed omnium omnino verè pœnitentium factus est speculum & exemplar. Cæterum si, juxta Veritatis oraculum, ex abundantia cordis os loquitur; facilè colligitur, quis fuerit ardor Augustini erga DEUM Eucharisticum, si sequentia, quæ habet, expendamus: (a) Anima Christiana, serva decorem tuum; agnosce, quid fueris, quid eris: ut pulcra permaneas, carnem Filij DEI quotidie manducabis; ut vitam æternam habeas, Sanguinem ejus potabis.

(b) Dum accedis ad Altare, noli parare fauces, sed cor; in os enim intrat, ut per illud cor possideat. (c) Carnem & Sanguinem Christi sumamus usque ad Spiritûs participationem; & in corpore ejus tanquàm membra maneamus; hoc enim est manducare illam escam, & bibere Sanguinem illum, in Christo manere, & illum in se manentem habere; aliàs non manducat spiritualiter Carnem ejus, nec bibit Sanguinem ejus, licèt carnaliter & visibiliter dentibus premat Sacramentum.

Gratias tibi, Creator ac Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam parâsti cænam magnam, in quâ non Agnum typicum, sed sanctissimum Corpus & Sanguinem



(a) *In Dominic. 16. l. 9.* (b) *Serm. 33. de verbis Dom.* (c) *Tract. 26. in Joan.*

tuum propoſuiſti manducandum, lætificans fideles omnes ſacro Convivio, & Calice ſalutari inebrians, in quo ſunt omnes deliciæ paradiſi: itaque

*Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

---

iv. Cal. Septembris. Dies 29. Auguſti.

*Decollatio S. Joannis Baptiſtæ.*

MAgnum orbis prodigium fuit Joannes, eremicola in deſerto, præco pœnitentiæ, Baptiſta Chriſti, Martyr caſtitatis. O Epulæ ferales, in quibus præmium leviculæ ſaltatricis eſt Caput maximi vatis, in diſco adulteræ appoſitum. O crudele ſpectaculum! meritò lumina claudis, Propheta ſanctiſſime, ne luxuriam intueri cogaris. Sed pœnas dedit ſaltatricula; quando caput, glacie receſſum à corpore, etiam poſt mortem ſaltus portentoſos dedit, omnibus oſtendens, non multo ſaltu opus eſſe, ut in orcum quis deſiliat; nam facilis deſcenſus averni.

Hodie præſentem mihi ſtatuam in Altari ſanctum Chriſti prodromum Joannem, digito in ſacratiſſimam Euchariſtiam intento mihi dicentem: Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi! Eſt enim ille ipſe agnus, qui olim in ara Crucis oblatus, pro meis, & totius mundi peccatis quotidie etiamnum offertur; ibi oblatio fuit cruenta, ut me redimeret, Patrique reconciliaret; hîc incruenta eſt, quâ recolitur memoria Dominicæ

minicæ Paſſionis. O infinita DEI bonitas, quæ, ut ſervum redimeret, Filium tradidit; qui, quod non rapuerat, in cruce exſolvit. Mihi debebantur catenæ; ijs DEI Filius fuit conſtrictus: flagra ego promerueram, nequam ſervus; & tamen Filius DEI ea tulit: Spinas mihi jure addixerat DEI maledictio; ijs Filius DEI coronatur: crux merita me manebat; ex ea Filius DEI pependit, verè, quæ non rapuerat, in ea exſolvens. Imò quotidie etiamnum idem facit, & debita mea exſolvit; dum in Miſſæ ſacrificio mea, & totius mundi peccata tollit, debitásque ijsdem pænas remittit.

Cæterùm quamvis optimè ſciam, quid Joannes objecerit Herodi; quamvis nullátenus me lateat illud: Non licet tibi; peccare tamen non ceſſo: (a) Vox Joannis ad fines terræ venit; & ubique, dum Eccleſias ingrederis, audis clamantem Joannem: non licet tibi. Quamvis ſatis agnoſcam, peccata mea multa eſſe, & magna; neque licere, ea repetere; quamvis ſciam, non eſſe licitum, divinâ abuti miſericordiâ, ut ea, in iram verſa, tempore vindictæ diſperdat me; à malo tamen impulſus habitu, & inveteratâ victus conſuetudine, illicita perpetrare indies pergo. Tu, Domine, qui portas inferi confregiſti, auſer à me pravos habitus, qui captivum me tenent; auſer malas concupiſcentias, & omnia illicita; &

*Qui tollis peccata mundi, tolle & mea.*



(a) *Joan. Chryſ.*

iij. Cal. Septembris. Dies 30. Auguſti.

## *S. Roſa Limana Virgo.*

PRimus Americæ auſtralis flos, Roſa Limana, vultu in roſæ figuram efformato in lucem prodijt, indéque nomen traxit; quinquennis continentiæ perpetuæ votum emiſit; cæſariem venuſtiſſimam, ne mundo placeret, clam ſibi abſcidit; integro quindecennio ariditatibus mentis, corporis infirmitatibus, domeſticorum inſultibus, aculeis maledicorum exagitata, invictâ patientiâ tulit agones, morte amariores. Ita probata, à Chriſto audire meruit: Roſa cordis mei, tu mihi Sponſa eſto: Deiparæ, ſanctæ Catharinæ Senenſis, cujus ſectandæ ſibi veſtigia delegerat, & Angeli Cuſtodis crebris apparitionibus fuit recreata. Aliquando ad Epulum divinum accedens, videbatur ſibi ſolem intra ſe recipere, ac in mente non minùs colluſtrari, quàm ſol iſte materialis totam terram illuminet: Viribus ob ſtricta jejunia, quæ frequentabat, deficiens, novum robur haurire ſolebat, ad ſacram Synaxin accedens.

Utinam Cibus divinus in me etiam produceret effectus ſolis, & (quod iſte facit) tenebras intellectûs diſſiparet, frigus ac teporem voluntatis depelleret, meque divino calore foveret. Tu, ô JESU, qui es Cibus animarum noſtrarum, & verus juſtitiæ ſol, hoc in me perfice: diſſipa adventu tuo omnes tenebras, quæ lumen veræ ratio-

rationis obfuſcant ; accende affectus meos igne amoris tui, qui ignem veniſti mittere in terram, nec aliud vis, niſi accendatur ; excoque calore tuo bona propoſita mea, ut in fructus uberrimos, ſapidiſſimósque excreſcant. (a) Scribe nomen meum, dum te recipio, in cor tuum, & nomen tuum dulciſſimum in cor meum, ut fiat unio perfecta inter nos ; & quia de meo offerre non poſſum, quod debeo, offero tibi in ſupplementum omnem amorem, omnéque deſiderium, quo unquam cor humanum fuit accenſum. Tu ſuſcipe, quemadmodum dilectæ tibi Mechtildi promiſiſti, velle ſuſcipere ejus amorem, non qualis in ſe erat, ſed qualem habere deſiderabat. Utinam & ego talem amorem, talem ac tantam munditiem haberem, qualem tu deſideras! utinam omni virtute, omni deſiderio, omníque devotione exornatus eſſem! utinam Angelorum puritatem, charitatem Apoſtolorum, Martyrum conſtantiam, fidem Confeſſorum, & Virginum continentiam poſſiderem! utinam tali pro modulo meo devotione, amore, reverentiâ, te poſſem ſuſcipere, quali te virginea Mater tua in incarnatione ſuſcepit, ac poſtea in hoc Sacramento recepit! Tu, Domine, qui ignem jugiter vis ardere in Altari cordis mei, accende me tepidum, frigidum inflamma ; ut ita

*Sol luceat in virtute ſua.*



(a) *Orat. S. Mechtild.*

Pridie Cal. Septembris. Dies 31. Auguſti.

## S. Raymundus Nonnatus Conf.

EXimio Deiparam cultu proſequebatur Raymundus; à qua juſſus ingredi Ordinem de Mercede redemptionis captivorum, eâ id charitate præſtitit, ut, quò plures redimeret, pignori ſe Mauris dederit, plurésque eorum ad fidem adduxerit; inde in arctam detruſus cuſtodiam, ferâ item ferreâ, labijs perforatis immiſſâ clauſáque tortus fuit. Romam vocatus à ſummo Pontifice, ut in Collegium Patrum purpuratorum adoptaretur, in itinere ad ſanctorum cœtum abijt.

Quòdſi hactenus frequenter Dominum rogavi, ne absque ſacro Viatico decedam; id hodie majori fervore repeto, divum Raymundum imitatus, qui in itinere lethali correptus infirmitate, cùm moras traheret Sacerdos, inſtantiſſimè Deum precatus eſt, ne absque ſupremo hoc munimine ac ſolatio moreretur. Mox adfuit agmen ſupplex Angelorum, ſub ſchemate Religioſorum ſanctæ Mariæ de Mercede; qui facibus accenſis inſtructi, domum primò, dein cubiculum, ubi Sanctus decumbebat, rectâ acceſsêre; hos ſecutus quidam, venerandus canitie, & oris Majeſtate, è ſacra Hierotheca, quam ferebat, Corpus Dominicum deprompſit, ac moribundo porrexit. Inde eodem omnes, quo venerant, ordine receſſerunt; visique ſunt flumen ſiccis pedibus tranſiſſe, ac tum diſparuiſſe.

(4) Caro Chriſti eſt viaticum, currus animæ, & cibus; Chriſtus auriga, inquit Quaricus Abbas. Dum ergo propinquaverit hora mortis meæ, maximè ſemper incerta; dum inſcendendus mihi erit currus tranſitûs à tempore ad æternitatem; tu, JESU pijſſime, eſto mihi auriga, poſtquam cibus & viaticum fuiſti. Felicem præ aljis innumeris virginibus Gertrudem, cujus animam Sponſus divinus in Cor ſuum recepit, & Patri æterno ſtitit præſentem! Fuit hæc ſingularis prærogativa, Sponſæ adeò dilectæ exhibita, & peccatoribus nullatenus debita: Liceat tamen mihi recurrere ad Vulnera tua, benignisſime Salvator; hæc mihi ſint aſylum, & ſcutum contra omnes hoſtium inſultus; hæc mihi ſint currus Iſraël, túque auriga: & cùm me cordi tuo divino ab æterno ita commendaveris, ut decreveris amore mei tanta facere, & pati; hinc ego etiam eidem ſanctiſſimo Cordi tuo me commendo; tu eò me cum Gertrude tua recipe. Ita etiam

*In medio umbræ mortis non timebo mala; quoniam tu mecum es.*

## Calendis Septembris. Dies 1. ejuſdem.

### *SS. Angeli Cuſtodes.*

ANgelos ſacro Miſſæ ſacrificio præſentes adeſſe, & cum Chriſto cœlo deſcendere conſecrationis tempore, conſtanter tenēt S. Patres. Imò voluntiſdē,



a) *Serm. 1. de Reſurr.*

ſupernos hos ſpiritus jugiter ambire Sacrarium, in quo Corpus Dominicum aſſervatur; inde præcipit Apoſtolus, mulierum capita velari in Eccleſia; propter Angelos nempe, ibi continuò præſentes.

Aderit itaque haud dubiè etiam ſanctus Cuſtos meus, quoties ſacra Myſteria perago; nec ſolùm aderit, ut Domino ac Regi ſuo meoque inſerviat; ſed etiam, ut attentionem, reverentiam ac devotionem meam obſervet. Et ô, ut nihil notet in me, quod puriſſimos ejus oculos offendat! ut eum mihi ſuggerat fervorem, quo verè dignèque dicere Patri æterno poſſim: jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime Altare tuum, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ! Meruit beatus Martinus dici gemma Sacerdotum: vereor ego, ne dici poſſim opprobrium Sacerdotum. (a) Eſt Chriſtus Dominus margarita pretioſa orbis terrarum: quomodo margaritam hanc æſtimo? quomodo tracto? quò recondo? Si eam, ut ſignaculum, ponerem ſuper cor meum; haud dubiè reſplenderet in vita & moribus, viderentque alij opera mea bona, & Patrem, qui in in cœlis eſt, glorificarent. Tu, ô JESU, effice dignum Altaris tui miniſtrum; ut bonis Sacerdotibus accenſeri ſaltem merear, ſi inter eos, ut gemma, non excellam. (b) Diligam te, Domine, pro dono tuo, & merito tuo; qui etſi, quantum debeo, non poſſum, potero tamen ampliùs, ſi plus donare dignaberis; quamvis

(a) Cyrill. (b) Bern. de Dil. Dei.

vis nunquam te ſim amaturus, quantum mereris. Ita Cuſtos meus in omnibus vijs mihi aderit; & in ſupremo conflictu

*Angelus faciei tuæ ſalvabit me.*

## iv. Non. Septembris. Dies 2. ejuſdem.

### *S. Stephanus Rex.*

DEvotiſſimus Mariæ Virgini Stephanus, Pannoniæ Rex, moriens eidem Regnum ſuum legavit. Coram auguſtiſſimo Altaris Myſterio ſæpè inter preces, noctes inſomnes duxit: ex hoc fonte dein promanârunt tot pia opera, eleemoſynæ, templorum ſtructuræ ac dotationes; quæ dexteram ejus reſoluto toto reliquo corpore incorruptam ſervavêre.

An & ego vigilias ſacras frequento? imò feſtinare ſoleo, nequid de ſomno mihi detrahat oratio; & ſiquando officia divina protrahuntur, tædio mox afficior, & in queſtus impatienter effundor. Quâ autem attentione, reverentiâ, devotione ijs aſſiſto? Comparatur Eccleſia vineæ apud Isaiam, dicentem: (*a*) vinea Domini exercituum domus Israël eſt. Vineam hanc cœleſtis Paterfamilias (*b*) locavit agricolis ſuis, ut fructum ipſi in tempore redderent. At illi, videntes Filium, ad ſe miſſum pro fructu exigendo, ejecerunt eum extra vineam, & occiderunt. In hanc vineam & ego conductus ſum, quando dictum eſt mihi: attende, quale miniſterium tibi tradi-



(*a*) *Cap. 5. 7.* (*b*) *Matth. 21.*

tum ſit. Et ô quàm pretioſa ac ſpecioſa hæc eſt vinea, in qua liquorem pretioſiſſimum, ſanguinem ſuum, propinat ille, qui torcular ſolus calcavit! Verùm ego etiam ejicio eum extra vineam, è corde meo expello; & dum mihimetipſi judicium manduco, reúsque fio Corporis & Sanguinis Chriſti, rurſùs eum mihi crucifigo. Confiteor, pie JESU, impietatem meam, fateor delicta mea multa & magna; animitùs de illis doleo, eáque ſuper omnia mala deteſtor; ac ſimul ſpero in miſericordia tua. Tu, per pretioſiſſimum vineæ tuæ liquorem, per divinum Sanguinis tui lavacrum ablue, emunda, extingue omne cordis & animæ meæ piaculum, ut per ſanctiſſima merita tua emundatus, mundo corde, & immaculato corpore ad Altare tuum accedam.

Cæterùm & ego ero vir multæ orationis, ſubinde ſaltem noctu templum adeundo, & cor meum coram auguſtiſſimo Sacramento effundendo, in ruborem adductus à tot Religioſis DEI famulis, qui mediâ nocte ſurgunt ad confitendum Domino, laudésque divinas concinendas; ut ita impetrem, quæ ad ſalutem animæ meæ petenda occurrent. Hoc enim eſt multæ, & perſeverantis orationis, à qua remittere non debet, qui vult, quod petit, impetrare. Deſiderio deſiderarat Chriſtus manducare paſcha cum Diſcipulis, antequam pateretur; non minore deſiderio optabat baptizari baptiſmo ſanguinis ſui, ita ut coarctaretur, donec illud perficeretur; & tamen

men gemino huic deſiderio ſatis non eſt factum, niſi poſt triginta tres annos: & tu vix manus (ut benè ait devotus quidam aſceta) cum languida oratione levas; & ſi DEUS non ſtatim præſtat, quod petis, animo dejiceris. Deſiderio ergo deſidera, quæ ad profectum tuum ſpiritualem faciunt; perſevera, ferventer inſta, & obtinebis: Dicit enim DEUS:

*Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.*

---

## iij. Non. Septembris. Dies 3. ejuſdem.

### *Venerabilis Thereſia Ancilla.*

MEminit hodie Martyrologium Hiſpanicum cujuſdam Thereſiæ; quæ Priori Eccleſiæ Ourenienſis, ſed multò ferventiùs DEO famulabatur. Hæc, quidquid temporis à ſervitijs domeſticis ſupererat, precibus coram ſanctiſſima Euchariſtia fundendis impendebat: quod cùm aliquando ſub veſperum ageret, in Ecſtaſin ſublimiſſimam rapta eſt; in qua cùm totam noctem egiſſet, manè reverſa ad ſeipſam cogitare mox cœpit, farinam pinſendis panibus pridie ſe miſcuiſſe quidem; ac ſubegiſſe; nondum tamen furno immiſiſſe. Quare domum properè pergit; ubi opus totum Angelicis perfectum manibus, & panes optimè coctos invenit.

Per plateas tranſimus, inquit Ambroſius, in atrijs ſanctis ſtamus. Plateæ ſunt tranſitoria omnia, curæ, negotia, & quidquid peregrino in via occurrit: hæc univerſa oportet tranſire; ſta-

re autem, & habitare decet in Eccleſijs, in atrijs domûs Domini, in choro, in Altari. Hæc requies mea; hîc habitabo: in plateis non, niſi rumor & clamor, ubi meum, & tuum, frigidum illud verbum, lites & jurgia concitat; in DEO altum ſilentium, & tuta quies. Locus hominis DEUS eſt, extra quem nunquam ei benè erit. Calix verò Chriſti inebrians, ô quàm præclarus eſt. Verùm nemo ſcit, niſi qui accipit. Hunc calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo; & quamvis indignum me agnoſcam; attamen accedam confidenter: ita enim præcipit optimus Dominus, quando dicit: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Calix Domini quàm præclarus! calix mundi econtra quàm amarus! ignis, grando, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum, qui mundum ſectantur; benè de hoc Vates Regius: (a) Calix in manu Domini vini meri, plenus miſto; bibent omnes peccatores terræ. His DEUS calicem iſtum propinat, bona tranſitoria, honores, divitias, corporis voluptates continentem; quibus pro benè factis recipiunt bona in vita præſenti; uti ipſe Dominus ſanctæ Birgittæ inſinuavit, dicens: (b) impij, qui tranſitoria petunt, & delectamenta terrena diligunt, proſperantur ex juſtitia mea ad tempus; aliter autem procedo cum amicis meis, ad quos dico: poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? calicem in hoc quidem ſæculo amarum, ſed ſalutarem. O dul-

(a) *Pſal.* 74. (b) Revel. l. 5. c.

O dulce & amicabile verbum in aure peccatoris, quòd tu, Dominus meus, egenum & pauperem invitas ad ſacrum Convivium tuum, apponens ſanctiſſimum Corpus & Sanguinem tuum. Quis ſum ego, Domine, ut præſumam accedere? Ecce cœli cœlorum te non capiunt; & tu dicis: venite ad me omnes.

(a) Quid ſibi vult iſta pijſſima dignatio, & tam amicabilis invitatio? quomodo auſus ero venire, qui nihil boni mihi conſcius ſum, unde poſſum gloriari? quomodo te introducam in domum meam, qui tàm ſæpe offendi benigniſſimam faciem tuam? reverentur Angeli & Archangeli, metuunt ſancti & juſti; & tu dicis: venite ad me omnes. Niſi tu, Domine, hoc diceres, quis verum eſſe crederet? & niſi tu juberes, quis accedere attentaret? Venio itaque, ô Domine; ſed venio,

*Sicut ovis, quæ perijt à te.*

---

Pridie Non. Septembris. Dies 4. ejuſdem.

## *S. Roſalia Virgo.*

IN ſpelæis & antris delituit Roſalia, quando in palatijs habitare potuiſſet. Orandi modum ab Angelo edocta, preces DEO, roſarum inſtar, in calathis tranſmiſit. A Sponſo divino, in Matris ſinu reſidente, coronata fuit. Ad nuptias cæleſtes, Angelo ductore tranſivit, roſis redimita. Sub mortem inter quatuor præcipuos regi-

ni

---

(a) *Kemp. l. 4*

ni Siculi Patronos in cœlis media apparuit. Quid quid agant homines, intentio judicat omnes. Noëmus poſt diluvium ædificavit Altare Domino, & in gratiarum actionem holocauſtum obtulit; odoratúsque eſt Dominus odorem ſuavitatis, non eum certè, qui à combuſtis carnibus ac lignis aſſurgebat, ſed odorem bonæ & ſanctæ intentionis; uti notat Chryſoſtomus, inquiens: vide, quomodo animus offerentis fumum, & odorem omnem, qui inde naſcitur, multâ fragrantiâ implevit. Cùm itaque hæc ſciamus, mentem noſtram undequaque muniamus, ut per eam accepta fiant, quæ facimus. Sed qualem, putamus, peccator ſuis in actibus odorem exhalat, quando opus, etſi ex ſe gratiſſimum DEO, procedens tamen ex vaſe immundo, DEO nequit placere? Mensâ ſpirituali frueris, ait idem Os aureum; in menſa regiâ unguento optimo ungeris; & fœtore rurſum impleris? Acceptum erat DEO Noëmi ſacrificium, poſteaquam diluvium terram à peccatis emundaverat: Fient & mea ſacrificia DEO grata, ſi lacrymis eluero maculas vitiorum. Placuit DEO animus offerentis holocauſta; placeat & tibi, Domine, ſacrificium, quod offero; ſit tibi acceptabile; mihíque, & omnibus, pro quibus illud offero, te miſerante propitiabile fiat. Placet DEO omnis bonus conatus, affectúsque. Ita placuit eidem ardens deſiderium beatæ Roſaliæ, in ſpelæis vitam agentis; cui propterea negabatur omnis Sacramentorum uſus, ſoláque in poteſtate

erat

erat ſpiritualis communio; quâ utique amplius profecit, quàm alij plurimi, qui mensam Euchariſticam non eodem ardore, eâdemque devotione frequentant. Placuit etiam DEO ardor ac affectus beatæ Roſæ Viterbienſis, quæ hodie pariter vitâ exceſſit. Hæc (a) cùm auguſtiſſimum Altaris Myſterium aliquando recepiſſet in Eccleſia Fratrum Minorum; ardentiùs ſeſe colligens interiùs, in ecſtaſin rapta eſt, & divinis admodum intelligentijs arcanisque illuſtrata.

(b) Si Noë, vir juſtus, in arcæ fabrica centum annis laboravit, ut cum paucis ſalvaretur; ſi Moyſes Arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam & mundiſſimo ornavit auro, ut Tabulas legis in ea reponeret; ſi Salomon, ſapientiſſimus Regum, templum magnificum ædificavit, cujus dedicationem per dies octo celebravit, & Arcam fœderis in clangore buccinæ, & jubilo ibidem ſolenniter collocavit: convenit & mihi mundi fabricatorem, legis conditorem ſancto & ardenti deſiderio, rectâ puràque intentione ſuſcipere. Hoc deſiderium, hæc ſancta intentio placeat, ſi cætera diſplicent; nam

*Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.*

## Nonis Septembris. Dies 5. ejuſdem.

### *S. Laurentius Juſtinianus.*

LAurentio etiamnum Adoleſcenti oſculum libaverat divina Sapientia; & mox omnis ei mun-

(a) *Bolland. in vita.* (b) *Kemp. l. 4.*

mundus deſipuit; inde à blanditijs Matris ad Crucem Domini, apud Canonicos Regulares amplectendam, tranſivit. Sacris initiatus, quotidie litare ſolitus fuit inter uberrimas lacrymas; idque cùm die; Chriſto naſcenti ſacrâ, ageret, ſpecioſum formâ præ filijs hominum, ſub puerili ſchemate meruit videre.

Utinam haberem & ego Zelum DEI, & ſcientiam Sanctorum, ſobrietatem in victu, in moribus gravitatem, manſuetudinem in converſatione, in veſtibus moderationem! (a) Placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani priùs cibus Dominicus, id eſt, Corpus Chriſti ſacratiſſimum intraret; quàm cibi exteri & corporales. Si hoc exigit honor, Sacramento huic debitus; quantò magis exiget oris puritatem? etenim quod intrat per os, non coinquinat hominem; ſed quod exit de corde, hoc conquinat hominem. Hinc Petrus Damiani, (b) admonendi ſunt, inquit, qui ſacris Altaribus miniſtrare ſe diſponunt, ut non modò cor ab æſtuantium paſſionum igne cuſtodiant; ſed etiam linguam, quæ inter DEUM & hominem quodammodo mediatrix eſt, à ſupervacui ſermonis levitate compeſcant; ut lingua, quæ immaculato rubet ſanguine, dedignetur, otioſi ſermonis fæcibus ſeſe inquinare. Rectè proin monet Ambroſius: (c) alliga ſermonem, ſit reſtrictior, & ripis ſuis coërceatur; citò lutum colligit

(a) *Aug. Ep.* 118. (b) *Opuſc.* 49. *c.* 10. (c) *Lib.* 1. *Offic.*

ligit amnis exundans. Et Orator aureus: unguentum in ore tuo posuit DEUS; tu verò fœtidiora cadavere verba ibi reposuisti.

Ego miser in utroque pecco; dum nec passiones effrænes in corde cohibeo, neque linguam dissolutam refræno; sed utrobique conspurcatus sacrum Altaris Ministerium obeo. Certè si nugæ etiam in ore Sacerdotum sunt blasphemiæ; quid verba minùs honesta, & prætextata erunt? O Domine Deus, quandoquidem linguam nullus hominum domare potest, tu, cujus est, eandem gubernare, dà sermonem rectum, & benè sonantem in os meum; & qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundâsti ignito, igne sacratissimi tui Sacramenti emunda labia mea; pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis; passiones omnes, earúmque æstum restingue Sanguinis tui pretiosissimo liquore; ut hujus ope, amara omnia dulcia mihi fiant, aversio in mutuam concordiam, livor in amorem vertatur. Sit sermo meus: est, est; non, non. Siquidem

*Lingua universitas iniquitatis.*

---

viij. Idus Septembris. Dies 6. ejusdem.

## S. *Magnus Abbas.*

PRæceperat olim DEUS Israëli, ut in esu Agni Paschalis assumeret vicinum; ut (notante Theodoreto (*a*)) misericordiam erga pau-

(S) peres

(*a*) *In Exod.* 14.

peres illis commendaret. Si igitur in esu Agni illius typici virtutem hanc docere voluit; nónne id longè efficaciùs aget in Agni veri ac divini sumptione? At tu, inquit Sanctus ille, qui commemorationem Christi facis, & paupères despicis, non horrescis? qui autem sunt præcipuè pauperes illi, quorum ad Mensam divinam oblivíscimur? Nempe animæ illæ miserrimæ, infixæ in profundo flammarum purgantium, quæ seipsas juvare nullâ ratione possunt; ideóque auxilium nostrum suppliciter inclamant.

Hujus erga pios defunctorum Manes misericordiæ, & eleemosynæ spiritualis exemplum nobis exhibet hodie sanctus Magnus, Magni Patriarchæ Benedicti magnus etiam filius; qui die quâdam advocans fratrum quemdam, præcepit ei, mox omnia pararet sacro dicendo pro anima divi Columbani, Magistri sui, recentissimè defuncti; quamvis nota ejus sanctitas talia suffragia exigere nullatenus videretur.

Itaque posthac semper memor ero pauperum istorum, dum ad Aram accedam, mentem sectus sanctæ Matris Ecclesiæ; quæ non tantùm ordinat ministros suos ad offerendum pro vivis & defunctis; sed etiam horum præcipuè meminit post consecrationem. Et videtur spiritualis hæc eleemosyna illis Christi vèrbis contineri: quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; quibus ostendit, non minùs gratum sibi præstari obsequium, quando animabus purgantibus succur-

curritur, quàm ſi ipſe ex hujusmodi ſupplicijs eriperetur. Venale eſt, quidquid habeo, dicit tibi DEUS, teſte magno Auguſtino: venalis eſt remiſſio peccatorum; tu eam emere per pœnitentiam potes: venalis eſt pœnæ indulgentia; tu eam emere voluntarijs corporis afflictationibus potes: venalis eſt gratia mea; tu eam emere pijs affectibus potes: venalis ipſe ſum; tu piâ devotione, & cultu debito me emere ac poſſidere potes: venale eſt ipſum cœlum; tu vitâ piâ ac chriſtianâ obtinere illud potes: venales ſunt animæ, in flammis luſtralibus detentæ; tu eas ſacrificijs, precibus, eleemoſynis, redimere potes: venale eſt, quidquid habeo, dicit tibi DEUS.

Ecce, Domine, paratus ſum emere ſanctam gratiam tuam, quæ me præveniat, proſequatur, & pijs operibus jugiter faciat intentum; paratus item ſum, pro animabus purgatorij emere indulgentiam ſanctam tuam, quâ refocillentur, & à pœnis ignis luſtrici, ſi non eximantur ex toto, ſaltem reſpirent: tu eas refice vel unicâ guttulâ ſacratiſſimi cruoris tui; deſcendat iſte in lacum, in quo non eſt aqua vinctósque inibi recreet, refrigeret, & omnino educat. Ita rogo, Domine,

*Animas pauperum tuorum ne obliviſcaris.*

vij. Id. Septembris. Dies 7. ejuſdem.

*S. Stephanus Epiſcopus.*

Dienenſis Eccleſiæ Paſtor beatus Stephanus, Chriſto in Crucem ſuffixo, & in Euchariſtia latenti eximiâ devotione addictus fuit. De eo hæc habet Surius, ad diem hanc: amorem Chriſti, ſub pane latentem contemplans, æſtu abſumptus fuiſſet, niſi lacrymis, quibus diffluebat, hunc temperâſſet: Tum crucifixo immortuum dixiſſes, niſi vitam ſuſpiria prodidiſſent: demum exiſtimâſſes cœlo intereſſe, niſi ab hoc deſcendere, ejúsque lateri adſtitiſſe Angelus viſus fuiſſet.

Et ego amorem erga utrumque profiteor, erga Chriſtum nempe, è cruce pendentem, & latentem ſub ſacris ſpeciebus. Sed utinam cor & os concordarent! Certè optima probatio dilectionis, exhibitio eſt operis; & plures ſunt, qui confitentur, ſe noſſe DEUM, factis autem negant. Hos inter & ego, amore DEI ac Domini mei nec illicitis abſtineo, nec adverſa patienter fero, nec perpetrata plango; imò perpetro plangenda, quamvis audiam clamantem Hieronymum: (a) Deduc quaſi torrentem lacrymas, per diem & noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Qualis autem in me affectus, quæ devotio ad Chriſtum patientem ac crucifixum? ubi ſancta ſuſpiria? ubi

(a) *Lib.* 13. in c. 43. Ezech.

ubi pia compaſſio? ubi debita gratiarum actio, & ſolida mei oblatio? certè hinc metiri me ipſum debeo.

Providè monuerat Petrum divinus Magiſter: Simon, ecce ſathanas expetivit vos, ut cribraret, ſicut triticum. Nempe ſatis non habet ſtygius impoſtor, quando nos tentat, laqueos parat, inſidias ſtruit; cribrare vult ſicut triticum, id eſt, minimas actiones ad cenſuram vocare, & de ijs nos accuſare; quando homines ſæculares ſolùm in gravibus tentat. In Sacerdotibus verò diſcutit attentionem ad miniſterium, quod obeunt; curam, quâ animabus concreditis invigilant; exemplum, quo ſubditis prælucere tenentur; ut proin benè ſcribat Hieronymus: grandis dignitas Sacerdotum; ſed grandis ruina, ſi peccant; lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus lapſum; non eſt tanti gaudij, excelſa tenuiſſe, quanti mœroris, de ſublimibus corruiſſe.

Ego ad Virginem ſacratiſſimam confugio, cujus feſtam Nativitatem hodie prævenimus, animatus viſione, divæ Gertrudi hâc die oſtensâ. Vidit nempe ſancta hæc virgo Deiparam, ſub Miſſæ Sacrificio aſſurgentem, electiſque manibus Filium divinum rogantem pro omnibus ijs, qui ſuo ſeſe patrocinio commendârant; hos deinde Chriſtus ipſe crucis ſigno benedicens, uberes ſancti ſacrificij fructus eis eſt elargitus. Hanc dilectiſſimi Filij tui benedictionem mihi etiam impetra, ô magna DEI Mater; & quam-

vis ea ex ſe ſit tantùm ſuper caput juſti; qui tamen ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, hic etiam peccatores recipit, ut juſtos efficiat: ipſe enim

*Impios juſtificat.*

---

vi. Idus Septembris. Dies 8. ejuſdem.

## *Nativitas beatiſſimæ Virginis* MARIÆ.

SAlve, Virgo nobiliſſima, reſplendens aurora, quæ hodie felici ortu tuo bonum attuliſti nuntium de adventu Solis Juſtitiæ, Salvatoris noſtri, tot ſæculis deſiderati, & à cunctis gentibus expectati. Tu ſimilem in toto univerſo non habes, Filia dilectiſſima Patris omnipotentis, Mater digniſſima ſapientiſſimi Filij, & Sponſa chariſſima Spiritûs ſancti: Saluto te millies in ortu tuo, ô candidiſſimum lilium virginitatis, viola fragrantiſſima divinæ Suavitatis, vernans Roſa cœleſtis amænitatis.

Ad beatiſſimas cunas tuas ſupplex provolvor ô MARIA parvula, enixiſſimè rogans, ne me deſeras in ſupremo morbo decumbentem, & mundo quidem morientem, ſed æternitati naſcentem; adeſto tunc mihi potentiſſimâ ope tuâ, ut inter intenſiſſimos amores erga Filium tuum, & te affectus, animam meam in ſinum tuum maternum exhalem.

Pro feſtivitate hodierna præparabo cor meum velut lectulum Filio DEI, & MARIÆ; curabo

verò,

verò, ut lectulus iſte aptus ſit, mundus, ornatus ac floridus; linteamina munda, & virtutum omnigenarum odore fragrantia; ut in eo quiescat, qui paſcitur inter lilia; & ſacris affectibus detineatur. Aſt jure metuo, ne idem mihi veniat, quòd beato Alano de Rupe, ex Ordine Sancti Dominici, hodie defuncto, contigit: Cùm enim vir iſte Sanctus aliquando ſacram Hoſtiam manibus contingeret, illa in Crucifixi imaginem verſa, acriter eum objurgavit, iteratò dicens: tu me iterum crucifigis. Contremuit toto corpore Alanus; ac ſimul intellexit, exprobrationem tam duram promeruiſſe ſe, quòd, metu aliquorum contradicentium victus, neglexerit, Roſarium JESU & MARIÆ pro viribus promovere. Si vir iſte beatus Dominum crucifixit ſolâ negligentiâ devotionis cujuſdam ſupererogatoriæ, & quidem ex rationabili cauſa admiſsâ; Væ mihi, qui non ſolùm omiſſione, ſed durimâ etiam commiſſione perperàm factorum Dominum meum rurſus crucifigo, ac nomen Domini jugiter totâ die blasphemo! ô quàm verum, delicta neminem, præter DEUM, intelligere, aut cor hominis ſcrutari. Tu, ô JEſu, cujus oculi multò lucidiores ſuper ſolem, qui exactè vides, quæ nos, ut res nullius momenti, parvipendimus ac tranſimus, tu ab occultis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. Virgo beatiſſima, ſpes unica ſalutis animæ meæ, ah noli deprehendere ad Altare DEI accedentem; noli mihi objicere tremendum illud: tu iterum Filium

lium meum crucifigis. Fateor, ô Domina, me hactenus malum coram te feciſſe, neque dignam propterea egiſſe pœnitentiam: itaque ad te venio, opemque tuam ſupplex imploro; tu mihi commiſſorum veniam exora, tu vitæ emendationem impetra; tu gratiam precibus obtine, ut peccatorum incentiva reſtinguere, innocentiam baptiſmalem poſtliminiò revocare, & Filio tuo, ac tibi, caſto corpore valeam ſervire, & mundo corde placere.

Laus & benedictio ſit immenſæ DEI Patris omnipotentiæ, inſcrutabili Filij Sapientiæ, & infinitæ Spiritûs ſancti bonitati, quâ dignata eſt Trinitas ſemper adoranda, in ſalutis noſtræ ſubſidium tam plenam omni gratiarum genere creaturam efformare, cui ſuperabundantiam divinæ beatitudinis ſuæ tantâ largitate communicaret, ut gratiæ omnes per ipſam, velut aquæductum, in nos derivarentur; & ipſa poteſtatem conſequeretur, omnes eos DEO conciliandi, qui potentiſſimum ejus ſuffragium devotè prenſarent. Intercede igitur pro nobis, ô Virgo benedicta, qui tam devoto cum affectu recolimus Nativitatem; atque illos tuos miſericordes oculos ad me quoque peccatorem clementer inclina; ſis mihi in vita Mater placabilis, in morte advocata piiſſima,

*O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.*

v. Id. Septembris. Dies 9. ejuſdem.

*S. Corbinianus Epiſc. Friſing.*

Cùm Corbiniani, iter agentis, jumentum lacerâſſet urſus, ipſe deinceps onus illius ferre juſſus, promptè obedivit. Eccleſiæ Friſingenſis Paſtor vigilantiſſimus, velut alter Baptiſta, Grimoaldum Bojariæ Ducem acriter reprehendit, quòd fratris demortui uxorem duxiſſet: & quamvis vehementer obniteretur tum Dux ipſe, tum inceſta pellex, omni tamen obice tandem perfracto ad ſanam mentem utrumque reduxit. Mortis ſuæ præſcius, poſteaquam ſacris operatus eſſet, ſine ullo doloris ſigno ſuaviſſimè obdormivit.

Jungo huic ſancto Præſuli Præſulem alium, divum Audomarum; qui ſenio confectus, & oculorum uſu deſtitutus, cùm videret, diſſolutionem corporis ſui imminere, in Eccleſiam duci voluit. Ibi (*a*) mox lacrymæ ab imo pectore eruperunt; obtulit DEO fragrantia precum thura; adſtitit ipſe ſacris Altaribus Hoſtia viva, ſancta, DEO accepta, orans in hunc modum: Agnus DEI, per æternas DEI Patris delitias, ſuſcipe pro tua pietate vota ſupplicantis, ecce ad te venio; miſerere figmenti tui. Inde ſuſcepto ſacro Viatico in lectulum deportatus, paulò pòſt inter Angelorum concentus ſpiritum reddidit, corpore ſuaviſſimum odorem exhalante.



(*a*) *Surius.*

Repetam & ego humiliter verba hæc, à ſancto Sergio I. (qui hâc die pariter deceſſit) (*a*) ſacræ Liturgiæ inſerta: Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere figmenti tui, quod de terra formâſti. Nempe ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, dicit Dominus. Hic format vaſa, alia quidem in honorem, alia verò in contumeliam; hæc confringit, alia redintegrat; neque eſt, qui dicere ei poſſit: quare ſic feciſti? Ecce, Domine, in manibus tuis deſcripſiſti me; fiat igitur de me, quidquid diſponis: ſi me vis eſſe in tenebris, ſit nomen tuum benedictum; ſi me vis eſſe in lumine, ſit nomen tuum iterum benedictum: ſi me vis efficere vas honoris, ſit nomen tuum benedictum; ſi vis efficere vas contumeliæ, ſit nomen tuum iterum benedictum. Tantùm miſerere figmenti tui; noli me projicere à facie ſancta tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me; ut, (*b*) dum ſemper minùs inſtabiles eſſe ſatagimus, tandem aliquando, Domino donante, verè ſtabiles fieri valeamus. Tunc autem præcipuè miſerere figmenti tui, quando mors proxima confringet vas fictile corporis mei: tunc

*Miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea.*

## iv. Id. Septembris. Dies 10. ejuſdem.

### *S. Nicolaus Tolentinas.*

MAgnus DEI famulus Nicolaus Chriſtum videre in ara meruit, dum Miſſæ ſacrificium immolavit:

(*a*) *Idem.* (*b*) Aug. l. de diſc. am. ſubſt.

lavit: cùm ad aram celebraturus accederet, ſæpe viſa eſt ſtella lucidiſſima quaſi facem ei præferre. Animabus in purgatorio addictiſſimus erat; è quibus una aliquando ei apparuit, enixè petens, ſacrum pro ſe eâ die offerret. Repoſuit Sanctus, id fieri non poſſe, quòd ipſum contingeret hebdomas, Miſſam conventualem in Communitate celebrandi. Mox raptus extra ſe, ab Angelo ductus eſt in campum patentiſſimum prope Piſas, Tuſciæ urbem; ibi vidit ingentem numerum animarum, in flammis piacularibus etiamnum detentarum, quæ voce concordi eum precabantur, ut ſacrum pro ipſis diceret. Adeò movit virum beatum miſerandus iſte aſpectus, ut ad ſe reverſus: Priorem mox adierit, ac ſupplex exoraverit facultatem, eâ hebdomade piis Manibus ad Aram ſuffragandi; quâ ratione animas illas magna ex parte in libertatem aſſeruit, teſtante illâ ipsâ animâ, quæ prima ipſius patrocinium imploraverat, ac tum redibat, gratias actura.

Stella illa, ſanctum Nicolaum præcedens ad Aram, apud me fides ſit: hanc comitetur devota & attenta præparatio; ille etenim placet DEO, cui placet DEUS; & talis oportet, ut compareat DEUS, qualem te illi præparaveris. Tu, ô JESU, ex toto corde mihi places: fac, ut ego quoque tibi placeam. E paradiſo (a) egrediebatur fluvius, qui in quatuor capita dividebatur, irrigans univerſam terram. Nónne talis

(a) *Gen. 2. 10.*

lis fluvius eſt ſacrum Miſſæ ſacrificium, in quatuor etiam capita diviſus? Tendit enim primò in DEUM, ad cujus honorem & cultum promovendum eſt inſtitutum, dicente Chriſto: hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: ſecundò in beatos, pro quorum honore offertur, tanquam fluminis impetus lætificans DEI civitatem: tertiò in mundum hunc, ubi juſtis impetrat augmentum gratiæ, & in hac perſeverantiam, peccatoribus verò indulgentiam perperàm admiſſorum, cùm ſit Sacramentum reconciliationis: quartò denique in purgatorium usque ſe diffundit, animas ibi detentas vel ſublevando à pœnis, vel in totum liberando.

Cùm neſciat homo, utrum amore, an odio dignus ſit; meritò timens ac tremens accedo ad divinum hoc ſacrificium, cujus Myſterium grande eſt, & infiniti valoris. Quid verò mihi impetret, jure anceps hæreo. Spem equidem mihi ſufficit DEI miſericordia, quæ eſt abyſſus multa; at metu ſimul concutit ejus juſtitia, quæ eſt, ſicut montes DEI; cùm planè ignorem, an non hæc in me advertat aliquid, unde me damnare poſſit, & debeat. Ingemino igitur cum Davide reſipiſcente: ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo; dicóque cum ſancta matre Eccleſia: placeat tibi, Domine, Sacrificium, quod indies offero; ut mihi, & omnibus, tam vivis, quàm defunctis, ſit, te miſerante, propitiabile, utpote

*Pro vivis & defunctis inſtitutum.*

iij. Idus

iij. Idus Septembris. Dies 11. ejuſdem.

## *S. Gundiſalvus Epiſc. Toloſ.*

ARchiepiſcopus Toloſatium erat Gundiſalvus; qui tanto erga Virginem Deiparam affectu ſacrum obtulit quotidie, ut ipſa ſacrificanti plerumque præſens aſſiſteret; & die quâdam, illibatiſſimæ ejus Conceptioni ſacrâ, candidiſſimam ſancto Præſuli caſulam porrigeret dicens: Scito, fili mi, puritatem meæ conceptionis ineffabilem eſſe; quapropter in id incumbe, ut feſtum hoc ſub titulo immaculatæ Conceptionis omni poſſibili decore ac pompâ celebretur. Fuit igitur Gundiſalvus primus ſanctiſſimi iſtius myſterij promotor.

Quis igitur ambigat de puriſſima Dominæ noſtræ conceptione, quam ipſa revelavit devotæ ſibi Birgittæ in hæc verba: (*a*) veritas eſt, quòd ego concepta fui ſine peccato originali, & non in peccato. Quin ipſe Pater æternus idem confirmavit, hanc ipſam famulam ſuam in ſublimitate contemplationis ita allocutus: (*b*) de radice quidem Adæ proceſſit, & de peccatoribus nata eſt, ſed ſine peccato concepta. Colligitur etiam ex ſalutatione Gabrielis, Virginem gratiâ plenam aſſerentis; qualis utique non eſſet, ſi vel una deficeret: deficeret autem una, & quidem baſis reliquarum, ſi in labe hæreditaria, alio-

(*a*) *Rev. l. 6. c. 49.* (*b*) *l. 5.*

aliorum inſtar peccatorum fuiſſet concepta. Maximum toti negotio pondus addit Authoritas Eccleſiæ, ſolenniſſimè agi præcipiens feſtum immaculatæ Conceptionis. Itaque

Ave Maria, in illa reverentia, quâ DEUS Pater per Archangelum te ſalutavit, ſuâque omnipotentiâ ab omni nævo culpæ originariæ te præſervavit: Ave Maria, in illo amore, quo Filius DEI ſapientiâ ſuâ te illuſtravit, clariſſimúmque ſidus, cœlum ac terram illuminans, effecit: Ave Maria, in illa dulcedine, quâ Spiritus ſanctus adeo gratioſam te reddidit, ut omnis, qui per te gratiam quærit, eam inveniat. Gratulor tibi omne id, quod tota ſanctiſſima Trinitas in te eſt operata, cùm aſſumptam ex puriſſimis viſceribus tuis carnis ſubſtantiam cum divina natura copulavit, ita ut DEUS homo fieret, & homo Deus: propter quod omnis creatura cum admiratione agnoſcit, & confitetur, te benedictam, & ſuper omnes beatorum, etiam Angelorum, choros meritò exaltatam, ſimúlque benedictum fructum ventris tui, JESUM,

O *clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

---

Pridie Id. Septembris. Dies 12. ejuſdem.

*S. Guido Confeſſor.*

ORationibus, jejunijs, charitati proximi jugiter intentus erat beatus Guido, ac Virgini Deiparæ addictiſſimus; qui morti vicinus, cœleſti

leſti lumine recreatus eſt, & ad cœlorum præmia his verbis vocatus: veniat dilectus noſter ad percipiendam æternæ jucunditatis coronam. Errata etiam minima crebrâ, ſincerâ, ac copioſis lacrymis ſtipatâ confeſſione eluit; quem, ſi quis quæreret, (a) in templo reperiebat; ubi ſæpiùs pernoctabat, neque inutile aliquando, aut jocoſum verbum inibi proferebat; nec, ut confabularetur, morabatur; oculos nunquam ſuſtulit, ut ſexum alterum curioſus ſpectaret; ſed in angulum aliquem ſecedens, nævos quotidianos, ſine quibus vita præſens nullo modo ducitur, tantâ lacrymarum copiâ diluebat, ut homo omnium ſceleratiſſimus cenſeri potuiſſet.

Jacobo, apud Avunculum Labanum famulanti, anni quatuordecim videbantur pauci dies præ amoris magnitudine, (b) quia pro Rahel ſerviebat, cujus præſentiâ fruebatur, & reficiebatur. Ego verò nónne præſentiâ DEI mei in templis inceſſanter fruor? Et tamen adeò tepidus ſum, ut modica hora magni temporis ſpatium videatur. DEO viventi viva etiam templa conveniunt, & animata: tunc autem in ſpiritu & veritate DEUM in Eccleſijs adorabo, quando ei cor meum in templum conſecravero; quod iteratò Apoſtolus inculcat. Hunc in finem ſi ex toto corde JESUM quæramus; audiemus eum, ita prorſus compellantem nos, ut quondam miniſtros, ad ipſum comprehendendum miſſos: ſi me quæritis, ſinite hos abire. Ubi enim Belial,

(a) *Sur. hodie.* (b) *Greg. Nyſſ. in Gen.*

lial, non eſt locus Chriſto; cor prævum & malignum, ſeu ad duo affectum, abominatio eſt Domino. Expurgabo igitur vetus fermentum; & ad hunc finem te rogo, optime Servator, cui cor meum in templum dedico, effice, ut manu tuâ omnipotenti omne illud tollatur, evellatur, diſſipetur, quod oculis tuis minùs placet. Præterea diſcam hodie fortitudinem à muliere, Theodora; (a) quæ ſumpto viri habitu, inter Monachos vivens, impactum ſtupri probrum invictâ patientiâ tulit, donec mors eam fœminam probâſſet.

Ego ad veri delicti objectionem non ſileo, nimis ſenſibiles etiam in puncto vani honoris; hæc ſancta, ad imitationem Chriſti, etiam aliena peccata tulit. O Agne DEI, qui tollis peccata mundi, aufer & mea; & da mihi verum & ſolidum ſpiritum, quo in Eccleſia tua tibi fideliter & conſtanter ſerviam; ut in me etiam verificetur, quod ſcriptum eſt:

*In Domum Domini lætantes ibimus.*

---

Idibus Septembris. Dies 13. ejusdem.

*S. Maurilius Epiſcopus Andegav.*

HUmilitate & animarum Zelo in paucis conſpicuus Maurilius, inter triduana plerúmque jejunia ætatem ad nonaginta annos ſanus perduxit. Moriturus ſupremi moniti, & velut teſtamenti locò dixit ſuis, perpenderent, animas ſuas

(a) *Sur. in vita.*

ſuas pretioſo Chriſti Sanguine redemptas, & ſæpè minimò venundari.

Non ſolùm redempta fuit anima mea pretioſo Chriſti Sanguine; ſed inſuper quotidie eodem reficitur; an ergo fieri poſſit, ut pereat? Si enim unica hujus divini Cruoris ſtilla ſufficit abluendis totius mundi criminibus; quid poterunt tot ſacri calices, quos indies libo bibóque? Omninò vel ſalvabunt me; vel tamquam reum Sanguinis Dominici damnabunt. Id tu averte, pijſſime animarum Salvator, qui omnes ſalvos fieri, & neminem vis perire; proinde ſuppliciter te rogo, eodem Sanguine tuo omnes peccatorum meorum maculas emunda: hæc enim eſt voluntas tua, ſanctificatio noſtra; cui nullatenus reluctor, ſed animitus opto, ut in me perficiatur. Tu, Domine, (a) habes humanorum cordium, quò placuerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem; quòdſi ergo ſurdus ſim, & ſegnis; tu vim adhibe, inſta opportunè, importunè; idem age mecum, quod in ſe perfectum teſtatur Auguſtinus: (b) Detonâſti ſuper me voce grandi, rupiſti ſurditatem meam; itaque meam quoque rebellem ad te propitius compelle voluntatem, & mihi famulo tuo ſubveni, quem pretioſo Sanguine tuo redemiſti.

Clementiſſime Domine JESU, ecce in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito, me totum tuæ infinitæ bonitati commendo, promittens cum gratia tua ſancta, excitante, comitante & adjuvante,



(a) *Aug.* (b) *Idem lib. Conf.*

vante, ſeriam vitæ meæ emendationem, ex animo ſtatuens, alium deinceps Dominum non admittere, præter te, DEUM meum, qui es pars hæreditatis meæ; cujus characterem aſſumpſi per ſtatum ſacerdotalem. Quia tamen ſine gratia tua nihil omnino poſſum; hinc, ut eam mihi elargiaris, humillimè rogito, ſatis ſciens, me tibi ſine te placere non poſſe. Hanc mihi non denegabis, utpote paratiſſimus, eam cuicunque tribuere; quos enim pretioſiſſimo Sanguine tuo redemiſti, eos etiam ſalvare cupis. Itaque

*Da, Domine, quod jubes; & jube, quod vis.*

---

xviij. Cal. Octobris. Dies 14. Septembris.

*Exaltatio ſanctæ Crucis.*

DUm hodiernâ die Crucem vivificam debito cultu deveneror, ultimæ cænæ, & inſtituti poſt eam Venerabilis Sacramenti memoriam recolam; & dum Chriſtum in Ara præſentem habebo; eum in Cruce exaltatum, ac opus Redemptionis noſtræ perficientem mihi proponam. Benè Rupertus Abbas: (a) Aufer à cætu Eccleſiæ quotidianas Salvatoris noſtri exequias; & vide, quàm meritò dicat Salvator ipſe: quæ utilitas in Sanguine meo? nunquid enim confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Dixerat hâc die Chriſtus Sponſæ ſuæ Gertrudi: ſi ad tantum honorem Crucem meam extuli, quia in ea ab

(a) *De Ven. Sacr.*

ab hora ſexta usque veſperas pependi; ad quantam non gloriam efferam corda illa, in quibus toties, & tam multò tempore quievi? ad quæ tum humiliter repoſuit ſancta Virgo, quod ego veriſſimè dicere de me poſſum: in me, Salvator pijſſime, requiem ullam non capis. Sed audio replicantem Dominum: etiam in cruce requiem ullam non inveni; & tamen propter attactum corporis mei ad tantum ſublimavi honorem.

Honorem ullum ego indigniſſimus à te non peto, Domine, ſed ſolum fructum arboris Crucis: fructus enim arboris ſeduxit nos; fructus verò hujus ſacroſanctæ Arboris ſanavit nos: porro fructus Redemptionis, in hac arbore conſummatæ, erat, ut exaltatus in ea, omnia traheres ad teipſum; trahe & me, Domine, ut curram in ſequelam veſtigiorum tuorum: fructus arboris iſtius erat, ut alligaretur diabolus, & angeli ejus; fac, Domine, ut ego alligatus ſpiritu, reſiſtam diabolo & operibus ejus.

Et tu, ô bona Crux, quæ decorem ex membris Domini accepiſti, ſalve millies, Crux pretioſa, & adoranda, admirabile ſignum, dulce lignum,

*Per quod diabolus eſt victus, mundus Chriſti Sanguine redemptus, & DEO Patri æterno reconciliatus.*

---

xvij. Cal. Octobris. Dies 15. Septembris.

*Feſtum Nominis beatiſſimæ Virginis Mariæ.*

SI tanta virtus ineſt ſacratiſſimo Chriſti Corpori, ſub panis ſpeciebus latenti, ut graviſſimos

peccatores commoverit, & ad pœnitentiam inducxerit; ut patuit in obſtinato antea Guilielmo, Aquitaniæ Duce, à divo Bernardo poſtea tertio ſacrâ Euchariſtiâ oſtenſâ: nemo utique negaverit, efficacem quoque virtutem eidem ineſſe ad movenda & commovenda corda devotorum ac ſanctorum; & præcipuè cor amantiſſimum dilectiſſimæ Matris ſuæ. Si ergo, anima mea, eam tibi propitiare ac conciliare deſideras (quod utique toto affectu deſideras) en medium efficaciſſimum; idem Corpus Dominicum Matri divinæ in Altari offer, per merita illius, & amorem ineffabilem eandem obteſtans, dignetur tibi eſſe propitia; remiſſionem peccatorum obtinere, ſuccurrere in neceſſitatibus, & hanc illámve, quâ præcipuè indiges, gratiam à DEO exorare. Et cur diffidam Matri tam piæ, tam benignæ, quæ cultores ſuos, ac devotos tantâ largitate remunerat, neque ullum, quamvis exile obſequium, non abundè compenſat? Certè ipſa die hâc, anno milleſimo trigeſimo ſupra quingenteſimum, Suriani, cuidam Laico ſacræ Ædis cuſtodi noctu apparuit, quærens ex eo, utrum imago S. Dominici in templo extaret? Reſpondit ædituus ſimplici mente, extare quidem, ſed ſolùm in pariete depictam. Tum Virgo ſpecioſiſſimam dicti ſancti Patriarchæ imaginem, Angelico formatam penicillo, è ſinu depromens, cuſtodi tradidit, jubens, ad Priorem Monaſterij eam deferret, in Ara majori cultui publico exponendam. Hæc multis hodiéque prodigijs illuſtris, magno po-

populi accurſu colitur ſub titulo ſancti Dominici de Suriano.

Quandoquidem probè ſcio, ô Virgo, unico te verbulo plus poſſe apud Filium, quàm ego omnibus lacrymis, precibus, & corporis afflictionibus, utpote ab anima peccatrice profectis; hinc ad te confugio, ô Mater puritatis, Virgo intemerata, & in æternum benedicta, gratiſſimum DEI templum, Spiritûs ſancti ſacrarium; eſto mihi pia in omnibus auxiliatrix, & in judicio divino Advocata; nam quod DEUS imperio, tu prece, Virgo, potes: redde mihi tunc Filium tuum, Judicem meum, plum ac propitium; placa eum, quem modò in Altari tibi offero, brachijs tuis conſtringendum, labijs diſuavandum, & corde amplexandum. O Maria, quàm dulce Nomen tuum, quàm gratioſum, & ſalutiferum, omnemque diſpellens deſperationem. Propter iſthoc Nomen ſanctum tuum eſto mihi Maria, ut luceas mihi, in procelloſo hoc oceano naviganti: eſto mihi peccatori dulcis Advocata, in tentationibus auxilium, in morte aſylum; impetra mihi verum mei-ipſius, & omnium rerum terrenarum contemptum, ac cœleſtium ſpiritualiúmque amorem; ut Filio tuo, ac tibi ſincerè valeam deſervire, mereârque ſalutem æternam obtinere. Audi quoque omnes ad te clamantes, & nomen tuum dulciſſimum invocantes,

*O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

## xvi. Cal. Octobris. Dies 16. Septembris

### *S. Cyprianus Epiſcopus & Martyr.*

SAnguinem pro fidei defenſione profundere non dubitavit Cyprianus, capite minutus cum ſocijs promiſcui ſexûs viginti duobus, poſteaquam plumbatis antea contuſus fuiſſet. Linguâ calamóque inſignis cultor extitit ſaaratiſſimi Altaris Sacramenti; dum inter alia, orationem dominicam exponendo, circa quartam ejus petitionem ita Panem Euchariſticum commendat: (a) nedum panis hic nutrit, verùm & unit membra cum capite; dum igitur ſeparamur per peccata membra diaboli nos facimus; ut igitur hanc ſeparationem declinemus, unione Euchariſticâ utamur quotidie, præſertim ſi ob fragilitatis caſum in grave peccatum declinaverimus; mens etenim deficit, quam recepta Euchariſtia non erigit & accendit.

Huc ſpectat, quod Sacerdos ante ſacram Communionem petit à DEO, ita orans: Libera me per hoc ſacroſanctum Corpus & Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & univerſis malis; fac me tuis ſemper inhærere mandatis; & me à te nunquam ſeparari permittas.

Hæc verba ſæpe devotâ mente iterabo: fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & me à te nun-

(a) *Lib.* 1. Ep. 8.

nunquam ſeparari permittas; ut omnimodis caveam peccata, ſaltem gravia, quæ ſeparationem hanc inducunt. Ergo per Sacramentum hoc oportet nos Chriſto agglutinari: ſicut enim gluten duo corpora ita compaginat, ut ne vi dirumpi queant; ita divino hoc nexu Chriſto ita jungi debemus, ut nulla tentatio, nulla occaſio, nullus eventus, adverſitas nulla potens ſit, nos ab eodem ſeparare; quin parati eſſe debemus, mori potiùs, quàm fædari. Ita licebit nobis cum Apoſtolo gloriari: quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? gladius an perſecutio? ita dicere cum Ignatio poterimus: omnia diaboli tormenta in me veniant, JEſum mihi de ore, JEſum mihi de corde non poterunt auferre.

Da, piiſſime JESU, bonorum omnium largitor, ut affectus hic meus effectum ſortiatur; uni me per inſeparabile charitatis tuæ vinculum ſanctiſſimo cordi tuo; ut deinceps anima mea (a) fellea peccatorum horreat pocula, & omnis ſapor delectamentorum carnalium ſit ei, quaſi rancidum, radensque palatum acutæ mortalitatis acetum. Illud ſolùm oro:

*Ne permittas me ſeparari à te.*

---

XV. Cal. Octobris. Dies 17. Septembris

*Stigmata S. Franciſci.*

(b) TEmplum ſanctiſſimũ corporis glorioſi Franciſci conſecravit Summus Pontifex, Chriſtus



(a) *Cypr. loc. cit.* (b) *Bernardin. T. 4. extrav.*

ſtus JESUS, inde liquefactus ardore, mente & carne totus defluxit intra ſculpturam vulneris apparentis JESU, biennio ante mortem hâc die recipiens Stigmata ſui Salvatoris.

(a) Floreat & in nobis imago regia, & fiat, quod Auguſtino dixit Deus: tu mutaberis in me; ut ſic vivamus jam non nos, vivat verò Chriſtus in nobis. (b) Promeruit ſacra ſtigmata Franciſcus propter ſuam humilitatem, promeruit propter mortificationem ſui corporis, quod alio, quàm aſini nomine, nunquam compellavit. Certè nec oneri, nec flagris pepercit; imò in ſpinas & nives corpus abjecit, aliàs per plateas ad furcam usque raptatus. Et quamvis novus homo, ſignatus ſignis redemptionis noſtræ, de monte deſcenderet; inde tamen non elatior factus, ſed potiùs humilior, fratribus dixit: incipiamus ſervire Deo, fratres, quia adhuc parùm profecimus.

Liceat & mihi aliquando cum veritate dicere: nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelſi: nunc cœpi reverà ſervire Deo, ac mundum proculcare; nunc cœpi deponere faſtum omnem, meque ex corde humiliare; nunc cœpi affligere carnem meam, & ſpiritui ſubjicere: hæc mutatio dexteræ Excelſi. Sciens Chriſtus, quia omnia dedit ei Pater in manus, ſurgit à cœna; & quo fine? ut lavaret pedes diſcipulorum. Quomodo autem hæc cohærent? optimè ſanè; qui enim poteſtatem habebat in omnia, ſe abjecit infra omnia, & ad ſordidos diſcipulorum pedes; ut doceret, quò quis

a) *Idem ſerm.* 16. (b) Idem ib.

quis major eſt, eò ampliùs ſe demittere debere. Jam verò nunquid nos Sacerdotes omnibus eminemus? cùm nobis dictum ſit: accipe beneficium, redde obſequium, cave ſupplicium; ne, quò plus cæteris accepiſti, à collatore graviùs inde judiceris. Ita teſtatur ipſe Chriſtus, ita olim ſanctam Birgittam affatus: (a) ego ſum quaſi Sponſus, qui conjunxi mihi Sacerdotes cum corpore meo, ut ipſi eſſent in me, & ego in eis: ſed mihi reſpondent, ſicut adultera Sponſo; ipſi deberent eſſe membrum meum; ſed ſunt deteriores diabolo; & ideo præ omnibus diabolis profundiùs ſubmergentur in infernum. Ego voco eos, quaſi Sponſus; curro poſt eos, ut Pater; ſupporto eos, ut Dominus, donis attraho, ut Sponſus; ſed eò magis ſe avertunt à me; tres amicos magis diligunt, quàm me, id eſt, mundum, & corpus; ideo tertius, videlicet diabolus, recipiet eos; væ illis!

Væ! iſtud ut ego prævertam, fac ô DEUS vitæ meæ; tu, qui immutas corda filiorum hominum, dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum; dic illi: tu mutaberis in me. Id à te peto, dulciſſime JESU, per merita ſanctiſſimæ Paſſionis & Vulnerum tuorum; (b) qui per quinque plagas ſacratiſſimi tui corporis ſanâſti omnia vulnera, quæ nobis inflicta ſunt per quinque corporis ſenſus; ſiquidem

*Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.*



(a) *Rev. l. 4. c. 135.* (b) *Petr. Dam. T. 4. orat 27.*

xiv. Cal. Octobris. Dies 18. Septembris.

## *S. Thomas Villanovanus.*

COr meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum, canebat olim vates regius; & quod ore concinebat, opere probavit, quando coram Arca fœderis totis viribus ſaltavit. O quale gaudium (inquit S. Thomas de Villa Nova) (*a*) intus & foris nunc, ſi adeſſet coram hoc admirabili Sacramento, demonſtraret, quod ſic in illo typico ligno venerabatur, & adorabat. Nec minus ipſe ſanctus Thomas Villanovanus exultabat in DEO ſalutari ſuo; dum ſacris tantâ attentione operabatur, ut immobilis videretur; unde & contigit, ut aliquando ab Altari redierit facie mirum in modum radiante, ut (quod olim Iſraëlitis, Moyſen aſpicientibus contigerat) præſentes in eum oculos intendere non poſſent.

Emitte lucem tuam, Domine, non in faciem meam, ſed in cor meum tenebricoſum; ipſa me deducat & adducat in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua; te ſiquidem decet hymnus, DEUS, in Sion; & tibi reddetur votum in Jeruſalem. Lux tua ſancta, in ſacro hoc Myſterio contenta, diſſipet omnem caliginem cordis mei; idémque in me efficiat, quod in ſe factum teſtatur ſancta Mater Thereſia, dicens: dum JESUS per hoc Sacramentum in me intraret, pellebantur de corde meo omnes anguſtiæ, an-

(*a*) *Conc. 7. de Sacram.*

ietates, dubia & ſcrupuli cum omnibus ani-
perturbationibus: quare ergo triſtis es, ani-
mea, & quare conturbas me? Spera in DEO,
oniam adhuc confitebor illi; ſalutare vultûs mei,
DEUS meus. Verè ſalutare meum: ſi enim
ibus Salvatoris tanta inerat virtus, ut exinde
la quævis ſolo attactu pellerentur; quantò
jorem vim continebit ipſum glorificatum Do-
ni Corpus, ad depellenda omnia corporis &
mi mala? Cor itaque, & caro mea exultent
DEUM vivum, qui deducet me per omnes
æ hujus miſerias, & adducet in montem ſan-
m ſuum, & æterna habitacula ſua; ut dici de
poſſit:

*Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.*

---

## iij. Cal. Octobris. Dies 19. Septembris.

### *S. Januarius Epiſc. & Martyr.*

Rruit cor meum, & caro mea; quia obli-
tus ſum comedere panem meum; imò &
guis in venis exaruit. Verùm hodie excite-
& ebulliat; uti ſanguis divi Januarij, in am-
a vitrea aſſervatus, quoties in conſpectu ca-
ejuſdem ſancti Martyris conſtituitur, mira-
er cernitur liqueſcere, & ebullire.

Caput meum Chriſtus eſt, in cujus conſpectu

Cur igitur ſanguis meus ad ipſius præſen-
non bullit in venis? & quidem cum ingen-
eſiderio, ad exemplum tot millium Marty-
ejus ſe amore profundendi, qui ſanguinem

ſuum

ſuum omnem, non ſolùm quem venis, ſed etiam quem in ipſis cordis ſacratiſſimi penetralibus continebat, pro me effudit. (a) Hæc digna remunerationis eſt, inquit Hieronymus, cùm ſanguis ſanguine compenſatur. Et utinam tanto favore dignus eſſem! Cur eam tot Martyrum myriadibus conceſſiſti, Domine, mihi verò negas? Scio equidem indignitatem meam, ſcio debilitatem & timorem; accipe tamen, pientiſſime JESU, vota ac deſidera mea; & ſi manu lictoris profundere ſanguinem nequeo; usque ad ſanguinem tamen malè ordinatis propenſionibus meis reſiſtam, refrænabo concupiſcibilem, iraſcibilem excitabo, ne caro ſpiritui, aut ſenſus rationi prædominetur. Unxerunt Hebræi poſtem utrumque Agni Sanguine, ne Angelus percutiens domos ita ſignatas contingeret: (b) ungamus nos Agni immaculati ſanguine utrumque poſtem, videlicet facultatem iraſcendi, & concupiſcendi; (c) & cùm aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, conſideremus, quibus facti ſumus digni, talíſque cogitatio nobis irrationabilium motuum ſit correctio.

Iſtud mihi concede, DEUS euchariſtice, per virtutem Sanguinis tui; ut vim mihi inferam, & pravos appetitus fræno rationis cohibeam; id quod me vel ethnicus docet, inquiens:

*Suſtine, & abſtine.*

xij. Cal.

---

(a) *Ep.* 22. (b) *Aug. in Exod.* (c) *Chryſ.* 61. *ad Pop. Antioch.*

Cal. Octobris. Dies 20. Septembris.

*S. Euſtachius Martyr.*

ɔicata venatio, quâ capitur DEUS. Eu-
chius genere, opibus, honoribus, gloriâ
illuſtris, dum in venatione cervum inſe-
, inter fugientis cornua fulgidiſſimam Chri-
ci affixi imaginem conſpicatur.
quid cervus iſte nobis exhibet aliud, quàm
ıptorem noſtrum, animas noſtras inſequen-
O quantum cucurrit, ut easdem venare-
ı quàm præclaros in hoc ſaltus dedit; quan-
cœlo venit in uterum Virginis, de utero
ſepe, de præſepi in Crucem, de Cruce in
ırum, de ſepulchro in cœlum; verè ſaliens
ntibus, tranſiliens colles, non alio fine,
ut animas noſtras venando aſſequeretur;
odieque de cœlo deſilit in manus innume-
Sacerdotum; etiamnum currit quaſi in ſiti,
rio deſiderans paſcha ſuum diviniſſimum
um manducare. O Domine, qui animas
, da, ut ego etiam te capiam; qui me nu-
permitte, ut & ego nutriam te, qui paſcis
:oncede, ut & ego te paſcam. Tu dile-
ıe; da ut ego quoque diligam te; dum (a)
ucas nos, & manducaris à nobis, quò ar-
tibi adſtringamur.
ıorruit Petrus ad conſpectum lintei illius,
demiſſi, & animalibus immundis pleni,
juſſus

ı S. Bern. ſerm. 71. in Cant.

juſſus inſuper, ea occidere, & manducare. Vas ſimile eſt anima mea, omni immunditiâ referta; nam venenum aſpidum ſub labijs meis, & ſub draconum inſanabile. Tu, ô JESU, occide, eradica, emunda, & manduca; ut ſic mutet in te, & vivat anima mea in gratiam tui, qui

*Dediſti animam tuam redemptionem pro multis.*

---

xi. Cal. Octobris. Dies 21. Septembris.

## *S. Matthæus Apoſtolus.*

EX publicano Apoſtolus & Evangeliſta factus eſt ſanctus Matthæus, illicò obſequens Chriſto vocanti: hunc Parthis & Æthiopibus annuntians, gentis poſterioris Regem cum tota aula ad fidem perduxit, poſtquam ejus filium à mortuis ſuſcitâſſet. Quòd tamen filiæ ejuſdem, Iphigeniæ, continentiæ perpetuæ votum ſuaſiſſet, & perſuaſiſſet, ſecuri percuſſus eſt, & ab eadem Virgine regiâ in Templo, eum in finem condito tumulatus: cui etiam glorioſus apparuit, Angelo latus ſtipante.

(*a*) Diſcumbebat JESUS plus in Matthæi mente, quàm menſa; & epulabatur, non cibis, ſed reditu peccatoris, inquit Petrus Chryſologus; Quapropter & ego hodie fiducialiter accedam; accedam, & non timebo; (*b*) multi enim publicani & peccatores diſcumbebant cum JESU; & licèt verearis, nihilominus confide verbis Chriſti, non vocantis juſtos, ſed peccatores.

Opor-

---

(*a*) *Serm.* 29. (*b*) Bernardin. Dom. 4. poſt Pent.

Oportet tamen, ut vacuus non appareas in conſpectu Domini, ſed afferas cibos, quibus libenter veſcitur: quamvis enim bonorum noſtrorum non egeat, vult tamen à nobis invitari, juxta illud: ſiquis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum. At quomodo ego cænabo cum Chriſto? eum mihi incorporando, & omnia bona ejus, tamquam cibos mihi amabiles, & ſuaves; quomodo verò JESUS mecum cænabit? cibus ejus pœnitentia mea: ita enim diſcumbebat plùs in Matthæi mente, quàm menſa; & epulabatur, non cibis, ſed reditu peccatoris. Hoc ſibi optavit Bernardus, inquiens: mundor, cùm arguor; glutior, cùm inſtituor; decoquor, cùm immutor; digeror, cùm transformor; unior, cùm conformor. O Domine, fac, ut mei etiam intuitu de te dici poſſit:

*Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*

---

## x. Cal. Octobris. Dies 22. Septembris.

### *S. Emeranus Epiſc. & Mart.*

AQuitania dedit Emeranum Bavariæ eo tempore, quo Religio in cunis etiamnum jacebat. Hic Hunnos ad fidem adducturus, Reginoburgi optimum Principem Theodonem incidit; à quo invitatus, in excolendo agro Boico triennio integro ſtrenuè deſudavit, interpretis operâ uſus: denique ad exemplum Salvatoris aliena in ſe transferens peccata, ſupplicia inmaniſſima

tulit,

tulit, membratim conciſus; quibus amore Dei patientiſſimè toleratis, luce immenſâ circumfuſus ab omnibus in cœlum viſus eſt abire, & obire.

In fine vitæ tota quæritur perfectio vitæ, inquit Paſchaſius. Probè id noverat divus Emeranus; qui (a) linguâ amiſsâ inter tormenta, nutibus aquam petijt à Diacono ſuo Vitali, quâ ſitim reſtingueret; quam cùm iſte negaret, ad mortem fortiter ſubenandam Præſulem ſuum hortatus; Emeranus, divinâ virtute diſertus, reprehendit Miniſtrum, quòd non cogitaret, hominis eſſe, vitam pro viribus conſervare, ut per virtutum actus commiſſa diluere in fine poſſit; addidit, pro expiatione negatæ charitatis toties eum redigendum ad inſaniam, quoties aquam hauſturus eſſet. Quod & factum eſt, quamvis cæterà præclara de ſe virtutum exempla præberet.

Magna ac ſolida virtus Emerani fuit, quæ non finem tormentorum, uti nos, optabat, ſed moram & prolongationem; proinde perfectionem vitæ in fine vitæ quæſivit. Fugio ego adverſa omnia; & quando durum aliquid occurrit, vel umbram illius evito. Et quâ tandem ratione commiſſa diluam? quando nec verè pœniteo de ijs, neque propter ea me ultrò caſtigo; imò nec adverſa patienter ſuſtineo. Quod dum de die in diem differo, abit occaſio, & vitæ tempus: Et quid in ſupremo vitæ articulo erit? quan-

(a) *Surius hodie.*

quando tempus non erit amplius pretio comparabile; dum itaque tempus habemus, operemur bonum, ne ſubitò præoccupati morte, quæramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus. Operemur autem bonum conſtanter, quia

*Sola perſeverantia coronatur.*

---

## ix. Cal. Octobris. Dies 23. Septembris.

### *S. Soſius Diaconus.*

VIderat ſanctus Januarius à capite Soſij Diaconi, cùm Evangelium caneret, flammam aſcendentem; móxque prædixit, Martyrem fore.

DEUS noſter ignis conſumens eſt; cur igitur non paveo corde, vultu palleo, labijs tremo, toto corpore inhorreſco? Cur non artubus omnibus contremiſco, quando ſacro aſſiſtens Altari, ejus adventum operior; ne videlicet veniat, & conſumat me?

O JESU, quis ſum ego, quis tu? tu Dominus infinitæ Majeſtatis, ego miſerrimus homuncio, quem tu inviſere, & inhabitare non dedignaris: tu altiſſimus cœli ac terræ Rector, ego abjectiſſimus terræ vermiculus, ob peccata dæmone ipſo pejor, immundior fimeto, cloacâ ſordidior, fœtidior cadavere, ferâ quâvis truculentior; verbo: pulvis & abominatio. Quid te movet, ô altitudo cœlorum, ut ad me, profundiſſimam miſeriarum abyſſum, te demittas? Parce, Domine, parce immenſæ Celſitudini tuæ.

Siccíne, ô amor & humilitas, DEUM ac Dominum meum conſtringitis, ut eum non tantùm in exiles panis & vini ſpecies compingatis; ſed efficiatis inſuper, ut ad me, omnium peccatorum maximum, divertere dignetur? Si diva Gertrudis (cujus cor tabernaculum erat, & habitaculum Chriſti) adeò ſibiipſi vileſcebat, ut inter præcipua divinæ pietatis miracula hoc unum eſſe, & quidem ſingulare crederet, quòd à terra ſuſtentaretur; quid ego credam, quid dicam? Nónne fatebor, miraculum miraculorum eſſe, quòd DEUS me ferat, ſacrum Corpus & Sanguinem ſuum conficientem, tractantem ac recipientem; quòd piiſſimus Dominus deſcendat ad me, ut exaltet me; quòd humiliet ſe, ut erigat me; annihilet ſe, ut magnificet me. O Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei; aut filius hominis, quia reputas eum? DEUS noſter ignis conſumens eſt: væ nobis! Timuerunt Philiſtini, audientes, quòd DEUS Israëlitarum venerit in caſtra; ingemuerúntque, dicentes: væ nobis! quis ſalvabit nos de manu Deorum iſtorum ſublimium? hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum in omni plaga. DEUS noſter ignis conſumens eſt; conſumat ergo, quidquid in nobis vitioſum eſt, exurat pravas propenſiones, incendat malas conſuetudines; accendat nos amore ſuo; nam

*Ignem venit mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendam.*

viij. Cal.

viij. Cal. Octobris. Dies 24. Septembris.

*Venerabilis Maria Vela.*

ABulæ in Hiſpania nata Maria Vela, Ordinem divi Dominici profeſſa eſt, ac denata Anno à pariente Virgine milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo. Hanc dæmon varijs tentationibus ac inſidijs in cultu ſacratiſſimæ Euchariſtiæ turbare fruſtra eſt conatus. Aliquando poſt ſumptam ſacram ſynaxin rapta in ecſtaſin, vidit Dominum eâ formâ, quâ ad columnam ligatus, flagellis cæſus eſt; cúmque ad pedes ejus ſeſe abjiceret, vidit magnam copiam divini cruoris, eo ſupplicio profuſi, audivítque vocem, ſibi dicentem: bibe, bibe, & extingue ſitim tuam. Aliàs ante ſacram communionem vidit eundem Servatorem, ſpineo ſerto redimitum, ac manus arctiſſimè conſtrictum; monitáque eſt ſecretiùs, voluntatem Sponſi cæleſtis eſſe, ut ligatis ſeſe manibus in voluntatem divinam reſignaret tum etiam, cùm frequentior diviniſſimi illius myſterij uſus à ſuperioribus ipſi interdiceretur.

In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam; DEUS meus, volui; & legem tuam in medio cordis mei. Tu, ô JESU, omnis fortitudo mea, & totum refugium meum, ad me venire feſtinà, & virtute tuâ ità potenter intra ſub tectum animæ meæ; ut te intrante exeant omnes timores, puſillanimitates, diffidentiæ, ac modica fides. Siquidem tu in omni

rerum eventu, in graviſſimis utriusque hominis negotijs ſpes mea es ab uberibus matris meæ; quia in te projectus ſum ex utero matris meæ: & ſi occideris me, in te tamen ſperabo; deducis enim ad inferos, & reducis.

Certum me facit infinita DEI bonitas, quòd, ſi ad ſalutem meam novo mundo opus eſſet, aut alterâ Filij DEI paſſione; mox Pater æternus novum crearet mundum, & denuo ſuum de cœlo Filium mitteret, qui pro me pateretur & moreretur. Quantò igitur magis ſperem, fore, ut in quavis neceſſitate mihi ſubveniat, me juvet, manúmque porrigat? JESU optime, certò credo, & firmiter teneo, quod tu quondam dilectæ tibi Gertrudi dixiſti, eum videlicet, qui firmâ ſpe in te confidit, adeò cor tuum ſanctiſſimum movere & vulnerare, ut, ſi ipſum juvare non poſſes, tantâ afficereris triſtitiâ, ut omnes cœli delitiæ ad eam ex te propellendam non ſufficerent: præterea confidentiam illam cordi tuo benigniſſimo tantam vim inferre, ut ipſi denegare nihil poſſis. Sicut ergo vera Mater nullo modo ſuſtinet (ſiquidem ullâ ratione poſſit) prolem unicè dilectam fame perire, aquis mergi, à ſicario trucidari, vel à bellua devorari; imò vitam ſuam pro illius incolumitate exponit: ſic & tu, ô JESU, ceu Pater amantiſſimus, multò ardentiùs amas, ac in quacunque animæ & corporis neceſſitate tueris eos, eos, qui cum fiducia ad te recurrunt. In te igitur ſperabo; nec confundar in æternum; tu es

vij. Cal. Octobris. Dies 25. Septembris.

*S. Juſtina Partheno - Martyr.*

REfert Cæſarius de Nobili quodam Gallo, quòd die quâdam equo inſidens, obvium habuerit Sacerdotem, Euchariſtiam ad moribundum deferentem; quâ occaſione eâtenus ſemper conſueverat equo deſcendere, Deúmque præſentem de genu adorare. Quòd autem luto tum omnia obducta eſſent; ambigere cæpit, an idem eâdem occaſione faciendum, an verò ſplendidis, quibus induebatur, veſtibus parcendum? Vicit tamen pietas; equóque protinus deſerto in terram ſe abjecit Vir nobilis, debitum Servatori habiturus honorem; quia verò hic glorificantes ſe viciſſim glorificat; inde non ſine prodigio factum, ut nihil prorſus ſordium veſtes à denſo aliàs luto contraxerint; & Eques exinde in devotione erga venerabile Sacramentum plurimùm fuerit roboratus.

Quàm horrendo luto ſpiritus meus infectus eſt! verè Auguſtinus: volutamur in cæno, tanquam in cinnamomo; corpus animam ſubjicit, ad peccatum allicit, & in orcum detrudit.

Enimvero præclara nundinatio! corpus ſervo, ut animam perdam. Hæc ſervit, illud dominatur. Sed magnus abuſus, ancillam dominari, & dominam ancillari. Voluptates quæris: at qui voluptates amat, ſordes amat; nam volutamur in cæno, tamquam in cinnamomis. Vidit

magnus Antonius mundum in ſchemate fætentis paludis, ex qua homines voluptates ſuas piſcabantur. Tu, ô Domine, vera & ſincera voluptas cordium, conſerva cor & corpus immaculatum; ſalvum me fac, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam; infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia; verè nulla eſt ſubſtantia in his caducis, vanis ac tranſitorijs rebus. Veni in altitudinem maris, videlicet mundi hujus torbulentiſſimi; & tempeſtas demerſit me. Qui tamen Petrum, in fluctibus ambulantem, erexiſti, ne mergeretur; me quoque erige & eripe; tu enim ſalvos ſperantes in te, Domine. Ita ſalvâſti Juſtinam ſponſam tuam, ſuperiorem eam efficiens ſpiritu impuritatis, veneficijs & incantationibus; tu eam ſalvâſti ab incendio picis ac ceræ liquefactæ, tandémque gloriosâ Martyrij Laureolâ unà cum Cypriano mago condecorâſti: Eripe & me, Domine, de luto, ut non infigar; eripe de profundo, ut non abſorbear; eripe de puteo, ne ſuper me urgeat os ſuum. Anima tua, optime JESU, ſalvet me; corpus tuum confortet me; ſanguis tuus purificet me: (a) quia Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti Sacramenta cuncta præcellit; in ipſo enim via, veritas & vita; via, quia dignè accedentes ducit ad DEUM; veritas, quia edentes Chriſto incorporat; vita, quia Chriſto incorporatos in anima mori non ſinit. Jure ergo damo cum Eccleſia:

*O ſacrum Convivium,* vi. Cal.

(a) *Cæſar. de Sacr. Euch.*

vi. Crl. Octobris. Dies 26. Septembris.

## SS. Nilus & Vitalis.

VOluit DEUS in orbe iſthoc terreno exprimere ſimilitudinem quandam cum cœleſti patria, ad quam tendimus viatores; hinc ſæpiùs Eccleſia præſentis temporis à Chriſto dicta fuit regnum cœlorum: cæterùm quamvis Eccleſia typum regni cœleſtis in pluribus alijs referat; id tamen præcipuè contingit in continuanda perpetuò laude communis Creatoris. Sicut enim in cœlo empyreo chori Angelici inceſſabili voce proclamant: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth; ſic in terra innumeri almæ Sionis æmuli Deum aſſiduò, vel pro choro, vel pro ſe quisque privatim collaudant.

Angelico huic exercitio addictiſſimus erat ſanctus Nilus Abbas; qui cum ſocio Fantino non diem ſolummodò, ſed & plures noctis horas laudibus divinis decantandis impendebat: & quamvis eum dæmon ad alia diſtrahere, imò etiam verberibus abſterrere fuerit anniſus; nil tamen prorſus effecit evicitque. Tantæ inſuper humilitatis fuit, ut, licèt Abbas, & omnium Pater eſſet, Sacerdotio tamen initiari noluerit, aſſerens, eo ſe gradu planè indignum.

Abbati jungo Epiſcopum Vitalem; qui, quantum laboris pro Dei Eccleſia ſubjerit, nemo facilè edixerit: Hic ſancti Ruperti, Bojorum Apo-

ſtoli, conterraneus, (a) alumnus, & in regenda Eccleſia Juvavienſi Succeſſor, in egenos maximè profuſus fuit, ſummæ clementiæ in afflictos, in populis inſtituendis, & extirpando idolorum cultu indefeſſus, in tuendo pudore adeò circumſpectus, ut è demortui tumulo, duro marmore nihil obſtante, lilium candidiſſimum protuberârit, ſymbolum illibatæ, quam ſemper coluerat, caſtitatis.

O JESU, caput triumphantis Eccleſiæ, Dux militantis, & theſaurus, ſub Euchariſticis ſpeciebus delitescens; quando te videbo facie ad faciem in gloria tua, quem modò contueor occs fidei, in Sacramento exiſtentem? Tu lumen oculorum meorum; quis dabit mihi, ut ardentiſſimum meum deſiderium, tui in regno cœleſti perpetuo videndi, compleatur? Tu ſatietas cordis noſtri, & centrum, in quo unicè quieſcamus. Renuit conſolari anima mea, quoad tuo eam adventu ſoleris, téque ipſi tradas æternum fruendum. Quis ergo me liberabit de corpore mortis hujus? Quis mihi dabit pennas, ſicut columbæ; & volabo, & requieſcam in nidulo meo, in dulciſſimo corde tuo? quia

*Feciſti nos ad te; & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

v. Cal.

[redacted]

[redacted]er. Bav. ſanctæ.

v. Cal. Octobris. Dies 27. Septembris.

## *S. Thiemo Epiſcopus & Martyr.*

(a) EX illuſtri Bojorum gente prognatus Thiemo, juvenis etiamnum divi Benedicti inſtitutum in cænobio Altaichenſi eſt amplexus; inde vocatus Juvavium ad regendam Abbatiam ſancti Petri, tandem Epiſcopus Juvavienſis eſt renuntiatus. Verùm poſt annos aliquot armis Cæſaris, Bertholdo æmulo faventis, pulſus ac captus, vincula quinquennio integro fortiter tulit. Inde ductus inconſpectum Arcis, ſibi & Eccleſiæ fidem ſervantis, aut eam tradere, aut ultimum ſupplicium expectare jubetur. Sed cùm imperterritus reſponderet, ſe res Eccleſiæ hoſtibus tradere non poſſe, in carcerem eſt reductus, ibique ab immiſſo lictore bis ictus gladio, nil tamen inde læſus. Tandem è cuſtodia lapſus, & in Suevia aliquandiu demoratus, cum exercitu Godefridi Bullionij in Palæſtinam abijt; ubi ad urbem Corozaim circumventus à barbaris, & ad tyrannum perductus, quam artem didiciſſet, rogatur. Cùmque ſtatuariam ſe exercuiſſe reponeret, juſſus eſt impijſſimi Mahometis ſimulacrum reficere: quod cùm ille in fruſta comminuiſſet, veſtibus expoliatur; jumentóque impoſitus, ſcuticâ intoxicatâ per omnem viam cæditur; denique in campum, velut certaminis arenam eductus, membratim ſecatur; venter etiamnum ſpirantis inciditur, atque



(a) *Rader. Bav. S.*

caput inteſtinorum, bacillo implexum evolvitur; ita fortiter agendo ac patiendo magnum ſe Sacerdotem probavit.

In his tormentis atrociſſimis quomodo conſtare ſibi potuit ſanctus hic Præſul? Nempe (quod de ſancto Laurentio dixit Auguſtinus) benè manducaverat, & benè biberat; hinc eſcâ illâ ſaginatus, & calice illo ebrius, tormenta non ſenſit. Ita nec labore victus erat, nec morte vincendus; non ceſſit ipſe tormentis, ſed hæc potiùs ipſi ceſſêre; ſacrilegam Pſeudo-Prophetæ Arabici ſtatuam magno animo contrivit, & ſupplicijs omnibus ſuperior, ad Deum victor tranſivit.

Amore Dei quævis tormenta ac injurias pertulerunt ſancti; hinc de Apoſtolis ſcribitur: ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine JESU contumeliam pati. Et quæ non ſuſtinet ipſe Dei Filius amore noſtri? hîc blasphematur, ibi maledicitur; alibi indignè tractatur, aut omnino ſacrilegè ſumitur: vix non omnis caro corrupit viam ſuam; homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. O pelagus immenſum divinæ tolerantiæ, talia videntis, & non caſtigantis! Verè, Domine, diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam; & quanta in me hactenus non diſſimulaſti, & adhuc diſſimulas, dum potentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas? Confiteor adversùm me iniquitatem meam, ut tu, Domine, remittas impietatem peccati mei. Dimitte mihi, Deus, dimitte peccata

ata mea propter nomen ſanctum tuum; ſalva animam meam, pretioſo tuo Sanguine redemptum; ecce committo me totum miſericordiæ tuæ, onſigno me manibus tuis; age mecum pro bonitate tua, non pro mea malitia, qui

*Salvas ſperantes in te, Domine.*

---

## Iv. Cal. Octobris. Dies 28. Septembris.

### *S. Wenceslæus Rex & Martyr.*

SUmmæ fuit devotionis erga tremenda Altaris Myſteria ſanctus Wenceslaus, ratus, nihil dignitati regiæ decedere, ſi (quod frequenter ſolebat) ad eadem ipſe miniſter ſerviret. Ratisbonæ in comitijs maluit Cæſaris incurrere indignationem, quàm ante ſacrum abſolutum templo exedere: tardiùs attamen in conſeſſum Principum veniens, humaniſſimè ab Imperatore, ringentibus quidem adverſarijs, eſt exceptus, utpote cujus latus utrumque Angeli, pediſſequi ſanè nobiles, ſtipabant. Tempore hyberno templa nocte pedibus nudis obibat, nives aut glaciem nihil moratus: querentem de frigore famulum juſſit ſuis pedem veſtigijs figere; qui inde totus incaluit. Triticum juxtà ac vinum ipſe Rex ſanctiſſimus collegit, & ut ſacro ſerviret, ſuis manibus apparavit.

A ſancto hoc, ac Zeloſo Rege diſcam, quos-vis reſpectus humanos deponere; ut nihil ſit, quod ſacrificij tempore me diſtrahat, nihil, quod vocet, quando tremendum hoc Myſterium

tracto.

tracto. Tunc Deus in medio mei non commovebitur; præterea diligam decorem domûs Dei, & locum habitationis ejus; ut gloriam Domini in vivifico hoc Sacramento ſpeculando, in eandem imaginem transformer: anima enim, teſte magno Gregorio, in ſemetipſa authoris ſui inconvertibilem ſpeciem, dum reſpicit, aſſumit. Veni ergo, JEſu pijſſime, & in Sacramentali tui fruitione pone oculos tuos ſuper oculos meos, manus tuas ſuper manus meas, os tuum ſuper os meum, cor tuum ſuper cor meum, ut accipiam Spiritum ſanctum tuum; quia

*Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.*

---

iij. Cal. Octobris. Dies 29. Septembris.

*Dedicatio ſancti Michaëlis Archangeli.*

SAcroſanctum Altaris Myſterium tantæ eſt dignitatis, tantæque excellentiæ, ut natura Angelica illud demiretur, divinâmque in eo deprædicet potentiam, divinitatem, ſub Euchariſtico velo latentem, adoret, ac deveneretur humanitatem. Proinde nihil Angelicis ſpiritibus gratius acceptiusque eſt, quàm diviniſſimi ſacrificij ad ipſorum honorem facta oblatio; prout hodiernâ die experta eſt diva Gertrudis; cui Michaël, Angelorum Princeps ac Ductor, quòd ejus honori ſacram ſynaxin deſtinârit, ſuum viciſſim patrocinium potentiùs deinceps addixit.

Mirabilis DEUS in ſanctis Angelis ſuis, quos ſibi adſciſcit miniſtros potentiæ ſuæ; quam in

ſancto

ſancto Michaële Archangelo præcipuè oſtendit: hic enim ſcuto ſuo inexpugnabili Luciferum cum complicibus cœlo dejecit, fulmen illud vehementiſſimum in eos torquens: quis, ut Deus? Idem nos agimus, quoties ſacra illa ad Aram verba ritè pronuntiamus: per Ipſum, & cum Ipſo, & in Ipſo eſt tibi DEO, Patri Omnipotenti, in unitate Spiritûs ſancti, omnis honor & gloria. Amen. Ita aciem contra dæmones inſtauramus; ita eos denuo ad inferos præcipitamus.

Hanc tuam, quam in ſanctis Angelis oſtendiſti, potentiam, debito mentis affectu adoro, Domine DEUS, rogans pro tua pietate, digneris per adminiſtratorios hoſce ſpiritus, & vel maximè per Archiſtrategum eorumdem, ſanctum Michaëlem, me liberare à poteſtatibus tenebrarum, méque tueri contra ſpiritualia nequitiæ; ut ijſdem devictis, cum univerſis cœleſtium ſpirituum choris

*Miſericordias tuas in æternum decantem.*

---

## Pridie Cal. Octobris. Dies 30. Septembris.

### *S. Hieronymus Conf. E. D.*

LEgerat avidiùs Ciceronem Hieronymus; mox ab Angelo flagris caſtigatus eſt. Fœdis cogitationibus impetitus, ad JESU Chriſti, in crucem ſuffixi, pedes ſe abjecit. Supremum judicij diem ita exhorruit, ut, ſive ederet, ſive biberet, ſive legeret, ſeu aliud quid faceret, ſemper audire ſibi videretur tubam illam terribilem,

orbi

orbi intonantem: ſurgite mortui, venite ad judicium. Cæterùm delitiæ ejus erant, delitescere in ſpecu Bethlehemitica; mihi utique innuens, ut ego etiam me abdam in *Domum Panis*, in qua Chriſtus non minùs verè præſens eſt, quàm olim fuerit in ſpecu illa, non quidem ampliùs faſcijs adſtrictus, ſed candidis ſpeciebus involutus; non vagiens ampliùs, ut infans, ſed ut DEUS beneficus gratias cœleſtes diſpenſans; ibi velut impotens, Matris ubera petebat; hîc omni acceptâ poteſtate, apud Patrem agit Advocatum; ibi frigore tremens, ab animalibus fovetur; hîc, ceu ignis conſumens, incendit ad ſe accedentes; ibi fugit Herodis tyrannidem; hîc menſam apparat adverſùs tribulantes nos; ibi magorum donarijs, hîc devotorum laudibus & canticis honoratur; ibi cum ſimplicibus paſtorculis ſermocinatur; hîc cum juſtis & ſanctis converſatur. Beati itaque, qui habitant in domo tua, Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te. O ter ſancta Domus Panis, poſtesque beati! verè non eſt hîc aliud, niſi Domus DEI, & porta cœli. In Bethlehem itaque, ſeu domo panis cum Hieronymo deliteſcam; hîc habitabo, quoniam elegi eam omnibus diebus vitæ meæ.

O JESU, trahe me poſt te, in ſuaviſſimum odorem unguentorum tuorum; ineffabiliter enim fragrat odor tuæ Deitatis, & veſtimentum tuæ humanitatis. Tu faſciculus myrrhæ, odorem admirabilem ſparſiſti in mundo, quo vix natus & è propinquo paſtores, & Magos è longin-

ginquo attraxiſti. Felices Maria & Joſephus, qui tamdiu refecti fuerunt hâc fragrantiâ cœleſti, longè vincente omnia aromata, omne balſamum, omnes hortorum flores. Verùm tunc præcipuè divinum ſpiraſti odorem, cùm in cruce pro nobis hoſtia factus, mundum Patri æterno conciliâſti; tunc exaltatus, omnia odore hoc ad te traxiſti; certè plerique eorum, qui ad ſpectaculum aderant, viſis, quæ fiebant, prodigijs, percutientes pectora revertebantur, te utique trahente. Ita etiam latronem ad te traxiſti, eidémque paradiſum addixiſti. Traxiſti denique omnes, ad quos paſſionis ac crucis tuæ fructus unquam eſſet perventurus.

Quòdſi Noëmi holocauſtum, tam acceptum ſparſerit odorem, ut eo placatus Dominus, arcum ſuum poneret in nubibus, ceu ſignum terræ, diluvio impoſterum haud diſperdendæ; quàm gratioſus, ſuavis ac ineffabilis fuerit odor Filij DEI, in cruce totum ſe offerentis? certè Hoſtia iſthæc etiamnum odore ſuo cœlum lætificat, mundum reconciliat, bonis & donis infinitis nos cumulat; ut & nos ſimus bonus odor DEO, per vitæ integritatem, proximo verò per probitatis exempla, juxta illud Pauli:

*Chriſti bonus odor ſimus.*

Calen-

## Calendis Octobris. Dies 1. ejuſdem.

### *Sancta Maria de Victoria.*

GLorioſiſſima cœlorum Regina, hoſtibus quibusvis terribilis, ut caſtrorum acies ordinata, hodie immanem Turcarum claſſem, devicit, diſſipavítque; cùm eo ipſo tempore fideles apem illius per devotam ſacri Roſarij precationem toto orbe implorarent: inde meritò dicta eſt ſancta Maria de Victoria.

Si conſiſtant adverſùm me caſtra, non timebit cor meum; ſi exurgat adverſùm me prælium, in te, Domina, ſperabo, quæ pulchra es, ut luna, electa, ut ſol, terribilis, ut caſtrorum acies ordinata.

Virgo beatiſſima, & omni laude digniſſima Mater Salvatoris noſtri JESU Chriſti, quæ magnalia Trinitas ſanctiſſima in te eſt operata? cujus potentiam quodammodo exhauſiſſe videris. Potuit enim DEUS (ex communi Patrum & Doctorum ſenſu) creare cœlum excelſius, potuit condere terram, iſtâ, quam incolimus, ſpatioſiorem; ſed non potuit creare Matrem, te excelſiorem; id quod innuit Paranymphus cœleſtis, quando te ſalutavit gratiâ plenam; ut videlicet nulla deſit. Omnia in te magna, ô beata Virgo; fecit enim tibi magna, qui potens eſt: hæc immenſa magnitudinis tuæ menſura. Inde legitimè concludimus, magnam quoque eſſe tuam apud DEUM potentiam, & validum præ ſanctis reli-

reliquis Patrocinium; nam, quæ DEUS imperio, tu prece, Virgo potes. Mec minor eſt tua in juvando promptitudo; ſapientibus & inſipientibus, juſtis & peccatoribus te debitricem profiteris; tu unica ſpes es deſperantium, tu magnum empyrei ſidus, (a) noſtræ ſalutis Anchora, imò portus, in quo humanitatis hoſtilia protectionem inveniunt, & auxilium; (b) verè balſamum aromatizans, dans ſuavitatem odoris, pro curatione vulnerum immedicabilium; (c) MARIA Virgo, virga miſericordiæ, ſemper florens, ſemper vigilans, & pro nobis plena oculis; (d) per quam tota iniquitatis noſtræ conſciſſa eſt ſyngrapha; (e) finis iræ Dei, diverſorium peccatorum, reſeratorium portarum cœli; (f) quæ peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores, tanto dignâ Filio; (g) ſub umbra alarum tuarum, Dei parens clementiſſima, refugium quærunt peccatores, ibique recipiunt pœnitentiæ ſuffragium; (h) ſiquidem non deeſt Mariæ poteſtas, quia Mater Omnipotentis eſt; nec impetrandi induſtria, quia eſt Mater ſapientiæ; nec voluntas, quia Mater miſericordiæ eſt. Adeſto & mihi, ô Mater benigniſſima, in ſuprema illa, & decretoria pugna; tunc oſtende, quòd ſis

*Terribilis, ut caſtrorum acies ordinata.*



(a) *SS. Patres* (b) *Alb. M.* (c) *Hier. Germ.* (d) *Conſtantinop.* (e) *Baſil. M.* (f) *Epiph.* (g) *Bonav.* (h) *Alan.*

## vi. Non. Octobris. Dies 2. ejuſdem.

### *B. Blonda Vidua.*

SUmmâ veneratione afficiebatur erga ſacratiſſimam Euchariſtiam B. Blonda, ex ordine Servorum Virginis Deiparæ; quæ in ſæculo matronali honeſtate conſpicua, dum vindictam meditatur in filij unici, & innocentis quidem, interfectores, novam his, rem ſubodorantibus, ſæviendi occaſionem dedit; dum ipſum cæſi filij cor Matri, omnium ignaræ, edendum appoſuerunt. Verùm cibus iſte omnem vindictæ cogitationem abſterſit, piam Matronam cum hoſtibus conciliavit, & Sponſo divino arctiſſimè deinceps copulavit.

Tam generoſo inductus exemplo, omnem vindictam deponam, remittam injurias quascunque à quibuscunque mihi irrogatas. Siquidem Altaris Sacramentum eſt teſſera reconciliationis. Tibi, Domine, vindicta competit, mihi opus miſericordiâ; aliàs quâ fronte toties oro: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? Scio, JESU mitiſſime, iram, indignationem, & vindictæ cupiditatem cor tuum ſanctiſſimum transfigere; uti enim ſuperbia ſpinis te coronavit, gula felle potavit, vendidit avaritia, occidit invidia, luxuria flagellavit; ita furor & indignatio manſuetiſſimum cor tuum transfixit. Habes itaque me etiam hac in parte reum, habes confeſſum; tu effice pœnitentem, ut amore ſancti nominis tui ex corde dimittam omnibus, qui

qui verbo aut opere unquam me læſerunt. Et certè ab ijs, qui de uno pane edunt, odium procul eſſe debet; benè Apoſtolus: unus panis, unum corpus multi ſumus. Panis iſte eſt Sacramentum pietatis, ſignum unitatis, vinculum charitatis. Tu, ô JEſu, pretioſiſſimo liquore ſanguinis & aquæ, ex tuo latere profluentis, eluere digneris cor meum, & abſtergere omnes vindictæ maculas; qui militi, ſanctiſſimum illud latus percutienti, vindictæ locò oculos aperuiſti, ac pro ijs orâſti, qui te crucifigebant ac blasphemabant; ſicque opere oſtendiſti, quod priùs verbo docueras, inimicorum dilectionem præcipiens; fac & me tecum orare ad Patrem cæleſtem:

*Dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.*

## v. Non. Octobris. Dies 3. ejuſdem.

### *S. Godefridus Monachus.*

DE beato Godefrido Monacho refert Cæſarius, eum nocte quâdam, cùm ad Aram proſtratus, ferventiùs oraret, Chriſtum habuiſſe aſpectabilem eo habitu, quo pedes diſcipulorum laverat ſub ultimam cænam; audiſſeque dicentem ſibi: ſede, ut lavem tibi pedes tuos, eò quòd dudum pedes meos ablueris; & Godefridum quidem iſtud obſequium cum Petro humiliter detrectâſſe; ſed ijsdem minis perculſum, poſtea obediviſſe.

Quod olim Petro, & dein Godefrido, dictum fuit à Chriſto, idem unicuique noſtrûm ingeritur: ſi non lavero te, non habebis partem mecum. Cui

enim non ſuffragatur lavacrum Sanguinis Chriſti, inquit Ambroſius, hujus deſperata eſt ſalus. Itaque compellanti me Domino humiliter reſpondeo cum Petro: Domine, non ſolùm pedes, ſed & manus, & caput. Quia etenim omnibus membris abuſus ſum, vertendo ea in organa divinæ offenſionis; hinc neceſſe eſt, ut ea omnia abluantur; cùm non ſit ſanitas in carne mea, nec puritas in membris: caput ſiquidem ambitioſè exſuli, manibus aliena corraſi, oculis aſpexi, quæ non debebam, aures patulas dedi detrahentibus, contigi manibus illicita, corde vetita concupivi, pedes direxi in viam peccatorum. A vertice itaque capitis usque ad plantam pedis non eſt in me ſanitas, quia ulcere peſſimo ſathanas me percuſſit. Tu, ô JEſu, qui laviſti nos in Sanguine tuo à peccatis noſtris, ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccatis meis munda me; noli me reprobare, & ne avertas faciem tuam à me; ne dicas mihi, quod olim per Jeremiam objeciſti Iſraëli: (a) immunditia tua execrabilis; quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis; ſed nec mundaberis priùs, donec quieſcere faciam indignationem meam in te. Non ita, Domine; nam ſi vis, potes me mundare: miſerere itaque mei, quoniam infirmus ſum; ſana ænimam meam, quia peccavi tibi. Scio equidem, jam impendiſſe te omnem operam, ut maculas meas elueres; ſcio, verè de me dici poſſe illud propheticum: multo labore ſudatum eſt; & non exivit ex ea nimia rubigo ejus; ſed tu, Domine, ampliùs lava me, quoniam iniquitatem meam ego cog-

(a) Cap. 24.

cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper; quia

*Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.*

## iv. Non. Octobris. Dies 4. ejuſdem.
### *S. Franciſcus Seraphicus.*

HOmo igneus fuit Franciſcus, (a) ex recordatione Sanctorum tanquam lapidum ignitorum, in deificum recaleſcebat incendium; inde flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo illam chariſſimam dignationem, & dignisſimam charitatem. Quare ſæpè communicabat, & tam devotè, ut alios devotos faceret; dum ad immaculati Agni deguſtationem ſuavem, quaſi ſpiritu ebrius, in mentis ut plurimùm rapiebatur exceſſum. Poſt ſacram ſynaxin acceptam intenſiſſimo ad Patrem cœleſtem affectu ſe vertens ajebat: tu mihi inſpira, quid dicam ad filium tuum, qui amodò dignatus eſt ad me venire; tu dic; & ego dicam: Amen!

Hoc divi Bonaventuræ teſtimonium ſi magnum eſt; utique teſtimonium Dei majus eſt, qui de Patriarcha ſeraphico ita ſanctam Birgittam eſt affatus: amicus meus Franciſcus fuit lapis igneus & ignitus, quia habuit me in ſe, qui ſum ignis.

Diu ſecum deliberaverat humilis Franciſcus, num Sacerdotio initiari deberet? Tandem Angelum familiarem rogavit, cujus puritatis Sacerdotem eſſe oporteret; & dum hic ſymbolum ejus pu-



(a) *Bonav. Leg. c. 9.*

ritatis exhiberet, vas cryſtallinum, limpidiſſimo plenum liquore; indignum ſe exiſtimavit tam ſublimi charactere, neque illum unquam admiſit.

Equidem characterem Sacerdotalem jam pridem aſſumpſi ego; neque tamen requiſitæ hactenus ſtudui puritati; quin potiùs denigrata eſt ſuper carbones facies mea. Quantò juſtiùs ego noctes diésque ingemino, quàm igneus Franciſcus: quis ego ſum, Domine, & quis tu, Dominus meus & Deus meus? Tu puriſſimus, impuriſſimus ego; tu mundiſſimus, immundiſſimus ego; tu digniſſimus, indigniſſimus ego, ut te manibus contingam, labijs è cœlo devocem, ore ac corde ſuſcipiam. Abſorbeat, quæſo (ita oro cum electo tuo Franciſco) mentem meam ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, ignita & melliflua vis amoris tui; ut incipiam eſſe initium aliquod creaturæ tuæ; etenim

*Univerſa ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.*

---

## iij. Non. Octobris. Dies 5. ejuſdem.

### *S. Galla Vidua.*

NObiliſſima inter Matronas Romanas Galla degit, abjecta eſſe in Domo Dei, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Hinc mundi pompam deponens, prope Baſilicam Vaticanam divi Petri exiguam ſibi ſtruxit cellulam; ubi Deum, ſub velo Euchariſtico abſconditum aſſiduò adorabat, frequenterque ſumebat; inde ſolatijs cœleſtibus perfuſa, reipsâ experta eſt, quod ſcripſit angelicus Doctor, ei, cui Deus totum eſt, mundum hunc nihil eſſe.

Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea in æternum; tu reſtitues hæreditatem meam mihi; tu es theſaurus indeficiens, nec eſt aliquid in cœlo, aut in terra, extra te, quod animum meum exſatiare poſſit, Deus meus, & omnia. Et certè quidquid cœlum habet gloriæ, mundus venuſtatis, creatura quævis virium, id totum profluxit à te, & ex te, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Imò hæc omnia eminentiſſimè continentur in ſacro Altaris Myſterio, in quo mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur; in quo mundi vanitatibus nos abdicamus, adverſa quævis patienter ſuſtinemus, & vires contra hoſtem infernalem ſumimus.

JEſus meus, & omnia, in ſanctiſſimo Sacramento; ipſe enim vera ſpiritûs requies, voluptas mentis, beatitudo anticipata, veræ divitiæ, felicitas interminabilis, gaudium & conſolatio plena: ipſe cordis ſatietas, centrum deſideriorum, Deus meus, & omnia; quidquid extra eum, arbitror ut ſtercora, ut ipſum pleniùs lucrifaciam. Itaque, quod multi in Eccleſia reges pij fecerunt, & ego facio, reſpuens & proculcans omnes mundi pompas, carnis illecebras, veſtium luxum; vanitas vanitatum, & omnia vanitas! Solus mihi ſapit JEſus, cibus & potus animæ meæ; huic ex animo dico:

*A te quid volui ſuper terram?*



nem, & loquar ad cor ejus. Huc ad tragi
ſpectaculum Doctoris cujuſdam Pariſienſis
aliàs vitæ, ſub mortem è feretro ſeſe erig
juſto Dei judicio ſe accuſatum, judicatum
demnatum exclamantis, terrefactus, è mu
fugiens, in aſperrimos ſeſe montes abdidi
ſimum vivendi genus ibi cum ſocijs aliquot
tus. Tantâ verò attentione rem divinam
peregit, ut aliud non videretur in mente
quàm ſolum hoc negotium; verè nego
gotiorum.

Sequar & ego Brunonem in ſolitudinem
nùs corpore, ſaltem mente, juxta monitum
ſij: habentes converſationem in urbibus
poſſideamus deſertum; porro deſertum
mus, dum mente pacatâ quieſcimus; deſert
demus, dum rei alteri, quàm ſaluti noſtræ
intenti ſumus; tunc deſertum poſſidemus, i

ſiquidem pacifici in ſemetipſis, qui omnes animi ſui motus componunt,& concupiſcentias rationi ſubjiciunt,ſunt regnum Dei,quibus dicitur: ad eum veniemus,& manſionem apud eum faciemus.

Præterea æmulabor ſilentium divi Brunonis, nihil vel indecens, vel ſcurrile proloquendo: ſiquidem (a) indecens eſt,ut ex ore Chriſtianorum,ubi Chriſtus ingreditur, luxrioſum quid egrediatur; & lingua,quæ Agni immaculati Sanguine rubeſcit,dedignari debet, otioſi ſermonis ſeſe fæcibus inquinare. Silebo etiam de proximo meo, neque detrahendo ipſi,nec obloquendo, nec contradicendo, aut quocunque modo ei nocendo. Ita deſertum incolam cum Brunone, ejúsque imitabor ſilentium; & mente pacatus, priùs tacere diſcam, quàm loqui. Tu, Domine, pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis; ut non declinet cor meum in verba malitiæ; nam

*Cuſtos devotionis eſt ſilentium.*

## Nonis Octobris. Dies 7. ejuſdem.

### *Venerabilis Angela Danis.*

ILlud debemus orando petere,quod debemus deſiderare,ait Angelus Doctorum. (b) Hinc Sponſa amantiſſima ſuſpirando dixit: anima mea deſideravit te in nocte,ſeu tenebris & miſerijs vitæ hujus, quæ amantiſſimus nox ſunt. Porro quid deſiderando petere debemus? Docet ipſe Servator, ſic orare jubens: panem noſtrum quotidianum da no-



(a) *Aug. ſerm. de Temp.* (b) 2. 2. qu. 83. art. 7.

bis hodie; id quod non ſolùm de pane materiali accipiendum, quo corpus ſuſtentatur; ſed vel maximè etiam de pane ſpirituali, quo anima cibatur, & de quo ipſe Dominus ait: niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hunc panem debemus orando petere, quem toto mentis affectu debemus deſiderare. Petit à te panem mendicus: & tu Dei mendicus es; pete ergo ab ipſo panem illum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Ut autem, quod petis, accipias; oratione & deſiderio ad hunc panem diviniſſimum parare te debes; cætera Deo committe, qui de indignis dignos facit. Ita Chriſtus ipſe reſtatus eſt venerabili Angelæ Danis, (a) quæ pro ſorore quadam Religioſa orabat, non præſumente, toties ad ſacram Menſam accedere; reſpondit enim Dominus: dic animæ huic, ut cum fiducia ad me accedat; ego ſiquidem aurifex ſum, & fornax, in qua, & per quam animæ purificantur.

Quis loquetur potentias Domini, & dignis laudibus extollet? quis amorem deprædicabit pro merito, quo admirabile hoc inſtituit Sacramentum, propriâ nos carne paſcens, & ſanguine potans? quis ritè celebrabit miſericordiam, quâ viſitat nos oriens ex alto; dignationem, quâ nobiſcum eſt usque ad ſæculi conſummationem; humilitatem, quâ ſeipſum tradit Dei Filius, ut ſervum ſibi arctiſſimè conjungat? Age igitur, anima, quantum potes, tantum aude; & benedic Domino, cum omnibus, quæ intra me ſunt; benedic Nomini ſancto ejus, quia

(a) *Diar. Dominican.*

quia miſericordia ejus magna eſt ſuper nos; magna reverà, quia replet in bonis deſiderium noſtrum; magna, quia propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris; magna, quia paravit in conſpectu noſtro menſam adverſùs eos, qui tribulant nos; magna denique, quia eruit animam meam ex inferno inferiori. Certè tu es Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, & de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitas: inde cum Catharina Senenſi humiliter rogo: ſolve cor meum à ſeipſo; exue illud à meipſo, & liga illud in te indiſſolubili amoris nexu; qui

*Magnus es, & laudabilis nimis.*

## viij. Id. Octobris. Dies 8. ejuſdem.

### *S. Birgitta Vidua.*

FEliciſſima Birgitta, cujus cor habitaculum erat Filij Dei; qui hunc in modum aliquando eam eſt allocutus: (a) ego habitare volo in corde tuo. Cœli & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, non poſſunt me capere; & cor tuum, quod non eſt, niſi modicum fruſtum carnis, me capit. Quem igitur poteris timere, quibus indigere, cùm me habeas potentiſſimum? at in corde tuo, habitaculo meo, debent eſſe tria; lectus, ſedes, lumen. Lectus ſit quies tua à pravis cogitationibus, & mundi deſiderijs; ſedes, voluntas ſolida, manendi mecum; lumen, fides, quâ mihi credas, & fidas. (b) Conabatur aliquando dœmon, fidem ejus in Sacramentum Altaris pervertere, dicens: quid credis? dimitte cogitare

(a) *L. 1. Revel. c.* 30. (b) L. 4. c. 63.

gitare incredibilia, & crede ſenſibus tuis. Nónne vides & audis ſonum fractionis hoſtiæ materialis? vidiſti eam evomi, tangi, inhoneſtè dejici in terram, & alia indigna, quæ ego non tolerarem &c. Sed audijt Filium Dei, cum dæmonis confuſione ſubjungentem: Crede, filia, quòd ego ſum Chriſtus, veritas, & non proditor. Et tu, dæmon, reſponde mihi: corpus meum poſt reſurrectionem erátne ſpirituale, vel corporale? ſi ſpirituale; quomodo viſibile fuit oculis corporeis? ſi corporale; quomodo januis clauſis ingredi potuit? ad hæc dæmon: compulſus loquar; corpus tuum erat tunc & corporale, & ſpirituale. Et Chriſtus: eſtne mihi difficilius, nunc operari, quàm tunc, miraculum? Si caro mea glorificata potuit januis clauſis intrare ad Apoſtolos, quare non poterit eſſe in manibus Sacerdotum? an forſan labor eſt Deitati meæ, ima ſociare cæleſtibus, terenáque ſummis? nónne virga Moyſis tota mutata eſt in ſerpentem? & mihi difficile erit, mutare panem in corpus meum glorificatum? nónne panis, multiplicatus ſub manibus meis, verè panis erat? & hoc excedet potentiam meam? &c.

Cuique Sacerdoti dicit Deus: ego habitare volo in corde tuo. Cœlum & terra me non capiunt; & tantillus locus cordis tui me capit. Sed eheu me miſerum! qui quidem indies ad Aram accedo, Deúmque in cor meum recipio; id tamen ex conſuetudine potiùs, variſque humanis reſpectibus, quàm ſolida devotione contingit. Quot jam annis ſacro hoc perfungor miniſterio? at exiguo, & forſan nullo prorſus profectu; cùm magis ferverem Neo-

Myſta,

Myſta, quàm modò Sacerdos veteranus. Ita, quia non proficio, deficio; iiſdem ſemper hæreo defectibus, iiſdem conſuetudinibus ligor; propenſiones malæ altiores indies agunt radices; conſcientiam perfunctoriè tantùm excutio, defectus non emendo, imò novos quotidie addo; virtutis ſtudium languet, fervent pravæ affectiones: quid igitur habeo reliquum, niſi tremendum Dei judicium? Et is forſitan jam vibravit gladium ſuum; arcum ſuum fortè jam tetendit, & paravit illum; & quid inde evibrabit in me, niſi vaſa mortis? Has inter anguſtias quò me vertam, ignoro: ſi cœlum ſuſpicio, tu illic es, Domine, ut inde me dejicias; ſi ad inferos deſcendo, tu ades, ut me pro merito caſtiges; Ergo ad te, ô Mater miſericordiæ, confugio; cùm enim iratus fuerit Filius tuus, tu miſericordiæ memor eris; itaque tuos illos miſericordes oculos ad me converte, qui alio fine te non colo, amo, veneror, niſi ut animam meam, opus manuum Filij tui ſanctiſſimi, tuo patrocinio ſalves. Igitur JEſum, benedictum fructum ventris tui mihi poſt mortem placabilem redde; ne

*Perceptio corporis ejus mihi proveniat in condemnationem.*

## vi. Id. Octobris. Dies 9. ejuſdem.

### *S. Dionyſius Areopagita.*

Cùm ſocios Martyrij ad mortem pro Chriſto fortiter ſubeundam in carcere animaret Dionyſius (à Paulo, gentium Apoſtolo, eò facilius ad fidem con-

converſus, quòd univerſalem ſolis defectum Chriſto moriente notaverat, atque Deum pati, inde collegerat) ſacris operatus eſt, ut illos cibo robuſtorum ad imminentem luctam muniret: & ecce, ſacræ Communionis tempore lux ingens totum carcerem colluſtravit; mox Chriſtus, Angelorum Choro ſtipatus, ſanctum Pontificem allocutus eſt: accipe, dilecte, Corpus meum in pignus futuræ gloriæ, quam mox cum Patre meo æterno tibi conferam; merces enim tua magna nimis. Ita ſenex annorum centum & decem capite plexus eſt, quod, à terra ſublatum, ducentos paſſus, ad tumulum uſque detulit.

Lumine fidei ego etiam video Angelos, aræ circumfuſos, Deúmque præſentem adorantes. Inde eſt; quòd Apoſtolus voluerit mulieres in Eccleſia velari, propter Angelos. Præterea indubitatè credo, ipſum Dominum in ſacro Altaris Myſterio adeſſe; & quamvis manum ſuam viſibiliter non extendat, ſacrámque Hoſtiam mecum benedicat, uti olim cum ſancto Udalrico egit; nullus tamen ambigo, quin id inviſibiliter faciat, monente fideles Chryſoſtomo: dum vides Sacerdotem offerentem, ne credas, manus eſſe Sacerdotis, ſed manus Chriſti, inviſibiliter extenſas. O ut & ego dignus ſim, cui tum dicat Servator: accipe, dilecte, Corpus meum; quàm promptè reponerem: Dilectus meus mihi, & ego illi. Porro quamvis gratiâ hâc indignus ſim; attamen firmiſſimè teneo, ſactum hoc convivium eſſe pignus futuræ gloriæ, quæ revelabitur in nobis. O quàm magna Sacerdotum dignitas! hi

enim

enim ſunt tabernaculum Dei viventis, de quibus verè accipi poteſt illud ſcripturæ: ecce tabernaculum Dei cum hominibus; & habitavit cum eis; & ipſe Deus eorum erit cum ipſis Deus; utpote quibus deificam quaſi contulit poteſtatem. Hoc ſenſu de ipſis rectè dicitur: ego dixi: Dii eſtis, nempe quoad collatam ſummam, quæ in terris reperiatur, poteſtatem. Rectè Vates regius: Deus ſtetit in Sinagoga Deorum; & alibi: Deus Deorum Dominus locutus eſt. Verè genus electum, populus acquiſitionis, regale Sacerdotium. Gaudeamus itaque tali inſigniti honore; quia (a) Chriſtus factus eſt nobis in eſcam, ut eo pane viventes, & ſecundùm eum ambulantes, poſſimus cum Apoſtolo dicere: noſtra converſatio in cœlis eſt. Gaudeamus; at ſimul timeamus, & cum tremore ſalutem noſtram operemur; quia grande miniſterium traditum eſt nobis; nec minor inde ratio erit reddenda. Tu, JESU, ſumme & immaculate Sacerdos, Spiritum ſanctum tuum ne auferas à nobis; quin potiùs cor mundum, & ſpiritum rectum innova in viſceribus noſtris, quo auxiliante,

*Sacerdotes tui induantur juſtitiam.*

## vi. Id. Octobris. Dies 10. ejuſdem.

### *S. Franciſcus Borgias.*

AVitum Gandiæ principatum etiamnum gubernans, & conjugio, graviſſimiſque regni negotiis implicitus Franciſcus, de conſilio beati Ignatij quot

(a) *Paulin. de Euchar.*

quot diebus Dominicis ac feſtivis ſacrum Epulum frequentavit. Viſo putreſcente Auguſtæ cadavere, mundi vanitatem in eo legit; cui, ubi primùm licuit, valedicens, Societatem JEſu eſt ingreſſus. Sacerdotio initiatus, ne quando Sacrum omittere cogeretur, unâ alteráve leucâ ab itinere frequenter deflexit, vel in diverſorijs, aut tugurijs viliſſimis ſubſtitit, ne ſacratiſſimo hoc Myſterio fruſtraretur. Feriâ VI. Parascevês, & ſabbatho inſequente, ſacris publicè operatus eſt; quòd aliàs nunquam facere ſolebat, ut omnem pompam devitaret. Latentem in Euchariſtiam Servatorem odore ubivis locorum agnovit. Lethargo correptus, tum ſolùm evigilavit, cùm Sacrum diceretur; eóque finito mox iterum obdormivit.

Evigila, ô anima mea, & de lethargo, quo hactenus correpta fuiſti, expergiſcere. Hora ſiquidem eſt, te de ſomno ſurgere; cùm proxima ſit ſalus tua. En coram te adſtat Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: uſquequò, Domine, non cognoſcam te? quamdiu latebis; & non requiram te? præſens es tu; nec inveniam te, cæcis ſimilis, qui manibus hinc inde palpant, neque, quod quærunt, apprehendunt? Quæram te, Domine, non cum cæcis, aut cæcorum ducibus, ſed cum Sponſa amantiſſima; & ſi non invenero te per vicos & plateas, in templis certò inveniam, ubi copiam tui omnibus facis; ubi laudaris, immolaris, ſumeris à nobis: ibi tenebo te, Dilectum meum; neque dimittam, donec benedixeris mihi. Nec jam (a) timeo illud: terra es, & in terram reverſ-

(a) Chryſ. in pſal. 96.

verteris; audio ſiquidem: cœlum es, & in cœlum aſcendes; non jam abjectus in terra jaceo; meum eſt enim, poſthac nubes tranſcendere. Et quia Dominus promiſit coronam vigilantibus, non amplius dormiam: cúmque (a) duritia cordis, obdormitio ſit, hanc expellam, hanc excutiam, ut vigilem cum Dilecto meo, neque is fugiat à me. Tu, Dominè, illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte; nequando dicat inimicus meus: prævalui adversùs eum. Fac me proinde vigilare mediâ nocte, tempore inopinatiſſimo, quo te venturum inſinuâſti, ut cum virginibus prudentibus admitti merear ad nuptias cœleſtes; ſícque

*Non obdormiam in morte.*

## v. Idus Octobris. Dies 11. ejuſdem.

### *S. Bruno Epiſcopus Coloniens.*

METropolitanæ Colonienſis Præſul dignſſimus, S. Bruno, non tulit ſub re Divina ſibi colloquentes. Hinc acerrimè aliquando reprehendit Procerum duos (alter erat ſancti Agnatus) ſpiritu prophetico ita eos affactus: (a) O in quantam inimicitiam & amaritudinem iſta in hoc tremendo tempore malè parta contubernia reſolventur! Vatem fuiſſe, eventus probavit. Hoc Zelo Domûs DEI, qui ſanctos comedit, & plurimos ad martyrij laurem evexit, permotus ſanctus Damaſus ſtatuit, ut ejiciantur extra Eccleſiam, qui tempore Sacrificij devotionem aliorum diſturba-

(Y) rent:

(a) *Aug. in Pſ. 75.* (a) *Sur. hodie.*

rent: & Divus Stephanus, Pannoniæ Rex, decrevit, ut confabulantes in templo, ſi nobiles ſint, expellantur, ſi plebeij, præterea flagris cædantur.

In Eccleſis benedicam te, Domine; hic enim locus orationis, non fabularum eſt; hîc domus DEI, & porta cœli: domus DEI, qui ibi realiter præſens eſt; porta cœli, quia fideles ibi, ad portam magni Patrisfamilias pulſantes, quidquid petunt, impetrant. Ergo oportet in templis cum ſolo DEO agere, & de omnibus alijs tacere: Nihil tam congruum, ait Orator aureus, (*b*) Eccleſijs, quàm ſilentium, quia Eccleſia terreſtre eſt cœlum. Tu itaque, pergit idem, cùm illud aſcenderis, cogita, quis ſit, qui in illo tibi loquitur; perpende, qualia, & quàm magna ibidem peragantur Myſteria; oportet adeſſe & multum ſilentium. Quòdſi reprehenſibilis eſt, qui terreni Principis aulam conturbat; quantò magis, qui Regis regum, & Domini dominantium fideles diſturbat? Cogita Zelum, quo templi honorem tutatus eſt ipſe Dominus, quando confecto è funiculis flagello inde ejecit ementes & vendentes, quæ in ſacrificiis neceſſaria erant. Quid facturus eſſet in Eccleſijs noſtris, ubi non in typo aut figura, ſed reipsâ præſens eſt? Majori itaque reverentiâ colam eccleſias, majori animi collectione adibo, majori in iis attentione ac devotione verſabor: in eccleſijs benedicam te, Domine, divina expendendo Myſteria, ſerióque conſiderando, quantæ Maje-

(*b*) *in* 1. Cor.

ajeſtatis DEUS ibi pauperculos nos in conſpe-
um ſuum admittat, nobis interiùs loquatur, con-
letur nos, ut Pater, ut medicus vulnera obliget,
conſiliarius, quæ optima ſunt, inſpiret. Gra-
s tibi ago, piiſſimæ Salvator, quòd indigniſſimum
: feras, Te in domo tua ſancta adorantem:
nc, cùm miſericordia tua ſit in omnibus operi-
s tuis, opera tua, ac creaturas univerſas, ipſósque
am lapides, de pariete clamantes, invoco &
ito, ut de hoc ineffabili amore tuo mecum de-
as tibi grates referant. Ita

*'n eccleſiis benedicam te, Domine.*

---

## iv. Id. Octobris. Dies 12. ejuſdem.

### *S. Opilio Diaconus.*

Eccleſiæ cathedralis Placentinæ Diaconus fuit
Opilio, eo ipſo tempore præſens, quo cor-
ſancti Antonini ibidem transferebatur; ubi
unam lucidiſſimam de thuribulo ad caput ſuum
ndentem advertit, adeò exinde in DEI amo-
ıccenſus, ut ſtatuerit, eccleſiæ ſeſe in ſervum
ɔetuum dedicare: Porro ſpiritum hunc pro-
ırus, os Domini conſuluit, Sacerdotem, in-
n, rogavit, ut aperto fortuitò pſalterio, do-
t, quid ſibi agendum. Et ecce, primo intui-
ı oculos incurrêre verba illa: hæc requies mea
culum ſæculi; hîc habitabo, quoniam elegi
. Præterea vidit ſtatuas ſanctorum Antonini
ictoris capite annuere. Itaque nihil mora-
DEO ſeſe devovit, eccleſiæ illius Diaconus

poſtea conſecratus; à quâ etiam nunquam deinceps receſſit, DEO aſſiduis obſecrationibus inſerviens, ut Author vitæ ipſius habet.

Do tibi conſilium, inquit Hieronymus, ingredere Baſilicas Martyrum; & flammis inviſibilibus conſumêris, flammis charitatis divinæ, quæ humanum timorem expellunt, & omnem affectum carnalem abſumunt. (a) Habet enim clavum ſuum charitas, quo humana mens, à terrenis abſtracta, figitur in DEO. Hoc amore tuo, hoc caſto timore tuo confige carnes meas, Domine, ut à judicis tuis timeam: confige, & affige manus meas, ne ad illicita ſe extendant; os meum, ne in turpia, aut etiam vana ſolvatur; oculos meos, ne deprædentur animam meam; ſenſus omnes, & cor meum, ne incipiant poſt gregem creaturarum vagari. Habet clavum ſuum charitas; ſed ubi fortiùs figit, ac configit, quàm in dominico Sacramento? hoc colligat manus, os, oculos, ſenſus, & cor noſtrum; hoc totum hominem ad ſe trahit; hoc peccata diluit, & defectus quotidianos expungit. Timuit David, vir ſecundùm cor DEI, quando DEUM precatus eſt: confige timore tuo carnes meas; à judicijs enim tuis timui: ſi (b) à judiciis DEI timuit, cur iterum timorem petiit, dicendo: confige timore tuo carnes meas? Addi ſibi voluit timorem, ut tantum timeret, quantum ſufficeret ad crucifigendos carnales ſuos affectus, & concupiſcentias. Verùm me miſerum! amor meus, pondus meum, ad terrena ſolùm,

(a) *Ambroſ.* (b) *Aug. ſerm. 19. in Pſ. 118.*

lùm, & carnalia me inflectit; inde averſus à EO, ad creaturas me converto. JESU piſſime, rgire mihi ſanctum timorem tuum; defige in me avum charitatis tuæ, ut nulla res me ſeparet à te; in me fortis, ut mors, dilectio tua, méque ab nni concupiſcentia carnali ſejungat.

*Confige timore tuo carnes meas.*

---

## iii. Id. Octobris. Dies 13. ejuſdem.

### *S. Eduardus Rex.*

OBſtupeſce triplex miraculum in Eduardo, Rege, conjuge, virgine: is ægrum mendicum ſuis ipſe humeris ad templum detulit, & ita rſanavit: aqua, manibus ejus affuſa, noctem co abſtulit, & diem reddidit: à ſancto Joanne angeliſta, præcipuo Tutelari ſuo, de morte imminente monitus, communes in toto regno preis indixit. Tanto amore, tantóque deſiderio in EUM Euchariſticum ferebatur, ut eundem aliando inter Miſſarum ſolennia meruerit revelatâ blandâ facie, divinæ lucis radiis circemfusâ, ntueri.

Nolo ego JESUM oculis corporeis aſpicere in tari: videant, qui non credunt, dico cum ncto Ludovico, Galliarum Rege; mihi ſola fides ficit, & ſenſuum defectui ſupplementum præt. His oculis licet eum intueri; neque ſolùm ueri, ſed etiam cum fiducia ad eum accedere, um alloqui, &, quod ſtupendum, ipſum in cor cipere; & quamvis viſus, guſtus, ac tactus falur in Myſterio hoc, attamen ſolo auditu tutò

creditur. Credo proin, quidquid dixit DEI Filius, nil hoc verbo veritatis verius. Sicuti autem, ô mi DEUS, oculo humili te intueor; ita & tu dignare, me intueri oculo pietatis tuæ, oculo benignitatis & misericordiæ; & quemadmodum ex Altari benedixisti dilectum tibi Eduardum, ita & me digneris prævenire in benedictionibus dulcedinis tuæ. Vultum tuum, Domine, requiro: respice ergo in me, & miserere mei, qui Matthæum & Zachæum, Petrum & Magdalenam respexisti, & benignè susceptisti, qui prodigum filium, & publicanum supplicem non rejecisti; illumina super me vultum tuum; respice in me, & miserere mei, qui hactenus, ut pulvis à facie venti, dissipatus, & à te abstractus fui. Ecce autem concito cursu ad Aram tuam, & sacrosanctum Sanguinem tuum confugio; huic totum me immergo, ne astu diaboli à te denuo avellar, qui sum arundo, ventis agitata, peccatorum fluctibus prostrata, & sæpiùs confracta. Tu manu infinitæ pietatis tuæ erige me, & sanctæ cruci tuæ alliga; ut in tua gratia dehinc immotus perstitam. Hunc in finem

*Miserere mei, & exaudi orationem meam.*

---

Pridie Cal. Octobris. Dies 14. ejusdem.

## S. *Sympertus Episcopus.*

QUi per vitæ decursum erga Cibum Eucharisticum devotè afficitur, eundem moriens pro Viatico enixè petit. Petiit hoc Sympertus, Ecclesiæ Augustanæ Præsul, Caroli Magni ex sorore nepos; & quod petiit, impetravit etiam, maximâ exinde

fidu-

fiduciâ migrans ad eum, quem vivens totâ mente dilexerat, & in curandis ovibus concreditis ſolùm, & unicè quæſierat. Ab eodem Imperatore, uti & à Ludovico ſucceſſore, ægrè ſe induci paſſus eſt, ut ad publica Imperii negotia ſe applicaret, ita eos, qui hæc ipſi deferebant, affatus: DEUS, ſcrutator cordium, teſtis mihi eſt, quòd invitus ſæcularibus implicor negotiis; is dignetur me à debito, quo Imperatori obſtrictus ſum, liberum facere, ut liberiùs rebus divinis vacare poſſim.

Utinam omnes Viri eccleſiaſtici, ii maximè, qui dignitatibus eminent, rebus publicis ac ſæcularibus abſtinerent, ut ovile commiſſum attentiùs curare poſſent! quàm id foret Eccleſiis proficuum, quàm decorum, & ad fidelium ædificationem; qui ſeditiones, bella, regnorum revolutiones Eccleſiaſticis, in alienam meſſem mittentibus falcem, plerumque adſcribunt. Certè videmus, jam hunc, jam illum Prælatum conſilijs publicis præſidere, regna ac provincias gubernare, & utinam abſquè præjudicio Eccleſiarum, & ovium creditarum! At meminerint iſti, non reddituros ſe in judicio divino rationem de benè vel malè adminiſtrata Republica, ſed de ritè curato ovili commiſſo; nec quærendum ex ijs, quàm benè Statibus præfuerint, ſed quàm vigilanter Eccleſias ſuas gubernârint. Inde ego à ſimilibus negotijs prorſus alienus attendam ad miniſterium Altaris, mihi injunctum; neque ad alia manus extendam, niſi ſolo intuitu præciſæ charitatis, & abſque ullius offenſione, illicò redeundo ad me ipſum, & ea quæ characterem meum decent.

Ita te, Domine, quem judicem ſuſtinere non potero, Salvatorem me habiturum confido; es enim benignus, & præſtabilis ſuper malitia noſtra. Equidem paulò minùs habitâſſet in inferno anima mea, niſi miſericordia tua judicium ſuperexaltâſſet; jam decidiſſem in puteum interitûs, niſi tu eruiſſes animam meam ex inferno inferiori. Ob hanc immenſam bonitatem tuam, qua eſt abyſſus multa, ſpero, me eripiendum ex abyſſo damnationis, uti hactenus miſericorditer ereptus fui; ſpero, cùm veneris judicare, non me condemnandum. Itaque te quæram, te deſiderabo in lectulo meo, ut, cùm vocaveris me, reſpondere tibi poſſim, & rationem reddere de concredita villicatione; cúmque teipſum tradas nobis in Viaticum, ac pignus futuræ gloriæ, ſecurus in nidulo meo moriar. O DEUS Euchariſtice, ſupremum decedentium Viaticum, vinculis fidei ac ſpei arctiſſimè me tibi adſtringe. O fides divina, quâ duce ad DEUM tutò pergimus, & mediâ ſpe ipſi inhæremus, charitate agglutinamur. Confirma, ò DEUS, in morte, quod in vita operatus es in nobis; tribue fidem, quâ te ſuper omnia æſtimemus; ſpem, quâ confidamus, nos ad te venturos; charitatem, quâ tibi, unico bono noſtro, ac ultimo fini conjungemur;

*Salvator mundi, ſalva nos*

## Idibus Octobris. Dies 15. ejuſdem.

### *S. Thereſia Virgo.*

ETiamnum infantula, ſecum frequenter, repetebat illud grande verbum: in æternum! in

æter-

æternum! Hæc ſancta virgo vidit JESUM, ſerto ſpineo redimitum; vidit eundem, cruci affixum; vidit cœlum ipſum, audivítque: cernis modò, quantis ſe bonis privant peccatores. Votum ſummè arduum emiſit, faciendi ſemper, quod perfectius judicaret. Aliquándo recurrente Dominicâ Palmarum, ad ſacrum Epulum accedens, videbatur ſibi toto corpore, ore ac facie, tepenti Sanguine perfundi, ſentiebátque in ore ineffabilem dulcedinem, antequam ſacram Hoſtiam ſuſcepiſſet; tum audivit ſponſum cœleſtem, ſibi dicentem: filia mea, volo, ut ſanguis meus tibi in ſalutem miſericordia mea tecum eſt, noli timere: Sanguinem meum ſummo ego profudi dolor; at volo, ut tu ſummâ eum dulcedine deguſtes.

O ut ego etiam dignus ſim, cui dicat Chriſtus: volo, ut Sanguis meus tibi ſit in ſalutem; miſericordia mea tecum eſt, noli timere; nolo, ut Sanguis meus, inter tantos dolores pro te effuſus in paſſione, in te pereat: in hoc lavi te à peccatis tuis; in hoc pariter te ſalvabo. O ut dignus ſim, qui talia audiam! quanto perfunderer ſolatio, quantum exultarem! Fiat, Domine, fiat! ne reminiſcaris delicta mea, neque vindictam ſumas de peccatis meis. Tu ſanctæ Thereſiæ locum in tartaro oſtendiſti, ipſi paratum, niſi certos defectus evitâſſet; eam tamen inde gratiâ tuâ liberâſti: Potes & me', ô Domine, eripere à loco, quem peccatis meis merui. Ita miſericordias tuas in æternum cantabo, quibus peccatores ſalvas, juſtósque & ſanctos efficis, qui naturâ erant filij iræ, filij æternæ male-

dictionis. Fiat ergo nobis poſſibile per ſanctam gratiam tuam, quod impoſſibile videtur per naturam: emendemus, illâ adjuvante, in melius, quæ ignoranter peccavimus; nam delicta quis intelligit? Sanguis tuus, inquit Paſchaſius, potatur, quatenus anima, quæ in ſanguine eſt peccati, renovatur. Hoc pretioſiſſimo liquore ita tenaciter me tibi agglutina, ut nullâ re, nullo modo vel tempore redeam ad priora peccata, qui hucusque, ceu folium, vento abreptum, attentâ præſenti juſtitiâ toties in profundum inferni decidi, quoties peccata iteravi. Tu, Domine, oſtende potentiam auxilij tui; alliga me myrrheo ſanctiſſimæ paſſionis tuæ faſciculo, & arbori vitæ Sanguine tuo agglutina, ut ventis peccatorum deinceps non ampliùs ſim ludibrio; nam

*Sanguis tuus ab omni nos emundat peccato.*

---

xvij. Cal. Novembris. Dies 16. Octobris.

*S. Gallus Abbas.*

NE carnem ſuam hoſtem ſentiret Gallus, jejunijs triduanis, cilicijs, catenis eam domuit: ut rerum cœleſtium contemplationi, & orationi liberiùs poſſet vacare, in abſtruſam ſolitudinem ſeſe contulit. Inde, quod duobus Epiſcopis negatum, ipſe perfecit, dum poſt præmiſſam orationem, ſubjunctúmque Miſſæ ſacrificium, filiam Ducis Gunzonis dæmonis obſidione liberavit.

Rubore ſuffundor, dum omnis oratio, utut brevis, longa mihi videtur. Et ô tepidum me, quam

quàm exiguam præparationem Sacro præmitto? dum potiùs ex consuetudine, quàm devotione, potiùs cum nausea super Pane divino, quàm pio desiderio ad Aram accedo. Pudeat nos, Sacerdotes, quòd sæpiùs conqueramur multitudinem functionum statûs nostri sublimissimi; quòd magnum nobis videatur, quotidie sacras Horas recitare, rem divinam indies peragere, frequenter dicere ad populum, excipere pœnitentium confessiones. Quin potiùs, si hæc omnia fecerimus, dicamus, quia servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus. Etiam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. O quantum micis hisce satiari desiderant animæ, in igne lustrico detentæ; quàm protendunt manus supplices, & ad Sacerdotes præcipuè vociferantur: miseremini mei, miseremini mei! Et nos mensam hanc negligamus? ô quàm jure metuimus, ne nobis accidat, quod Vates regius comminatur: famem patientur, ut canes; qui nempe Escam hanc negligunt viventes, mortui de micis ejusdem exsaturari frustra desiderabunt; qui Sanguinem Dominicum non sitiêrunt vivi, mortui, in siti sua, ut onagri, expectabunt. Optabat Epulo vel unicam aquæ guttulam in siti sua, inquiens: Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Verùm repulsam tulit, Abrahamo reponente: fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua; & Lazarus similiter mala. Sit ergo mihi

unicus

unicus dolor, hâc eſcâ privari; ſit unicum gaudium, eâ quotidie refici. De ſe olim teſtatus eſt Pſalmographus: aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Verius id de ſeipſis affirmabunt Sacerdotes, qui Sacrum quotidianum vel omnino omittunt, vel ita tepidè & negligenter dicunt, ut vix cogitent, quid agant: cùm interim Sacerdos quilibet, legitimè non impeditus, celebrare omittens, quantum in ſe eſt, privat ſanctiſſimam Trinitatem laude, Eccleſiam miniſterio, animas purgatorij ſuffragio, & ſeipſum remedio ac medicinâ ſpirituali.

Ego, JESU pijſſime, me tibi offero, dedico & addico in Sacerdotem perpetuum, in obſequium quotidianum: tu, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, & dignos de indignis, effice corpus meum tibi hoſtiam viventem, ſanctam, placentem, rationabile obſequium meum, ut ſæculo huic nequam ampliùs non conformer, ſed in omnibus, & per omnia tibi placeam,

*Summe Sacerdos, & vere Pontifex, JESU Chriſte.*

---

## xvi. Cal. Novembris. Dies 17. Octobris.

### *S. Hedvvigis Vidua.*

HUic ſanctæ Poloniæ Principi Chriſtus è Cruce benè precatus, dixit: exaudita eſt oratio tua; impetrabis ea, quæ petiſti. Rogata, cur Cælites toties jejunijs coleret, reſpondit: ut mihi ſubveniant, & in morte aſſiſtant; ſunt enim

nobis

nobis neceſſarij. Neque fraudata eſt à deſiderio ſuo: nam morienti adfuêre ſanctæ Magdalena, Câtharina, Thecla, Urſula, cum Sanctis alijs; inde omnium ſecura deceſſit. Sub mortem Conjugis pernoctare in ſacris ædibus conſueverat; ibi coram ſacratiſſima Euchariſtia in terram abjecta, audiebat Laudes divinas; tum ſacrificijs, quotquot celebrabantur, adſtitit ſummâ attentione ac humilitate, divinâ præſentiâ indignam ſe reputans; ut proinde (a) fervor devotionis ejus non immeritò intuentes ad devotionem efficaciter permoveret. Sacerdotes, quibus litantibus adſtiterat, ad menſam vocatos, ſummâ excipiebat reverentiâ; quoties fulmina de cœlo caderent, benedictionem ſacri Miniſtri poſtulans, manum ejus deoſculabatur, ita vim fulguris evaſura.

Amor ſanctæ iſtius Principis erga DEUM Euchariſticum, tepori meo oppoſitus, magis eluceſcit, non ſine rubore meo. Benè de me, & mei ſimilibus, dixit per Prophetam DEUS: Labijs me honorant, cor autem eorum longè eſt à me. Inde jure metuo, ne exprobret mihi Chriſtus, quod de ſceleſtiſſimo proditore queſtus eſt apud Pſalmographum: homo pacis meæ, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem: verè ſupplantationem, quia ſub ſpecie amicitiæ Magiſtrum oſculo prodidit. Jam verò quem, niſi Judam, imitantur mali Sacerdotes, dum in Miſſa devotionem ſimulant, Aram oſculantur, genua coram Chriſto flectunt, ejús-

(a) *Sur. in vit.*



Verius id ſibi applicant ſacrilegi Sace
voluntate refractariâ DEO reſiſtunt.
quoties nos voluit congregare, que
Gallina congregat pullos ſuos ſub a
luimus? quoties voluit ab hoc vel illo
revocare, immiſſo conſcientiæ remo
ćto mentis dictamine? quoties voluit
ra revocare per inſpirationes ſanctas
admonitiones? Quid reliquum eſt, n
quat nobis domum noſtram deſertat
tiam ſuam ſubtrahat; & in nos vibre
lud tremendum: quæretis me, & n
tis; & in peccato veſtro moriem
convertamur, (*b*) & quæramus te;
ſicut nos deſeruimus te Creatorem n
tu creaturas tuas deſeris; cùm volun
omnes ſalvos facere; quia in omnibu

*Miſericordia ſuperexaltat judicium.*

Petrus Damiani : (*a*) Si diligenter attendimus & conſideramus, quia Medicus ille eſt, qui præſcribit ; grandis Medicus eſt S. Lucas, quia in ejus Evangelio nil aliud reperimus, niſi duntaxat animarum languentium medicinam. Porro medicus erat eò magis expertus, quòd & ipſe aliquando languens, didicerit compati aliorum infirmitati. Languebat autem, quando (*b*) in itinere Emäuntico de reſurrectione divini Magiſtri dubius, ipſum ſibi medentem ardenti corde auſcultavit, ac tandem in fractione panis agnovit. De primorum fidelium erga venerabile Sacramentum devotione in geſtis Apoſtolorum hæc habet Lucas : erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

Dilecte Domini Diſcipule, qui imagines JEſu & Mariæ tam benè expreſſiſti, hujus quidem coloribus, illius autem vitâ tuâ Apoſtolicâ, utpote mortificationem JESU in corpore tuo jugiter circumferens : inſtitue me etiàm in arte, tùm medica, tum pictoria ; in illa quidem ; quia anima mea infirmatur, & malè ſe habet ; roga proin Medicum cœleſtem, verum Samaritanum, ut deſcendat, & ſanet me, alligétque vulnera animæ meæ ; quia ipſe eſt unica ſalus mea, ſolida ſpes mea, certa ſanitas mea. Ipſe novit, quoniam conturbata eſt in me anima mea, ob diuturnos ſpiritûs languores ; roga ergo illum, ut in viſceribus miſericordiæ ſuæ mihi ſubveniat, ſanet

(*a*) *Serm. de hoc ſancto.* (*b*) Ex communi traditione.

ſanet infirma, diruta reſtauret, alliget confracta: & qui olim plurimos ægrotos ſolo ſacræ veſtis attactu perſanavit, mihi etiam reddat priſtinam valetudinem, qui non veſtes ſolùm, ſed ipſum ejus Corpus ſacratiſſimum contingo; ut (quod monet Fortunatus) qui DEI cibo paſcor, DEO vivam.

Præterea in arte pingendi etiam me inſtrue, ut in me exprimam imaginem Filij DEI, qui me condidit ad imaginem ſuam; & crucis mortificationem jugiter portem in corpore meo. Hanc imaginem in ſe expreſſerunt ſancti Martyres, de quibus Auguſtinus: quò tortor acriùs pungebat, eò pulcriùs pellem carnis eorum pingebat; punctura ſiquidem pictura erat; quòd ſi vulnera propter Chriſtum in corpore meo non porto, ſaltem Vulnera Chriſti portem in corde meo; portem Coronam, Crucem, Clavos, Lanceam; portem plagas omnes, laude digniſſimas, acetum, fel, arundinem, mortem amariſſimam: ita Chriſto confixus Cruci, imaginem ejus in me exprimam, qui eſt

*Via, Veritas & Vita.*

---

xiv. Cal. Novembris. Dies 19. Octobris.

## *S. Petrus de Alcantara.*

TOtus in contemplanda Domini Paſſione erat Petrus Alcantaræus, dum ſacris operaretur. Accedens ad Aram, divum Golgothæum ſibi videbatur conſcendere, totúmque mundum ſacrificio

cio præſentem habere; pro cujus ſalute id Pa-
ri æterno offerebat. Sub canone in uberri-
as ſolvebatur lacrymas, tantóque in præſentia
)omini amoris affectu æſtuabat, ut facie ſplen-
enti extra ſe raptus, per tempus aliquod in
ëre hæreret. Sacro abſoluto ad cellam feſti-
abat, ut habenas laxaret ſpiritui in amore ho-
oréque tanto hoſpiti habendo, nihil moratus
rvas ſtygias, quæ ingentes tumultus tum in
ella, tum circa eam frequenter ciebant. Dum
liquando Miſſam celebraret, aſſiſtente Seraphicâ
'irgine Thereſiâ, ſanctos Franciſcum & Anto-
ium Miniſtros habuit, qui ſacram Hoſtiam, quam
)ſe ſanctæ Thereſiæ porrigebat, in genua pro-
'oluti maximâ ſubmiſſione adoraverunt.

O Pater miſericordiarum, & DEUS totius
onſolationis, quid tibi retribuam pro tanto be-
eficio, quo mihi Unigenitum tuum non ſolùm
n Redemptionem, ſed etiam refectionem ani-
næ meæ conceſſiſti, ac in illo omnia nobis
lonâſti? ô amor immenſus, ô grande donum!
) quàm verè dixit Franciſcus Seraphicus, non
idere ſe, quid ultrà appeterent Sacerdotes,
anto digni effecti miniſterio; interim vix eſt,
ui hæc recogitet corde; aliàs certè non tam
:itò recederent à fonte hoc aquarum viventium,
ut ciſternas diſſipatas, quæ nec guttulam veri
gaudij continere poſſunt, ſibi quærerent fode-
:éntque. De fonte iſto Salvator ipſe dicit: qui
)iberit ex aqua, quam ego daturus ſum, non ſi-
iet in æternum. Stulti proinde ſunt, qui bono

hoc vero ac ſolido derelicto, inhiant vanis honoribus, delicijs, opibus perituris; qui voluptatibus terrenis indulgent, & vitijs diffluunt. Anima porro mea aſcendat de deſerto hujus ſæculi; intret in gaudium Domini ſui, ut videat decorem & gloriam DEI: JESU ſit unica mea ſufficientia, omne deſiderium meum. Non ſic deſiderat cervus ad fontes aquarum, uti anima mea ad te, DEUS: tu pone te, ut ſignaculum, ſuper cor meum, ut te amem ſuper omnia; pone te, ut ſignaculum ſuper brachium meum, ut omnia agam propter te; & ita jugiter cogitem de te, donec veniam, & appaream ante faciem tuam; facies enim tua decora, in quam deſiderant angeli proſpicere.

*JESUS unicum bonum meum.*

---

## xiij. Cal. Novembris. Dies 20. Octobris

### *Venerabilis Urſula Benincaſa.*

APpoſitè dixit Auguſtinus: (*a*) vita corporis anima eſt, vita verò animæ DEUS. Patuit id in Venerabili Matre Urſula Benincaſa, cujus Spiritum juſſu ſummi Pontificis probaverat ſanctus Philippus Nerius; (*b*) qui ſacrâ ei communione omnino interdixit; ut proin menſibus compluribus ſolâ communione ſpirituali contenta eſſe debuerit. At ſubitò vehementi adeò deliquio laborare cæpit, ut cenſerent medici, eam à morte proxi-

---

(*a*) *Serm. 28. de verb. Apoſt.* (*b*) *Hiſt. Cler. Reg. l. 9. p. 405.*

oximè abeſſe ; monuerítque ſororum una, cundum, ut ſacrum Viaticum pro tali articulo adrretur. Nempe vita animæ DEUS eſt: vix cule ægrotantis ſubierat Sacerdos, Epulum divium deferens ; cùm Urſula, ad ſe rediens, cæt reſpirare, vultu rubeſcere, & denuo vivere, tegræ dein ſanitati reſtituta, poſtquam Cibo thoc ſanctiſſimo refecta fuiſſet. De licentia rchiepiſcopi Neopolitani curaverat, ut in priato Cænobij oratorio Venerabile Sacramentum xponeretur feriâ VI paraſceevês, in memoiam dominicæ ſepulturæ : quo tempore ipſa, ibi ac ſomni oblita, etiam cæteris recedentibus, on recedebat, Magdalenam imitata : & cùm ivinißimum Myſterium pro more Eccleſiæ aliò ein reportaretur, nullum admittebat ſolatium, c cum eadem Magdalena querebatur : tulerunt )ominum meum.

(a) Quid tam cordium vita, quàm JEſus? de quo ixit, qui eo vivebat: cùm Chriſtus apparuerit, vita eſtra. Fac, ô JEſu, vita animæ meæ, fac, ut ſanatus uo ſacratiſſimo Corpore, vivam, jam non ego, erùm tu vivas in me, qui mortuus es pro ne. Bonum mihi ſit cum Petro, tecum eſſe, ecum, & de te vivere. Bonum mihi, adærere tibi, DEO meo, & omnem ſpem meam in te reponere. Auge mihi fidem, ſpem obora, accende amorem ; &, qui factus es nihi Salvator, ſalva me. Tu factus es mihi ibus ; guſtem itaque, quàm ſuavis ſis, Do-



(a) *Bern. ſerm. 75. in Cant.*

mine, panis Angelorum, panis, omne delectamentum in ſe habens. Ecce nunc hora ſalutis, ut fruar optatiſſimâ præſentiâ tuâ; ecce nunc tempus acceptabile, ut amplectar te, neque ampliùs dimittam. Accelera adventum tuum in me; ſonet vox tua in auribus meis, quia eloquia tua dulciora ſuper mel & favum. Vulnera cor meum in uno oculorum tuorum, qui Petrum reſpiciens, illicò ad lacrymas commoviſti; ut jugiter langueam amore tui, jugiter tecum eſſe deſiderem; quia

*Vita noſtra abſcondita eſt in DEO.*

---

xii. Cal. Novembris. Dies 21. Octobris.

*S. Urſula Virgo & Martyr.*

VErè DEUS in orbe terrarum ludit. Ambroſium ablegat Mediolanum, ut nomine Cæſaris electionem Epiſcopi promoveat, interim ipſe Ambroſius non ſine prodigio eligitur. Philemonem in theatrum producit, Chriſtianorum ritus gentilium riſui exponat: at ipſe ex mimo Chriſtianus fit, & Martyr. Saulum, cædes fidelium ſpirantem, in vas electionis transformat. Urſulam, iter ad Sponſum terrenum cum undecies mille virginibus cogitantem, vento adverſo Coloniam propellit, ſibíque cum comitibus æternùm deſpondet; dum pro fide & pudore tuendo ab Hunnis omnes cæduntur, præcipuæ deinceps agonizantium patronæ. Aderit aliquando veſper vitæ tuæ, ídque priùs, quàm

quàm credideris. Et quid tunc ages ? Miſerum me, qui toties perduellis extiti DEO meo ! iniquitates meæ ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me : quò fugiam ? Scio, quid faciam : patrocinium divæ Urſulæ & ſociarum Virginum prenſabo, ut præſidio tam valido vallatus, hoſtium tartarcorum impetum repellerc poſſim.

Hoc ut pro ſupremo illo articulo impetrem, in honorem glorioſi hujus exercitûs, & præcipuè Anteſignanæ Urſulæ, ſacrum dicam hodie, de illius conſecutione nihil diffidens. Felices illi . qui ſacræ huic Congrgationi adſcripti, undecies ad Aram litant eo fine, ut ( quod divinitùs promiſſum creditur ) ſanctum hoc præſidium in ſuprema lucta præſens habeant. Ita munitus, & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine, tamquam bellator fortis, qui parâſti menſam adversùs eos, qui nos tum præcipuè tribulabunt. Sacrificio iſto muniti, migrabimus ad alteram vitam magnâ ſpe, & fiduciâ : ſic animatus divus Martinus, dæmonem generosè compellavit, dicens : quid aſtas, cruenta beſtia? nihil in me funeſti reperies. Hanc autem fiduciam ut aſſequar, venerabilem DEI famulam, Angelam da Pace, imitabor : (a) quæ, etiamnum parvula, cùm fortè Sacerdoti, Venerabile Sacramentum deferenti, in platea occurriſſet, in terrem proſtrata DEUM ſuum adoravit, vidítque è ſacra Hierotheca infantulum ſpecioſiſſimum prodire,



(a) *Chron. Dominic.*

dire, & in amplexum ſuum ruere; cui petenti, quod ſignum mutui amoris viciſſim redderet, reſpondit: cor meum in pignus amoris tibi dono.

Cor igitur meum, optime Servator, tibi dono; & ſi tuum eſt, & in manibus tuis; quis illud inde avellet? Anima mea in manibus meis ſemper; ſed jam non in manibus meis, ſed tuis. Stemus ergo ſimul; & quis adverſarius prævalebit? Nihil evincet cruenta illa beſtia, nec in me funeſti quidquam reperiet; etenim

*Tu eripies animam meam à morte.*

---

## xi. Calendas Novembris. Dies 22. Octobris.

### *S. Joannes Bonus.*

PRæceperat olim DEUS populo ſuo: non apparebis in conſpectu meo vacuus. Id multò magis nos tangit in nova gratiæ lege, quando non jam carnes taurorum, vel hircorum ſanguinem, ſed Carnem immaculatam Filij DEI, & pretioſiſſimum ejus Sanguinem immolamus. Verùm miſer ego conſpectum DEI quotidie ſubeo, quin boni aliquid feram. Diſcam, aliter deinceps agere, à beato Joanne; qui ſæculo aliquamdiu cedens, ubi primùm matris precibus, & morbo divinitus immiſſo ſapuit, omnia arbitratus eſt, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret. Tentationes carnis ut vinceret, acutiſſimos calamos ſub ungues digitorum infixit, corpusque ferreâ catenâ ſeverè caſtigavit, & ita haud ingratum DEO obtulit holocauſtum.

Nos

Nos carnem Agni cum lactucis agreſtibus comedimus, inquit Rupertus, dum videlicet Corpus Redemptoris noſtri accipientes, nosmetipſos pro peccatis noſtris affligimus. Sunt autem afflictationes aliæ externæ in corpore, aliæ internæ in animo. Illæ multùm conferunt ad perfectionem obtinendam, & reddunt hominem Salvatori patienti mirè gratum; hæ verò ſunt ipſamet ſanctitas & perfectio; videlicet dilectio inimicorum, propriæ voluntatis abnegatio, amor appretiativus DEI ſuper omnia; patientia in carnis tentationibus, ſubjectio ſui ipſius, amore DEI omnibus facta. (a) Igitur in noſtro corde eſt, quò redire jubemur, ait Hieronymus, monente prophetâ: redite prævaricatores ad cor. In reliquis operibus bonis interdum poteſt aliquis excuſationem quandam prætendere; poteſt enim dicere: non poſſum jejunare, non poſſum omnia pauperibus erogare: numquid autem poteſt dicere: non poſſum inimicum diligere ob amorem DEI? non poſſum voluntatem meam rationi & obedientiæ ſubmittere? Hæ mortificationes internæ, quibus homo ſeipſum vincit, longè præſtant jejunijs, flagellis, cilicijs; melior eſt enim patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, urbium expugnatore. Ipſe Chriſtus id inſinuavit beatæ Gertrudi, inquiens: (b) qui ſenſus ſuos continet à delectabilibus, flagella, quæ ſuſtinui, mihi rependit. Ut autem & externis afflictationibus vacuus non appaream, tibi, piiſſime Sal-



(a) lib. 1. Comm. in c. 5. Matth. (b) l. 4. Inſinu. c. 26.

vator, in aliqualem ſatisfactionem offero omnem tribulationem. quam hucusque ſuſtinui, omnem indigentiam, quam paſſus ſum, omnes angores, quos pertuli, infirmitates omnes, quas ſubij, omnes hoſtium infectationes, omnes animi & corporis dolores, quos interiùs & exteriùs tolerari. Tu omnia hæc doloribus tuis conjunge, ut meritum inde trahant, ac tibi placeant; adeóque in utroque homine mortificatus, iis accenſeri merear, qui cum prophetâ verè dicere poſſunt:

*Propter te mortificamur totâ die.*

## x. Cal. Novembris. Dies 23. Octobris.

### *S. Joannes Capiſtranus.*

AD ſacrum quotidianum accedens Joannes Capiſtranus, adeò mentem colligebat, ut quamvis ſummi ponderis negotiis occupatus, & miſſionibus, ad partes remotiſſimas pro ſanctâ Eccleſiâ obeundis, diſtentus, imò in ipſis belli tumultibus conſtitutus, è ſolitudine tamen religioſâ prodire videretur, & miſſis omnibus, ſoli tremendo ſacrificio intendere. Hoc videlicet eſt, agere, quod agendum.

(a) Superno igne accenſus animus non tepeſcat, ſed ſtudeat, ſemper ardere; inde poſcat igniri, unde cæpit inflammari. Non premunt negotia momenti alicujus; ludicra mentem occupant, & aliò diſtrahunt, quando ſoli DEO attendendum eſſet. O cæcas hominum mentes, quibus vel fides

(a) *Proſper Epiſt. 48. inter opuſc. S. Ambroſ.*

fides deficit, vel devotio: quid enim si Dominum in Majestate sua præsentem cerneremus, nónne timor & tremor meritò veniret super nos? nónne faciem divinam reveriti, accedere dubitaremus? (a) Jam verò taliter ille in Sacramento se voluit exhibere, ut sepositò servili timore, ardentiùs sumeretur. Itaque deinceps animo præsentiore agam, quod ago, attentiùs tractando, ac sumendo Corpus Domini mei: non me retinebit, movebítve ullus hominum respectus, quem pluris subinde facio, quàm Deum ipsum. Martio eremicolæ, qui, ne longiùs corpore ac mente evagarètur, catenâ ferreâ spatium excurrendi sibi definierat, dixit magnus Pairiarcha Benedictus: si servus DEI es, non te teneat catena ferri, sed catena Christi: hæc catena amoris Domini mei, cujus caracterem & ministerium assumpsi, deinceps me constringet, non respectus hominum; affectus cordis erga eum me reddet fervidum & attentum, ut nil ab eo me avocet, nihil aliò mentem avertat. Certè quidquid ipse non est, vanitas est, & nihilum; ipse unus mihi sit omnia; ejus amore relinquam omnia; ejus honori peragam omnia, etiam indifferentia ex se: tu, Deus, confirma hoc, quod operaris in me; &, qui das velle, da etiam perficere. Tunc beatus ero, si desideria hæc, vota, & affectum ad effectum perduxero. Tunc cor meum dignum evadet DEI habitaculum, erítque regnum DEI intra me; tunc vera cum devotione Deum meum suscipiam, qui est *Dulcis hospes animæ.* ix.

(a) *Laur Justin. de cast. connub. c.* 24.

ix. Cal. Novembris. Die 24. Octobris.

## *S. Raphaël Archangelus.*

REpetam hodie, quod dixi heſternâ: ſanctúmque cœli Principem Raphaëlem adſtantem mihi in Altari contemplabor, ac ingerentem id, quod ſancto Maglorio in aurem dixit Angelus cuſtos: (*a*) age, quod agis; operare, quod operaris; nec dubita, nomen tuum ſcriptum eſt in libro militiæ cœleſtis.

O ſi poſtrema iſthæc verba meis etiam auribus inſonarent! equidem ſperare id potero, ſi debitè perago, quod indies mihi agendum; ſi debitâ attentionè, reverentiâ & devotione rem divinam perficio, offerendo Sacrificium, quod olim pro ſalute totius mundi immolatum in monte Calvariæ, etiamnum quotidie in peccatorum noſtrorum reconciliationem Patri æterno exhibetur. Quòdſi Chriſtus mihi objiciat: (*b*) quotiescunque ante me ſteriſti, tantùm vana & ſuperflua cogitâſti, & vix mihi fixam & ſtabilem orationem fudiſti, reſpondebo humiliter cum Auguſtino: (*c*) ex ægritudine defluo; tu cura, & ego ſtabo; tu me confirma, & ero firmus; donec autem id facis, toleras me, quia ſuavis es & dicis: ſiquis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum. Ecce, Domine, paratum cor meum; tu exurge, & intra

(*a*) *Sur. in vita hodie.* (*b*) *Aug. in pſ.* 85. (*c*) *Idem.*

ra in animam meam. (a) Trahe me ad te, ô Conservator omnipotens essentiæ meæ, & mihi clementer illabere, decorámque similitudinem tuam, quam in me corrupi, ad pristinam reduc puritatem, & integritatem. De negligentiis autem admissis, & tot peccatis commissis, veniam suppliciter peto, iberrimis, & utinam, sanguineis cum lacrymis rogi-ans, ut parcas servo tuo, & remittas quamcunque in tuo famulatu admissam culpam, per viscera misericordiæ tuæ, in quibus toties me dignaris invisere, & per adventum tuum ad me in sacratissima Eucharistia: parce ergo mihi, & noli vindictam sumere de peccatis meis, nec

*Memineris delicta juventutis meæ*

---

viij. Cal. Novembris. Dies 25. Octobris.

*S. Bonifacius Papa, h. n. l.*

DEcrevit sanctus hic Pontifex, ne mulieres sacra linteamina contingerent, in quibus Corpus Dominicum tempore sacrificij requiescit.

(b) His longè puriores oportet esse animas, his sanctiores, ac splendidiores. Etenim ista tantùm externè tangunt Corpus Dominicum; anima verò humana illud in se suscipit. Verùm quàm immundus sum ego! venit siquidem avaritia, & vindicat sibi in me sedem; jactantia cupit dominari mihi; superbia sceptrum in me prætendit; invidia & iracundia de me certant. Castissimi conjuges Chrysanthus & Daria carnem vicerunt

(a) *Idem.* (b) *Chrys. Hom. 3. in Ep. ad Ephes.*

cerunt & ſanguinem, dæmonem & tyrannum ſuperârunt; vix pauculis ex Evangelio verbis auditis, ille Chriſto tam firmiter adhæſit, ut nec blanditiæ patris, nec fœminarum inſidiæ, nec minæ ac furor tyranni in ipſum quidquam potuerint: hæc verò fidei ſimul, ac virginei pudoris tenaciſſima, in proſtibulo à leone mirabiliter defenſa, tandem, unà cùm marito virgine, terrâ ac lapidibus obruta, & vivens etiamnum tumulata fuit.

Vos, ſancti Conjuges, caſtimoniam me docete; impetrate humilem patientiam; ut his ornatus virtutibus ad Aram accedam, neque laqueum inde cum reprobis referam, ad æternam damnationem. Superbia rete eſt diaboli, quo ipſe primò conſtrictus, & cœlo detractus, parentes dein noſtros involvit in paradiſo, perſuadens falſò, ſimiles Dijs futuros, ſi mandatum DEI prævaricarentur. Hâc eâdem maſſâ eò redegit Nabuchodonoſorem, ut comparatus ſit jumentis inſipientibus, & ſimilis factus. Hâc Amanum in furcam egit, Mardochæo paratam: Diabolo, inquit Auguſtinus, nullum aliud eſt deſiderium, nullum negotium, nullum ſtudium, nisi animas perdere, maximè per ſuperbiam: vidi impium ſuperèxaltatum & elevatum ſicut Cedros Libani; ſed tranſivi, & ecce non erat; & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus. Præterea leo iſte tartareus aſſiduò circuit, quærens, quem devoret, mediante concupiſcentiâ: quidquid enim in mundo eſt, vel concupiſcentia carnis

s eſt, vel concupiſcentia oculorum. Hunc Anelum percuſſorem ut evaderent Hebræi, poem utrumque ædium ſuarum unxerunt Sangui: Agni immolati: Nos cruore Agni immaculati ıgere debemus utramque facultatem, concuſcibilem & iraſcibilem, ut abſtineamus illicitis, lverſa autem fortiter ſuſtineamus. Tu, JESU, :lla ſplendida & matutina, quantociùs mihi exore, in medio nebulæ imperfectionum quotianarum palpanti; elimina radijs divinæ tuæ æſentiæ ac gratiæ, peccatorum tenebras, qui tus es in tenebris, lux vera, illuminans omm hominem venientem in hunc mundum. ſere cordi meo tam intenſum tui deſiderium, omni horâ, imò quovis momento tui dulcir meminerim, ſimque vir deſideriorum; ut ıtum tibi poſthac placeam in bono, quantum malo hucusque diſplicui. Ita

*A peccatis meis mundabor.*

---

vij. Cal. Novembris. Dies 26. Octobris.

## *S. Evariſtus Papa & Martyr.*

Tatuit Evariſtus, ut peractâ templi conſecra-
tione mox ſacrum in eo celebraretur, ratiom addens: quia meliùs DEO nequit dicari, àm ſacratiſſimi Chriſti Corporis oblatione. Si per ſanctum Miſſæ ſacrificium templum maiale DEO optimè ſacratur, quantò magis amna, quæ, juxta mentem Apoſtoli, templum II eſt. Et quid eſt Altare, inquit doctiſſimus

Jdiota, niſi cor noſtrum, in quo DEO per intentionem offerimus, quidquid boni facimus? Certè quidquid in templis manufactis conſpicimus, totum in nobis ſpiritali ædificatione completur: ungitur templum chriſmate; ungitur anima chariſmatibus Spiritûs ſancti: aſpergitur templum aquâ luſtrali; anima non tantùm aquâ lateris Chriſti, ſed pretioſo ejus Sanguine abluitur; nam ipſe lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo: Cruce ſignantur templa; cruce parietes ſæpiſſimè ſub Miſſa inſignitur anima, & contra dæmonem munitur: Templum cælo æquiparatur, non enim aliud eſt, niſi domus DEI, & porta cæli; Sacerdos etiam, quotidie ad Aram faciens, domus DEI efficitur, & Chriſtum in corpore ſuo circumfert. (a) Si ergo mentem noſtram domum DEI facimus, peragere in ea debemus Myſteria Dominica. Id fecit ſanctus Lucianus; qui carcere teterrimo detentus, ad ſuos dixit: templum DEI vos mihi eſtis, me ambientes; menſa erit hoc pectus meum, non ex inanimata, ſed animata materia exciſa, & DEO conſecrata. Fumus, aſcendens in conſpectu Dei, & ſanctorum Angelorum, eſt frequens & devota oratio: Muſica, vel maximè DEO grata, ſunt gemitus ac ſuſpiria, juxta illud: ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus: Æs campanum tolerantiam adverſorum, & invictam denotat patientiam, quæ ſola opus perfectum habet, cœlos penetrat & aperit;

(a) *Nilus Abb.*

erit; prout Stephano Protho-Martyri aperuit, ESUM à dextris DEI ſtantem cernenti: Sed immopere cavendum, ne anima, DEI templum effecta, rurſus polluatur: nam

*Siquis templum DEI violaverit, diſperdet illum* DEUS.

vi. Cal. Novembris. Dies 27. Octobris.

*B. Tetta Abbatiſſa.*

HEſternâ animam meam TemplumDEI effeci; hâc die oportet illud ſedulò cuſtodire per diligentes excubias, ſenſibus appoſitas, ne dæmon arreptis clavibus oſtium carni ac mundo pandat; prout in quodam Angliæ Monaſterio (cui beata Tetta præerat: (a)) Claves Eccleſiæ ſubduxit, ne ſacræ Sorores laudes DEO concinere ibidem poſſent. Verùm agnoſcens fraudem ſancta Antiſtita, juſſit eas quærere ante templi fores; ubi etiam in ore jacentis in terra vulpeculæ mortuæ fuerunt inventæ.

Clavis verò, quâ mentem meam, ceu templum Domini, obſerabo, erit conſtans & perfecta voluntas, in bono perſeverandi: hanc DEO conſignabo, munus utique gratiſſimum: ita enim ipſe teſtatus eſt beatæ Gertrudi, dicens: qui mihi placere deſiderat, debet mihi clavem voluntatis ſuæ conſignare; & cùm hanc obtuliſſet Gertrudis, repoſuit Sponſus divinus: hoc munere tuæ voluntatis utar pro Sceptro divinæ meæ magnificentiæ,

(a) *Sur. hodie.*

centiæ, & de eo in conſpectu ſanctiſſimæ Trinitatis in perpetuum gloriabor. Hanc clavem, velut initi fœderis teſſeram, hodie, cùm ad Populum cœleſte accedero, DEO meo offeram, pleniſſimèque in ejus manus, ac beneplacitum divinum conſignabo. Ita eam ſpiritus malignus de manibus tuis non rapiet, JESU optime: & ſi ego ipſe revocare eam aliquando voluero; tu rebellem meam ad te propitius compelle voluntatem. Optimè novi, quòd hoſtis ſtygius maximè inſidietur perſeverantiæ: quæ ſola inter virtutes coronatur; quot enim ſunt, qui bene inceperunt, ſed turpiter finierunt? bene utique cœperat Iſcariothes, ita, ut etiam miracula patraret; ſed peſſimè finijt, manu ſuâ ſuſpenſus: benè cœperat Salomon; ſed malè finijt, nimio mulierum amore ad idolatriam devolutus. Ex adverſo malè inceperunt Saulus, & Magdalena, at benè finierunt, in bono ad finem usque perſeverantes. Nempe non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis. Tu, ô DEUS, qui es Alpha & Omega, Principium & Finis, à quo bona cuncta procedunt, tu gratiâ tuâ ſanctâ me præveni, ac comitare; tu conſumma in me opus miniſterij commiſſi, & actiones meas omnes inſpirando præveni, ac proſequere adjuvando, ut cuncta mea oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur; quia

*Sola perſeverantia coronatur.*

## v. Cal. Novembris. Dies 28. Octobris.

### *SS. Simon & Judas, Apoſtoli.*

MEſopotamios & Perſas ſancti hi Apoſtoli in fide Chriſti inſtituerunt; quorum prior ſerrâ in partes diſſectus, integrum ſe, & conſtantem probavit Chriſti Diſcipulum: alter, cùm imaginem Salvatoris, velo lineo ab eodem prodigioſè impreſſam, ad Abagarum Regem detuliſſet, hominis utriusque ſoſpitatem ipſi attulit; & Rex ipſe dein aureis litteris inſcripſit ſacræ illi imagini verba hæc: ſpes non confundit, quàm quis in te, Chriſte JESU, reponit.

Cùm ſancta Mechtildis ex Sponſo divino quæreret, quænam eſſet optima ratio, ad ſacram Communionem dignè ſe parandi? hoc tulit reſponſum: fac id, quod Apoſtoli mei fecerunt, quando eos miſi, ut pararent paſcha; in ſenſu myſtico volens inſinuare, menſam, quam parabant Diſcipuli, denotare amorem DEI, qui dat omnibus affluenter, & eſcam apponit timentibus ſe; mappam deſuper extenſam ſignificare immenſam DEI clementiam, bonitatem ac charitatem, quæ operit multitudinem noſtrorum defectuum ac nævorum; Agnum Paſchalem eſſe ipſum Dominum noſtrum, qui indies etiamnum immolatur, & dives eſt in omnes, qui accedunt ad ipſum. Hæc expendenda, hæc ruminanda illi, qui ad Epulum hoc cœleſte dignè ſe parare cupit. Certè præparatione hâc Apoſtoli dignos

ſe reddiderunt; quales enim antea fuerint, ſcimus; & quales poſtea effecti ſint, conſpicimus. Petrus, amore fervidus, non abnuebat, cum Magiſtro divino in carcerem, & in mortem ire; Joannes fluenta Evangelij è Chriſti pectore tunc maximè hauſit, dum ex adverſo in Judam ſathanas intravit. Nempe mors malis, vita bonis.

Sancti Apoſtoli, Miniſtri Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum DEI, qui per ſacratiſſimam Euchariſtiam vosipſos, & novellum Chriſti gregem refeciſtis, ac in fide roborâſtis; ſciebatis enim, Dominum dixiſſe: qui manducat me, vivet propter me: orate pro me, ut particeps effectus Myſteriorum DEI, jam non ſapiam, quæ ſuper terram, ſed quæ ſurſum ſunt, & ſecundùm DEUM: Túque, anima mea, agnoſce dignitatem tuam, & divinæ conſors facta naturæ, jam noli ad veterem vilitatem degeneri conſervatione redire. Scriptum enim eſt:

*Sancti eritis. quoniam ego ſanctus ſum.*

---

iv. Cal. Novembris. Dies 29. Octobris.

## *B. Idda Virgo.*

INter favores alios, quos ſub ſacro Miſſæ ſacrificio aliâs recepit beata Idda, (a) ex Ordine divi Benedicti, aliquando, dum ſacroſanctæ conſecrationis verba Myſta proferret, vidit Chriſtum, de cœlis ad Aram magno ſpendore ſeſe demittentem, & ſibi ſuaviter arridentem.

Quis

(a) *Menol. Benedictin.*

(a) Quis fidelium habere dubium poteſt, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri? in illo Chriſti JESU Myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi, unum quid ex viſibilibus & inviſibilibus fieri? mira dignatio, & incomprehenſibile myſterium! Quòdſi verbum DEI omni gladio ancipiti penetrabilius eſt; quidni longè efficaciùs penetrabit ipſe Filius DEI? Sed hoc nemo ſcit, niſi qui accipit; & legitimè accipit. Multi pro conſuetudine accipiunt, neque meliores inde fiunt; quia videlicet minùs dignè accedentes, ſolùm rem accipiunt, non virtutem Sacramenti. Accedunt ad DEI Filium, ſed mox iterum recedunt; cùm interim ipſe, teſte Auguſtino, neminem deſerat, niſi priùs ab illo deſeratur. Bene utique nobis ingerit illud propheticum: (b) quid mecum judicio contenditis? omnes dereliquiſtis me. Nonne deliciæ meæ, eſſe cùm filijs hominum? an etiam veſtræ deliciæ, eſſe mecum? nempe feſtinatis unusquisque in domum ſuam. Ideo me vobis in cibum tradidi, ut avidè me comederetis: vos verò rejeciſtis me dicentes: nauſeat anima noſtra ſuper cibo hoc leviſſimo; interim ollis Ægypti inhiatis. O quantum nos amat Chriſtus in Euchariſtia! ipſum audite, ad ſanctam Gertrudem ita loquentem: quando me tibi communico in Sacramento Altaris, blandior tibi per amplexus & oſcula. In lege antiquâ præceptum erat: ignis in altari meo ſemper ardebit: de altaribus



(a) Greg. l. 4. Dial. c. 9. (b) Jerem.

noſtris id longè veriùs dicitur, in quibus Chriſtus aſſervatur, immolatur, ſumitur. Hic ardet ipſe amoris magnitudine, invitat, clamat: venite, comedite Panem meum; ſiquis ſitit, veniat ad me, & bibat, & fluent de ventre ejus flumina aquæ vivæ; venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

Gratiæ tibi ſint, infinitæ Majeſtatis Domine, quòd me indigniſſimum ita viſitare, ac pretioſo Corpore & Sanguine tuo reficere digneris. Situ, Domine, cupis eſſe mecum, ut quid abnuam ego, eſſe tecum? Si tu non deſpicis vilitatem & indignitatem meam, quidni viciſſim mihi arrideat dignitas & Majeſtas tua? ſi deliciæ tuæ ſunt, eſſe cum filijs hominum, maledictus profectò, cujus deliciæ non ſunt, eſſe tecum. Si tu eligis vilem creaturam, nos partem optimam eligimus, quæ à nobis invitis non auferetur in æternum; quia mens, tanti Sponſi lætificata præſentiâ, indiſſolubili amoris vinculo Redemptori interiùs & medullitùs copulatur. Hoc ut fiat, Domine,

*Pone me juxta te; & cujusvis manus pugnet contra me.*

---

## iij. Cal. Novembris. Dies 30. Octobris.

### *S. Germanus Epiſcopus Capuanus.*

CUm Germanus, Capuæ Epiſcopus, de conſilio medicorum, thermis Angulanis uteretur, conſpexit ibidem animam Paſchaſii, S. R. E. Diaconi, qui non ita pridem defunctus, eâ ſanctitate

tate vixerat, ut, quum energumenus quidam demortui tumbam tetigiſſet, à ſpiritu nefario mox fuerit liberatus. Quæſivit ſanctus Præſul, quid ibi negotii vir tantus haberet? cui reſpondit Paſchaſius, juſto DEI judicio ad eum ſe locum relegatum, quòd nimis pertinaciter partes Laurentij, in ſchiſmate electi, contra Symachum Papam legitimum tenuiſſet; rogavítque Germanum, ut ſui ad Aram meminiſſet: quo facto dicta anima ibidem ampliùs viſa non eſt haud dubiè ad gloriam cœleſtem translata.

Ut pœnas inferni evadam, ſincerâ de peccatis meis pœnitudine, & continuâ piorum operum exercitatione DEUM mihi propitiabo: ut ab igne purgatorio ſim immunis, placationis hoſtias offeram ei, qui, uti nihil mali impunitum relinquit, ita, quidquid boni fit, abundè muneratur. Partium ſtudia pertinaciter non ſectabor; neque attendam, quid manticæ à tergo ſit, propriis peccatis ac defectibus intentus. Orabat David pro peccatis, quorum conſcius erat, dicens: miſerere mei, Deus; quoniam iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper: orabat & pro iis, quæ mente exciderant, inquiens: ab occultis meis munda me; & cùm expiare illa confeſſione propriâ non poſſet, ad Deum confugit pro eorum emundatione. Porro de peccatis alienis ita deprecabatur: & ab alienis parce ſervo tuo: Nempe (ut ego quidem exiſtimo) quia ſæpè noſtra nos fallit opinio; cui dum pertinaciter inhæremus, aliis occaſionem offenſionis, ſcan-

dali, iræ aut impatientiæ præbemus; prout ipſi Davidi objecit Nathan: blasphemare feciſti inimicos Domini. Ut proinde aliena devitem, partium ſtudia pertinaciter non ſectabor. Equidem mundus totus laqueis prætexitur, ubique ſtricti ſunt gladij, inter inſidias & pugnas vita hæc tranſigitur, & per ignes, doloſo cinere contectos ambulamus. Meritò ergo, inquit ſanctus Paulinus, Sacrificio indigemus, per quod à tantis periculis liberemur, & contra quemcunque laqueum præſervemur.

Tu verò, JESU piiſſime, miſerere animarum in flammis purgantibus detentarum, quibus redimendis hominem induiſti, ac mortem diriſſimam ſubiiſti. Exaudi gemitus, aſpice lacrymas earum, & per Sanguinem teſtamenti tui educ eas de lacu, in quo non eſt aqua. Hic ipſe ſanguis tuus deſcendat in carcerem illum, recreetque ac refrigeret omnes ibidem detentas; porrige eis dexteram, & duc eas in locum refrigerij, lucis & pacis, qui

*Illuminas ſedentes in tenebris.*

---

Pridie Caſ. Novembris. Dies 31. Octobris.

## *S. Wolffgangus Epiſcopus Ratisbon.*

NIl mirum, ſie mater divi Wolffgangi, partui proxima, ſtellam ſibi videbatur eniti; cùm ſanctus iſte ſtella fuerit ſplendida & matutina; nec aliud extiterit ejus vita, niſi jejunium, oratio continua, lectio ſacra, futurorum prænotio, gloriæ divi-

divinæ Zelus, ſolitudo, Epiſcoporum & Religioſorum lux & norma. Popularem auram declinaturus, in Alpes Noricas, haud ita procul Salisburgo diſſitas, ſeſe abdidit, ibique quinquennium integrum in ſumma rerum omnium inopia tranſegit, multis prodigiis admirandus.

(a) Quanta cum attentione Corporis & Sanguinis dominici Sacramenta tractârit & celebraverit: quibus ſuſpiriis & lacrymis, & quàm ſpiritu contribulato ſummo Sacerdoti ſe mactaverit, id omnem noſtram excedit dicendi facultatem: inſuper amabat decorem domûs DEI; majorem autem exigebat puritatem à ſuæ diœceſeos Sacerdotibus, quàm in ſacris vaſis, optimè gnarus, hanc ſine illa nil prodeſſe, juxta illud Jeremiæ: (b) nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?

Cùm audiſſet aliquando ſanctus Pontifex, Sacerdotem quempiam, penuriâ adigente, alio, quàm vini, liquore uſum in ſacro; adeò divini honoris Zelo exarſit, ut ob fletus largiſſimos vix non graviſſimè fuerit infirmatus; cùmque delinquentem acriter corripuiſſet, ne ſimilis defectus unquam deinceps contingeret, ſuis impenſis liberaliter proſpexit.

Si tuti eſſe contra adverſarium volumus, inquit Cyprianus, munimento dominicæ ſatisfactionis armemur. Ut verò ritè muniamur, oportet quàm maximo cum affectu ad menſam hanc accedere. Multum de beato Wolffgango dixit, qui ſcripſit: quibus ſuſpiriis & lacrymis, quàm Spiritu contri-



(a) *Sur. in vita hodie.* (b) c. 2.

bulato ſummo Sacerdoti ſe mactaverit, id omnem noſtram excedit dicendi facultatem.

Sancte Epiſcope, mitte de excelſo ignem in oſſibus meis, & erudi me, qui ad cœlos abiturus, beato Tagmoni ſpiritum tuum inſufflâſti; ut dignus fiam Dei Miniſter & Sacerdos, offerens Deo ſacrificia in meam ac totius mundi ſalutem. Eja, Rex gloriæ, qui proprio magnæ charitatis tuæ motu inclinans cœlos celſitudinis tuæ, deſideras deſcendere in abyſſum animæ meæ; veni ad locum, tibi præparatum, ad domicilium cordis mei; tu Pater meus ſanctus, tu Dominus meus pius, tu adjutor meus optimus, tu ſalus mea & miſericordia mea magna, miſerere mei, ut per te ambulem, ad te perveniam, & in te requieſcam, qui es via, veritas & vita. Non tardes venire ad me; te námque tali affectu, amore & deſiderio invito ad me, quibus ulla unquam devota anima te invitavit ac deſideravit. Tu centrum ſis votorum meorum, tu ſcopus totius mei affectus; Utinam amore tam intenſo te ſuſciperem, ut omnem dicendi facultatem excéderet; ut tandem aliquando inveniens te, tenerem te, neque ampliùs dimitterem,

*DEUs meus, & omnia!*

## Cal. Novembris. Dies 1. ejuſdem.

### *Sancti Omnes.*

QUàm appoſitè ſcripſit venerabilis Beda: voluit Dominus in noſtro orbe haberi ſimilitudinem cœleſtis patriæ, ad quam poſſidendam creati

creati ſumus. Inde toties in Evangelio Regnum Cœlorum præſentis temporis Eccleſiæ comparavit. Nempe objectum illud infinitum, quod Beati in patria ore pleno deguſtant, & de facie ad faciem vident; nos videmus in ſpeculo & ænigmate; dum eundem Dominum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, velo Euchariſtico obvolutum oculis fidei contemplamur ac deguſtamus.

Eo igitur affectu, eo amore, eo guſtu oportet ad divinum hoc Myſterium accedere, quo beati illud in patria, quamvis ſine velo, deſiderant deguſtántque, beatitudinem ſuam mox amiſſuri, ſi bono hoc immenſo vel ad inſtans unicum privarentur. Proinde unus nobis ſit dolor, hâc eſcâ privari, unicum gaudium noſtrum, unica beatitudo, eâ quotidie refici, imò eam continuò in mente retinere. O beata geris Sacerdotum, cui conceſſum, quotidie recipere eum, in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo Divinitatis!

Ego, ô mi DEUS, cum Sponſa tua Mechtilde tali intentione te deſidero ſuſcipere, acſi omne deſiderium, & omnem amorem haberem, quo unquam cor aliquod humanum erga te flagravit; ſicque in amore ſublimiſſimo, quo poſſibile eſt, cor hominis affici, ad te accedere opto: tu in me ſupple de meritis Sanctorum tuorum, quod mihi deeſt; quem in finem tibi offero, velut ſupplementum paupertatis meæ ſpiritualis, omnem afflictionem, crucem, indigentiam & paupertatem Apoſtolorum tuorum; omnes pœnas,

cruciatus, Vulnera, Sanguinem, ac mortem omnium Martyrum; omnem pœnitentiam, jejunia, vigilias, & auſteritates Confeſſorum omnium; omnem amorem, continentiam & puritatem ſacrarum Virginum: & hæc omnia tali affectu & intentione, acſi mea eſſent, ut hiſce omnibus, & præcipuè meritis Auguſtiſſimæ Reginæ Sanctorum omnium, abyſſalis mea vilitas & indignitas tegatur; & anima mea dignum præſentiæ tuæ habitaculum effici mereatur.

Salve feliciſſima Cœlorum Curia, Sanctíque omnes, qui ſuperato hujus mortalitatis oceano pervenire meruiſtis ad portum quietis perpetuæ, & omnimodæ pacis ac ſecuritatis; ſubvenite nobis, qui inter procellas miſeri etiamnum fluctuamus jactamúrque. Vos verò præcipuè rogo, ſancti Tutelares mei, veſtram mihi puritatem, humilitatem, charitatem, fervorem & dilectionem largiri dignemini; vos jam ſecuri de veſtra immarceſcibili gloria, ſoliciti eſtote de multifaria miſeria mea; per ipſum, qui vos ad gloriam ſuam elegit, oro, rogóque in amore amantiſſimi cordis ejuſdem, memineritis mei indigniſſimi, mihíque in neceſſitate quavis ſubveniatis, maximè in ſuprema illa, quæ agonizantem obruet; ut veſtris ſuffragijs victor, vobiscum

*Miſericordias DOMini in æternum cantare poſſim.*

iv. Non. Novembris. Dies 2. ejuſdem.

*Commemoratio Fidelium Defunctorum.*

DEUM olim ita affatus eſt Zacharias Propheta: (*a*) in Sanguine Teſtamenti tui eduxiſti inctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua; tam poſitè, quàm veraciter innuens, animas, in ne luſtrico detentas, præcipuè ſacro Miſſæ ſaſificio juvari. Hic nempe panis, hic Sanguis eſtamenti Chriſti eſt; qui, cùm dilexiſſet ſuos, finem dilexit eos, nobis, ceu filijs chariſſiis, relinquendo, teſtamenti locò, Corpus & anguinem ſuum; id quod ipſemet teſtatur veris illis dulciſſimis: hic Calix novum Teſtamenum eſt in meo Sanguine; id eſt (interprete octore Angelico) dedi vobis Sanguinem, ut iper Altari meo expietis pro animabus veſtris.

Pro animabus igitur tuis, pijſſime Salvator, bi offero hodie ſacrificium Corporis & Sanguiis tui; id quod ſancta, pia ac provida Mater eccleſia, ut faciam, mandat. Tu, DEUS cleentiſſime, reſpice de excelſo habitaculo tuo, & ropitius intuere animas, in flammis luſtralibus atientes; reſpice ad ſupplicia & cruciatus, quius dilectæ tibi Sponſæ dirè torquentur; conſiera gemitus & lacrymas, quibus ad te anhent; audi preces, quibus miſericordiam tuam plorant, & eſto propitius peccatis earum. ecordare, ô æterne Pater, quanta Filius tuus aman-

(*a*) C. 9.



nis ejuſdem rogitans, ut his omnibu
ad gaudia æterna easdem perduce
Domine ſancte, Pater omnipotens,
ratio magna, cujus miſericordiæ no
rus, memento omnium fidelium t
depoſitis mortalitatis exuvijs, in f
charitate deceſſerunt; maximè verò
avorum, parentum, fratrum, ſoror
torum, affinium, ſodalium & benef
ſtrorum: fac miſericordiam cum ill
nibus, qui in igne purgatorio adhu
ti, clamant ad te quotidie: ne ju
ira tua, neque tradas in manus inim
obliviſcaris eorum, neque faciem
avertas; ſed ſancti Angeli tui repra
in Lucem ſanctam, quam olim Abra
ſti, ut

*Cum Sanctis tuis &c. &c. Amen.*

re repertum, in ſuſpicionem thori violati
t, & ab irato acta in præceps, divinitus
ata eſt: inde ſexdecennium in nemoribus
rè egit; donec tandem inventa, cùm ma-
, veniam petenti, ignoſceret quidem, &
ibitare deinceps nollet, cellulâ exiguâ ex-
tâ ſedem ibi fixerit, quot noctibus ſolita ad
obium Fischingenſe commeare, indeque re-
, cervo faces duodenas cornibus ſemper
erente. Demum ſenio confecta, inter ſan-
oniales ibidem degens, cùm dæmon lumen
u oranti extinxiſſet, protenſâ per feneſt-
candelâ præcepit tumulato ibidem homini,
men accenderet: qui protinus obſecutus,
Iddæ lumen porrigit, ſimul edixit, ſe è
gienſium proſapia oriundum eſſe. Senio
em, ut dixi, gravis ac meritis, ad ſuperos

) Sacramentum Euchariſtiæ peccata conſu-
debellare potens eſt obvias poteſtates, in-
: cœlis animas, ait melliſluus Bernardus. Ve-
num id eſſe, eventus probavit in ſancta Idda;
præcipitium tam horribile ſine noxa emen-
maritum, ſub cellæ ſuæ feneſtra, uti pe-
t, tumulatum, precibus & Miſſarum oblatio-
s cœlo aſſeruit.

) In quantis periculis conſtitutus eram, quan-
circumvolabat ſuper me à longè miſericordia
Domine, qui dudum eruiſti animam meam
ferno inferiori: quoties jam cecidiſſet ani-
ma

) *Bern. l. 1. c. 3.* (*b*) *Aug. ll. Conf.*

ma mea in lacum leonum infernalium, præcipitata à juſtitia vindice, niſi tu ſuppoſuiſſes manum tuam; tibi infinitæ ſint gratiæ, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Benigniſſime JESU, qui toties, imò quotidie memor es mei, viſitando me ſacramentaliter; eſto memor mei peculiariter in ſupremo conflictu cum hoſte inviſibili, nequando rapiat, & non ſit, qui eripiat; rugiat & deglutiat, præcipitet & devoret: eſto memor ſervi tui, quando lethali preſſus infirmitate, ab omnibus derelictus ero; tunc noli à me recedere, noli faciem tuam à me avertere; & cùm vires corporis & animæ à me receſſerint, tu mecum eſto, tu manum ſuppone, qui tum præcipuè ades famulis tuis, ubi humana deficiunt auxilia; Tu, qui factus es nobis ſapientia, juſtitia, & ſanctificatio, eſto & noſtra redemptio in omni periculo: memor eſto ſervi tui; in hoc enim mihi ſpem dediſti; memor eſto mei in vita, memor in morte, memor poſt mortem; ita pro minimo mihi erit, ſi apud homines

*Pereat memoria mei cum ſonitu.*

---

Pridie Nonas Novembris. Dies 4. ejuſdem.

*S. Carolus Borromæus Card. Ep. Mediol.*

OMnibus abſolutum numeris genuini Eccleſiæ Prælati exemplar Carolus, ſacris quotidie operabatur ſummâ devotione; quòdſi morbo impediretur, Epulo ſaltem Euchariſtico reficiebatur. Pium ſodalitium, in honorem auguſtiſſimi Altaris

Sacra-

Sacramenti inſtitutum, in commiſſa ſibi Diœceſi aut aut de novo erexit, aut latiùs propagavit. Nihil unquam aggreſſus eſt, conſilio DEI coram ſanctiſſimo non priùs explorato. Compreca-tionem quadraginta horarum coram eodem, ab una ad aliam Eccleſiam traducens, anno integro produxit; idem de indictis noctu ſupplicationi-bus; lue peſtiferâ in urbe Metropolitana graſſan-te, aras per plateas extruxit, ne ſacra populo deeſſent: ipſe pedibus nudis, & ſune in collum inſerto, hoſtiam ſe DEO offerebat: tandem do-lorum JESU morientis meditatione recreatus, in cinere & cilicio eidem Crucifixo eſt immor-tuus.

Exprobrat ſegnitiem negligentibus divus Lau-rentius Juſtinianus, inquiens: qui, cùm liceret Domino ſuo frui, negligit, ſatis oſtendit, eum ſibi cordi non eſſe. Me certè tangit, dum quo-tidie mihi licet Domino meo frui, & tamen negli-go: exinde convincor, eum mihi cordi non eſſe. Quòdſi tamen facta infecta fieri nequeunt; de præteritis veniam humillimè peto, firmiſſimè ſtatuens, majori deinceps affectu Dominum ac DEUM meum colendi, cordique eum habendi; etenim tu Sponſus es animæ meæ, ac proinde ſponſali affectu recipiendus, velut medulla, cen-trum & quies cordis mei. Itaque, Sponſe pijſ-ſime animæ meæ, te in ſacra Communione ſuſ-ſceptum, ſponſali ſaluto affectu, & animam meam perpetuam tibi Sponſam manu ſtipulatâ conſe-ro; &, ô Mira divinæ pietatis ac dignationis

virtus

virtus, ô amoris imponderabilis paradoxum! dum ſuprema Majeſtas non dedignatur, animam, licèt per peccata fœdatum, in Sponſam recipere, & receptam in ſacra Communione quotidie inviſere. O amor, quò infinitam perfectionem deducis? quorſum celſitudinem inacceſſibilem impellis? Nónnè ad vallem miſeriarum, ad abyſſum nihili? Ita profectò eſt! eóusque ſe demittit DEUS noſter, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Reſpice igitur in me Domine, & miſerere mei, quia pauper & humilis ſum; humilis, utpote ſciens peccata mea multa, & magna nimis, pro quibus meritò timeo, tuámque miſeriam-imploro: pauper verò in virtutibus & meritis; tu animam meam, ſponſali affectu tibi ſacratam dita, orná & exeole; cordi ea tibi ſit, ſicuti tu mihi cordi ſemper eris, ceu

*Sponſus animæ meæ.*

## Nonis Novembris. Dies 5. ejuſdem.

### *SS. Zacharias & Eliſabetha.*

ERant hi ſancti Conjuges juſti ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querelâ; indéque digni tanto filio, quo major inter natos mulierum non ſurrexit; digni, quorum limina ſubirent JESUS, MARIA & JOSEPHUS; digni, quibus præ aliis divina panderentur ſecreta, juncta cum Maternitate Virginitas, Verbum æternum caro factum

in

in utero MARIÆ, ima ſummis conjuncta. Hinc Elisabetha humiliter exclamat: unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me? cúmque Elisabeth miraretur fervorem ſpiritûs (inquit Virgo Deipara ad ſanctam Birgittam (a)) ita, ut lingua mea loqueretur inexcogitata verba de DEO; ego non diſſimiliter mirabar in ea gratiam DEI, ambæ benedicentes DEUM.

Porro dignus tanto filio effectus eſt Zacharias, dum ingrederetur in templum Domini; ibi enim apparuit ei Gabriel Angelus, ſtans à dextris Altaris incenſi. In quem locum ita commentatur Chryſologus: (b) ingreſſus in templum, non ingreſſus templum; quia ipſe erat DEI familiarius templum, portans in ſui pectoris puritate totius legis Arcam; gratiùs namque DEUS in ſuo, quàm in hominis opere requievit.

Quòdſi frequens in templum Domini ingreſſus reddit hominem templum Domini ac DEI ſui; quid, amabo, efficiet quotidianus DEI in hominem ingreſſus? DEUS, in templo habitans, hominem ingredientem efficit templum ſuum; quid faciet, dum in hominem ipſe ingreditur? ſed neceſsè eſt, eum cum Zacharia portare in pectore ſuo legis totius puritatem; totius, inquam, legis: nam bonum ex integra cauſa eſt, malum ex quolibet defectu; & qui in uno offendit, factus eſt omnium reus. Qui diligit me: inquit ipſa veritas, Deus, ſermonem meum ſervabit; & pater meus diliget eum, & ad



(a) *Lib. 6. revelat. 59.* (b) *In Luc.*

eum veniemus, & manſionem apud eum mus. O ter felicem, ò ter beatum, in pectore ſacroſancta Trinitas manſionem videlicet cujus pectus puritatem totius legis tat. Nec minùs felix ac beatus eſt Sacerdos jus cor ac pectus factum eſt templum DE des Triadis ſanctiſſimæ, ad quem hæc v ac manſionem facit. Prius quotidie obtin cerdos, niſi ipſe ſe ſubtrahat à DEI A poſterius autem ut conſequatur, ipſius eſt, ſionem ita inſtruere, ut divinum hoſpite tineat. Quantum DEUS naturam humanam mavit, conferens ei dignitates varias Prin Regis, Imperatoris, imò ſui in terris Vi ſed tranſcendit hæc omnia dignitas Sacer lis, quam nec Angelis contulit. Inter etiam vel maximè felices ac beati ſunt, uti Zacharias & Eliſabetha, familiariter n Triadem creatam, IESUM, MARIAM, & phum:

*Hæc nomina bona ſunt omina, mundi lumin limina.*

---

viij. Id. Novembris. Die 6. ejuſdem

## *S. Leonardus Abbas.*

TAnti meriti erat divus Leonardus, u cis viſum redderet, aquas elicceret è reos carceribus, vinculis ſpotè ſonlutis edu Multas extruxit, dotavítque Eccleſias, q ſingulis de proprio Sacerdote providit Sacrum quotidie diceret, ut hujus pra

ſancti Sacrificij meritis vinctos aſſereret in libertatem.

Hæc ſancti iſtius Abbatis charitas efficaciter me monet, ut ſacro hoc tempore vinctis etiam ſuccurram ope divini Sacrificij; iis videlicet, qui in carcere purgatorio detinentur, juſtitiæ divinæ vinculis conſtricti, ac ſuppliciis atrociſſimis excruciati. Et ò quantus eorum numerus, qui gemitus, qui ad nos clamores, ut ipſorum miſereamur! Vidit hoc Venerabilis Joannes de Alvernia, ſancti Franciſci alumnus digniſſimus, qui, cùm aliquando Sacrum piaculare diceret pro defunctis, ad Hoſtiæ divinæ elevationem vidit ingentem eorum numerum, adinſtar ſcintillarum, ex ardenti vehementíque rogo prodeuntium, ad cœlos evolare.

Domine ſancte, Pater omnipotens, en offero tibi hodie placationis hoſtiam pro omnibus piè defunctis, enixè rogans, ut ejus virtute deleas omnes ipſorum iniquitates, pœnisque, quas adhuc debent, dimiſſis, ad cœleſtes transferas manſiones. Scio equidem, diſtrictum eſſe in altero ſæculo judicium tuum; neque exituros, qui carcere illo igneo clauduntur, donec ſolverint noviſſimum quadrantem: nam quia (a) Chriſtus pro animabus noſtris talem dedit pecuniam; qualem, putas, erit exacturus uſuram? ſed ſcio etiam, & idipſum confiteor immenſæ pietati tuæ, quòd miſericordia tua ſuperexaltet judicium; ideo humiliter te rogo, fac cum eis miſericordiam, qui omnia



(a) *Aug. ſerm. 114. de tempore.*

nia potes, & omnipotentiam tuam miſerando maximè, & parcendo manifeſtas. Deſcendat Sanguis tuus pretioſiſſimus in has flammas, reſtinguat eas, recreétque ac refrigeret omnes, qui iisdem torquentur. Hunc divinum liquorem, unáque cœleſtem panem per manus ſancti Archangeli túi Michaëlis tibi offero, rogans, ut eundem effundas ſuper animas purgantes, igneis adſtrictas vinculis,

*Ut à peccatis ſolvantur.*

---

## vii. Id. Novembris. Dies 7. ejuſdem.

### *S. Engelbertus Epiſcopus & Martyr.*

REfert Cæſarius de quodam ſacrilego Sacerdote, eum omnibus aliquando trementem membris, maximam perſenſiſſe difficultatem in ſacræ Hoſtiæ ſumptione; cùm tamen alterâ die ad divina celebranda Myſteria rediret, alium quemdam Sacerdotem eximiæ ſanctitatis vidiſſe ſacram Hoſtiam, in ſpeciem infantis pulcherrimi mutatam, qui os myſtæ illius parùm pii non ſine nauſea ſubire cernebatur. Ea de re monitus hic poſterior, ſerió reſipuit; & cùm vitam in melius emendâſſet, vidit iáter ille infantulum eundem, ore renidenti, manibúsque complicatis in os celebrantis introire; qui exinde ſpeculum fuit proborum Sacerdotum.

Nónne mutatio hæc, dexteræ excelſi eſt, qui de peccatoribus juſtos & ſanctos efficit? Si itaque bonus Dominus cor ſacrilegi hujus tam efficaciter

movit

movit ad pœnitentiam ; nulli desperandum , qui de admissis toto corde dolet , perpetrata seriò detestatur , ac mores emendat. Audite ipsum Dominum : (*a*) Si fuerint peccata vestra , ut coccinum , quasi nix dealbabuntur ; & si fuerint rubra , ut vermiculus , velut lana alba erunt.

Simile quid recenset Surius (*b*) in vita sancti Engelberti , Archiepiscopi Colonienſis , ex insidiis Friderici , cognati sui , ob assertam Ecclesiæ libertatem quadraginta septem vulneribus confossi , quamdam scilicet mulierem , sacrosancto Paschatis die cum noxæ lethalis conscientia sumentem Epulum divinum , mox linguæ , & omnium membrorum usum amisisse ; sed adeuntem postea cum vero animi pœnitentis dolore locum , ubi sanctus Archi-Præsul martyrium passus fuerat , mox hominis utriusque sospitatem consecutam fuisse.

O Pater misericordiarum , & Deus totius consolationis , ecce ego quoque , omnium verè pœnitentium secutus exemplum , veniam omnium eratorum gemens ac dolens à te peto , atque ex animo detestor indignum ad Altare tuum accessum , cum firmo animi decreto , ita deinceps sacra tua Mysteria tractandi , uti probum Altaris-ministrum decet. Et ò quanta in Sacerdote requiritur animæ & corporis puritas , qui virtute hujus cum DEO communionis , divinæ consors efficitur naturæ , Consanguineus Christi , imò eadem cum ipso caro, idem Sanguis ? Verè ipse dixit ad Apostolos suòs , & quosvis eorum successores : jam



(*a*) *Isa.* 1. *v.* 18. (*b*) *Hodie.*

non dicam vos ſervos, ſed amicos meos. Dixerat olim Deus de Adam: ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. Quantò juſtiùs id Sacerdotibus tribuitur, qui de carne & Sanguine Dei-Hominis vivunt?

Id ut de me etiam dici queat, da mihi, ò Pater omnipotens, gratiam efficacem, quâ, ceu probus ac devotus Sacerdos, debitâ ſenſuum cuſtodiâ, morum gravitate, vitæque honeſtate, ac Chriſtianâ perfectione aliis præluceam, ac

*Exuam veterem hominem cum actibus & moribus ſuis.*

---

vi. Id. Novembris. Dies 8. ejuſdem.

## *S. Godefridus Epiſcopus Ambian.*

AMbianenſium Præſul Godefridus, quindecim indies pauperes menſæ adhibuit, poſtquam pedes ijsdem antea abluiſſet. Cives, ſancti Paſtoris monita contemnentes, DEUM vindicem experti ſunt, immiſſóque cælitùs igne abſumpti. In ſacro Altari (a) ipſo vultu Angelicam quodammodo dignitatem præſeferebat, pijs deſideriis adeò crematus, adeò lacrymis irrigatus, ut vix vocem attollere, vix codicem aperire poſſet.

Rex ſæculorum immortalis, & inviſibilis, Regnorum omnium Moderator, cujus Majeſtatis amplitudinem nec cœli cœlorum, minùs terrarum orbis capiunt, cui cœlum ſedes, terra verò ſcabellum pedum tuorum; ecce tantillus cordis mei

locus

(a) *Surius hodie.*

locus majeſtatem tuam incomprehenſibilem capit: nónne ex celſitudinis tuæ præſentia tabeſcat in me anima mea, & tota contremiſcat? Tu enim es Judex omnium, ante quem ignis præcedet; à cujus facie montes, ſicut cera, colliqueſcent. Ubi tunc me abſcondam à vultu iræ tuæ? & dum juſtus vix ſalvabitur, ubi ego peccatorum maximus parebo? Quid reſpondebo tibi, cùm quæſieris, quando juſtus etiam vix poterit reſpondere unum pro mille? Sed tunc te meum Judicem deprecabor; quamvis enim me voluero juſtificare, damnabit me conſcientia mea; & ſi innocentem me probare voluero, facta mea me redarguent, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Porro in tam ardua cauſa quem prenſabo advocatum, quem propitiatorem implorabo, quando ipſa me convincet conſcientia, graviſſimè me deliquiſſe, ac te, DEUM meum offendiſſe? Nempe teipſum, Domine, quem Judicem ſuſtinere non potero, Salvatorem habere ſpero, nunc maximè, quum in Altari te mihi præbes in ſignum reconciliationis: Igitur ad pedes tuæ Majeſtatis abjectus rogo te, dona mihi animam meam; ecce anima mea in manibus meis ſemper, in directione nempe, & voluntate mea: ſit poſthac in manibus tuis, in tua diſpoſitione, poteſtate ac judicio; dona tunc mihi animam meam; pro qua rogo, ut ego viciſſim æternùm eam tibi donem, dicem, de-

dicem, velut rem tuam, donum tuum, creaturam tuam; ſiquidem

*Tuus ſum, Domine, ſalvum me fac.*

## v. Id. Novembris. Dies 9. ejuſdem.

### *Imago Chriſti crucifixa.*

PErfidi Hebræi quot infantes parentum Chriſtianorum non peremerunt in odium fidei? quot ſacras Hoſtias non ſacrilegè conſciderunt? quot pias imagines non lacerârunt? Certè hâc ipſâ die antiquiſſimam quamdam Salvatoris noſtri imaginem flagris cæciderunt, ſerto ſpinea coronârunt, clavis Cruci affixerunt; cúmque latus etiam perforarent lanceâ, patrum impiiſſimorum repeturi tragædiam, pretioſus inde Sanguis prorupit, ægris omnibus ſalutaris.

Sæpe, dum hæc & ſimilia audimus, contra Chriſti hoſtes excandeſcimus cum Davide; & vix non gladios ſtringimus cum Francorum Rege Clodovæo: verùm quoties audire debemus illud Nathani: tu es vir ille, nihilo melior, imò longè deterior Judæis! hi enim, teſte gentium Apoſtolo, ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; & ſi imaginem Chriſti ludibrio habuerunt hodie; nos ipſum DEI filium, agnitum ut talem, rurſus nobismetipſis crucifigimus, & oſtentui habemus.

Tu, Domine piiſſime, ignoſce mihi; converte me, & convertar ad te; voluntatem meam ferream ad te propitius compelle, qui veſtes

ferreas,

erreos, & portas æreas confregiſti. Nam (a) ſanguis tuus, qui effuſus eſt, tam multus eſt ad gnoſcendum, ut ipſum quoque peccatum maximum, quod factum eſt, dum à Judæis effunderetur, deleret. Nempe cogitabat JESUS pijſſimus, non à quibus, ſed pro quibus pateretur, gnoſcens latroni blaſphemanti, & Centurioni, cor transfigenti. Ille verbis pauculis rogabat veniam, dicens: memento mei, Domine, cùm veneris in Regnum tuum; mox audijt Servatorem, pari laconiſmo reponentem: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Hic Filium DEI liberâ voce confeſſus, lucem corporis & animæ eſt conſecutus. Parce igitur & mihi, benigniſſime JESU, & miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Et cùm non habeam, quod tibi in dignam compenſationem pro peccatis meis offeram, ecce tibi omnia illa opprobria, injurias, contumelias, ſubſannationes, irriſiones, illuſiones, detractiones, contemptus, conculcationes, blaſphemias, perſecutiones, flagra, ſpinásque offero; quibus coronari voluiſti, ut me coronares gloriâ & honore; tu, quamvis ſanctiſſimus, cum iniquis reputari voluiſti, ut ſanctitas mea ac juſtitia fieres; tu, ſpecioſus formâ præ filijs hominum, leproſus judicari voluiſti, & omni ſpecie ac decore privatus, ut me ſanctiſſimæ voluntati tuæ redderes conformem; denique ut ſervum, & perduellem quidem redimeres, teipſum tradidiſti. Oſten-



(a) *Bern. Ep.* 109.

de igitur miſericordiam tuam, qui hodie in clementiæ ac benevolentiæ peculiaris ſignum, in pariete Baſilicæ Romanæ, tibi dedicatæ, in imagine, Angelicis manibus depicta apparuiſti; oſtende nobis miſericordiam tuam, &

*Salutare tuum da nobis.*

## iv. Id. Novembris. Dies 10. ejuſdem.

### *S. Andreas de Avellino.*

THeatinæ Congregationis luminare minus, ac ſingulare decus, Andreas de Avellino, cùm adhuc vivens in ſæculo, cauſas forenſes tractaret, & pro defenſione clientis leve aliquando mendaciolum protuliſſet; poſtea caſu incidens in illud ſcripturæ: os, quod mentitur, occidit animam, mox reſipuit, &, quod perperàm admiſerat, intra ſepta Religioſa ſtatuit expiare. Virgini Deiparæ fuit addictiſſimus, ejúsque apparitione recreatus; adeo tamen de ſalute ſua angebatur, ut ex Sanctis, ſibi apparentibus, ſolicitò quæreret, ánne in eorum cætum aliquando admittendus eſſet? Repoſuêre iſti: labora, Andrea; nondum certus es tuæ ſalvationis. Numquid vim patitur Regnum Cœlorum?

(a) Summo quoque deſiderio ad DEI Altare Andreas quotidie acceſſit, nec itineribus, nec morbis impeditus; quòdſi morbi omnino id prohiberent, ad ſacram Synaxin ſummo manè accedebat, imò greſſu veloci advolabat, nulli innixus

(a) *Ex vita.*

nixus ductori, quamvis aliàs ob debilitatas ſenio vires ſe ſolo incedere non poſſet; inde novis auctus viribus ad cubiculum remeabat. Conſcientiam quotidie expiavit, & ante Sacrum horam integram impendit meditando cuipiam Dominicæ Paſſionis Myſterio, dicere ſolitus, Paſſionem Chriſti ab incruento Sacrificio ſejungendam non eſſe. Sub ſacro lacrymis ut plurimùm diffluebat; demum cùm Hoſtiam divinam immolaturus, ad crepidinem Altaris conſiſtens, diceret: introibo ad Altare DEI, Apoplexiâ tactus in Sancta Sanctorum introivit.

Inſpira & mihi, ô ſancte Andrea, ſimiles erga Sanctiſſimum Chriſti Corpus affectus; ut ſincero corde dicere cum Vate Regio poſſim: Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Nomen quidem tuum in deſiderio eſt animæ, quærentis te, & veraciter (a) oportet, juxta monitum Auguſtini, eſurire ſpiritualiter Chriſtum, cibum noſtrum, intimo corde eum deſiderando. Et quando cum ſancto Andrea ad gradus Altaris conſiſtam, ad pedes JESU crucifixi ſtare me credam, ut vivam ejuſdem effigiem menti imprimens, faciam ſecundùm exemplar, quod mihi in monte Golgothæo monſtratum eſt. Omnia ſiquidem præcepta, quæ toto prædicationis ſuæ tempore vel verbo, vel exemplo tradidit Servator, ſupremo illo paſſionis ſuæ die repetijt, & velut in compendio expreſſit. Itaque amantem

(a) *Opuſc.* 58. 19.

tem redamemus, imitemur amatum; magis enim proſunt Vulnera Chriſti percutientis, quàm oſcula mundi blandientis. Ita feliciter reſpirabo ab omni vitæ præſentis anguſtia; quousque in DEO expirem, & introeam ad Altare DEI,

*Ad DEUM, qui lætificat juventutem meam.*

---

iij. Id. Novembris. Dies 11. ejuſdem.

## *S. Martinus Epiſcopus Turon.*

COntigit in quadam Galliæ civitate, anſerem ſilvaticum, pluribus ſtipatum pullis, templum divi Martini magno clamore, plauſu, & alarum concuſſione ſubintrare; qui rectà pergens ad Aram, ſancto Epiſcopo dicatam, gradus ſingulos aſcendendo oſculatus eſt, ac unum è pullis roſtro ſublevans ſuper aram obtulit, nihil ſe moventem, cùm cerneret parentem unà cum aliis pullis templo excedere. Sic nempe honorabitur, quemcunque DEUS voluerit honorare.

Ita hodie cives ſuperni honorârunt divum Martinum, & in ejus effuſi occurſum, hymnis cœleſtibus exceperunt, teſte oculato ſancto Severino, Epiſcopo Colonienſi, & Ambroſio Mediolanenſi; qui poſterior ſub Miſſæ initium Turonos ductus in ſpiritu, ſancti Viri exequijs interfuit. Et tamen tantum DEI Amicum, ac gemmam omnium Sacerdotum, ſub extremam vitæ horam dæmon aggreſſus eſt, quamvis malo ſuo, utpote à ſancto Præſule confuſus, & in fugam actus illis verbis

verbis: quid adſtas, cruenta beſtia? nihil in me funeſti reperies.

Quid erit de nobis, ingemiſcens tum dicebat idem ſanctus Severinus, quid erit de nobis pectatoribus, ſi tanto Sacerdoti pars iniqua nocere voluit? (a) ſi vis miſericordiam DEI impetrare, eſto miſericors; Martinus adhuc Catechumenus Chriſtum in paupere veſtijt: tu, (b) ſi vis Chriſti Corpus honorare, pauperem non deſpicias; qui enim dixit: hoc eſt Corpus meum; idem dixit: eſurientem me vidiſtis, & non paſiſtis me; & alibi: beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur. Itaque ad opera miſericordiæ totis viribus incumbam, proximóque, in corpore aut anima indigenti, pro poſſe occurram. Tu, optime JESU, qui es mirabilis in Sanctis tuis, faciens ſigna & prodigia, tu es Caput ſanctæ Eccleſiæ tuæ, ego verò membrum ejus, licèt indignum, ſublimi tamen loco poſitum propter miniſterium ſacri Altaris tui; rogo itaque per omnia Eccleſiæ viva & ſancta membra, ut eidem conjunctus permaneam per fidem, per ſpem movear ad bona opera, & per charitatem attingam Chriſtianam perfectionem, ac in ea usque ad finem perſeverem. Diligebat Martinus JESUM totis viribus, totâ mente, totâ animâ; inde mirum non eſt, ſupra caput ſacrificantis globum igneum apparuiſſe. O JESU, cor meum dilatatum eſt ad te, & ardenter amo te, cupióque plus amare. Tu, dulcis hoſpes

(a) *Auguſt. ſerm.* 18. (b) *Chryſoſt. Hom.* 51. *ad pop.*

ſpes animæ, infunde mihi tuum divinum amorem, qui amore infinito dignus es; ſiquidem

*Major omnium eſt charitas.*

---

Pridie Id. Novembris. Dies 12. ejuſdem.

*S. Martinus Papa & Martyr.*

BEati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. His jure accenſemus hodie Martinum, totius Eccleſiæ Catholicæ Antiſtitem dignissimum; qui, quòd munere ſuo infracto animo functus, Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum, in hæreſin prolapſum, condemnáſſet, à Conſtante Imperatore, itidem hæretico, frequenter quæſitus ad necem, tandem Romæ ſit captus, in Cherſoneſum relegatus eſt; ubi a rumnis confectus, eò tandem abijt, ubi dolor non erit ampliùs, & omnis luctus abſtergetur. Hunc ſanctum Pontificem, in Baſilica ſanctæ Mariæ ad præſepe Miſſarum ſolennia celebrantem, juſſu Olympij Exarchi aggreſſus eſt lictor; ſed cæcitate repentinâ percuſſus, nocere eidem non potuit. Et quid mirum, inquit de Sancto hoc Auguſtinus, ſi inimici fraus adverſùs Pontificem non prævaluit, quando non ſolùm Angelicâ erat ſeptus militiâ, verùm, quod majus eſt, ipſum Angelorum Dominum in manibus portabat?

Sunt, de quibus canit Hymnographus Regius: gladium evaginaverunt peccatores, id eſt (exponente Origene) non in vaginam abſcondunt, ſed ſuperbo ſpiritu in omnium oculis denudant; qui

gloriantur in malitiis, & potentes ſunt in iniatibus ſuis. Tales frequenter ſunt mundi Prins ac Magnates, quibus coërcendis deſunt iſtri, deſunt Eliæ, deſunt Ambroſij; veri puani, qui peccatis ac ſcandalo mundum implent, xemplo ſubditos poſt ſe abducunt.

Non tamen nulli ſunt inter Sacerdotes, qui ginant gladium linguæ, loquentes perverſa, ninis honeſta; in quorum ore, nugæ ſunt balsmiæ; qui ambulant vias non bonas, ſed poſt cata ſua; qui ſacroſanctum Miniſterium ſuum unt in luſus hiſtrionum. Væ autem illis! malinquiebat melliſluus Bernardus, mallem fras meos eſſe hypocritas, ut ſcandala caveanVæ illi, per quem ſcandalum venit! glas ille ſcandali, quem denudaverunt, intrabit orda eorum. Inde beatos deprædicat Pſalta, quorum tecta ſunt peccata. Non ſim, ô mine, non ſim ex eorum cætu; qui gladium ginaverunt, id eſt, qui exacuerunt linguas s, ſicut ſerpentis; abſit à me, ut linguâ meâ rar ad temerè jurandum, blaſphemandum, ledicendum: quin potiùs labia mea laudabunt in vita mea, Deus meus; non ero illorum egalis, qui evaginant linguas ſuas contra proxium, detrahendo, famam ejus diminuendo; non iam proximo meo malum, nec opprobrium cipiam adversùs eundem: è contrario vincam bono malum, & maledicentibus me benedicam; n ero ex illorum numero, qui evaginant glaum linguæ, nugas inanes, aut etiam obſcænas

pro-

proferendo, & in verba otiosa sese effundendo; studebo magis vero, simplici ac parco sermoni. Quòdsi gladio malæ voluntatis unquam te offendi, non potestate lædendi (ut loquitur Augustinus) sed resistendi pertinaciâ, veniam humiliter rogo: siquidem restiti monitis internis, quæ statum meum mihi ob oculos posuerunt; restiti sanctis tuis inspirationibus, quæ dictabant, quid omittendum. restiti Spiritui sancto, qui simplex & bonus est. Lavit Christus pedes suorum Discipulorum, antequam eis traderet Mysterium sacratissimi Corporis sui, ut eos moneret, quantæ puritatis debeant esse Sacerdotes, ut nec tenuis pulvisculus plantis adhæreret; cùm vel nugæ, sint quidem nugæ, sed

*In ore Sacerdotum blasphemiæ.*

---

## Idibus Novembris. Dies 13. ejusdem.

### *S. Stanislaus Kostka.*

JUvenem mihi hodie statuam exemplar, instructorem, Ducem & Comitem ad Altare DEI, nempe beatum Stanislaum, Societatis JEsu Novitium, DEO Eucharistico præcipuè devotum: huic Stanislaus se credidit.; & JEsus vicissim, qui pascitur inter lilia, innocenti se credidit Stanislao. Ardor cordis in facie etiam sancti Juvenis relucebat; qui rei istius causam rogatus, simplici mente respondit: uror; igne divini amoris totus absumor. Divam Barbaram Partheno-Martyrem, supremi Viatici dispensatricem, eximiè coluit, indeque

leque meruit, Eodem ab Angelo, ſanctâ præſente, muniri.

Non uror ego ab hoc igne divino, quamvis eidem proximus, imò intimè conjunctus. Quæ veò rei iſtius cauſa? certè non eſt defectus ex parte ignis, quem DEI Filius in terras miſit, nec vult aliud, niſi ut omnes accendantur. Ego videlicet obicem ejus efficaciæ pono tepiditate & frigore meo; ſícque non tantùm deficit in me ignis iſte divinus, ſed ipſa etiam fides; dum aut non credo, quæ de hoc Myſterio docet fides, aut ſaltem ea ritè non perpendo, ſimilis illi Sacerdoti, qui hodie Bolſenæ in Italia, cùm verba conſecrationis protuliſſet, de reali Chriſti præſentia ambigebat; mox tamen vidit copioſum Sanguinem è ſacra hoſtia profluentem, & linteamen ſuppoſitum tingentem; eóque prodigio in ruborem datus reſipuit, & conceptum dubium in Sanguine Agni abſterſit. Oſi idem clementiſſimus Servator, qui oculos cæci aperuit, dignaretur & mentis meæ oculos divinâ luce ſuâ colluſtrare; quotidie cernerem Sanguinem hunc pretioſiſſimum, effluentem in ſalutem animæ meæ, irrigantem aridítatem meam, teporem excitantem, & maculas peccatorum eluentem. Quare benedic, anima mea, Dominum; glorifica & magnifica ejus omnipotentiam, ſapientiam ac bonitatem, qui voluit in ſalutem noſtram tam admirabile, tamque magnificum inſtituere Sacramentum. O amor incomprehenſibilis, qui Filium DEI, Deum verum de DEo vero, in hoc ſtupendo Myſterio recon-

ditum tenet die ac nocte ; & quis latentem dignè collaudet ? Certè qui id pro merito faciat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram unquam eſt inventus. Itaque meo te nomine laudet æterna tua Deitas, immenſa majeſtas, incomprehenſa bonitas, benedicat tibi altiſſima tua ſapientia, ineffabilis miſericordia, inſcrutabilis juſtitia; Laudet te Sancta tua Sponſa Barbara, cujus nixus patrocinio confido, fore, ut non diſcedam ex hac vita, niſi ſacro Viatico ritè munitus, quod eſt

*Pignus Salutis æternæ.*

---

xviij. Cal. Decembris. Dies 14. Novembris.

## *S. Laurentius Epiſcopus Dublin.*

DIſcam hodie, non eſſe ſupra vires humanas, veniam hoſtibus dare, & offenſas æquo animo tolerare, imò remittere. Docet id ſanctus Laurentius, Epiſcopus Dublinenſis; qui, cùm tempore quodam Londinum, Regum Angliæ ſedem, acceſſiſſet ob Eccleſiæ ſuæ negotia, ad templum ſe contulit, ſacris operaturus; ubi à quodam fullone tantâ violentiâ percuſſus fuit, ut in terram ſemianimis conciderit. Inde ſublevatus ab accurrentibus, cùm ad ſe redijſſet, aquam petijt, quâ benedictâ fatiſcentem capitis plagam eluit, ac mox incolumis, ſanúsque ad Aram ſe contulit; ubi abſque ullo rancoris aut vindictæ indicio Miſſam inſolitâ devotione celebravit.

Operare

Operare in nobis, Domine, Zelum Petri ignoſcentem, & omnia deſtruentem, quæ tuæ ſunt contraria voluntati: operare in nobis quietem & conſolationem, & abſtinentiam à mundi delectationibus; & ſentiemus guſtum tuæ ineffabilis dulcedinis ac bonitatis.

IEſu, vir dolorum, permitte, ut vadam ad montem Myrrhæ, ibique faciam ſecundum exemplar, quod in monte Calvariæ mihi monſtratum eſt; ut in adverſis quibusvis te ſequar, crucemque patienter, promptè & cum gaudio feram. Tu inter duos latrones medius, à ſummis Pontificibus ridebaris, blaſphemabaris, ſubſannabaris, velut impotens, qui Templum Solymæum diſſolveres, ac denuò ædificares, aut ſalvum temet faceres, vel de cruce deſcenderes: quid porro reponis? Pater, ignoſce illis, non enim ſciunt, quid faciunt. O quàm modicum eſt, quod toleramus, ſi cogitemus, quàm dura verba, duriora verbera, duriſſima ſupplicia pro nobis tulerit ille, cujus caput ſpinis redimitum, oculi ſordido velo obvoluti, aures convitijs oppletæ, os felle & aceto amaricatum, facies ſputis & alapis fædata, genæ vellicatæ, humeri cruce depreſſi, cor mœrore obrutum, viſcera doloribus concuſſa, corpus flagris conſciſſum, membra extenſa, manus & pedes clavis terebrati, latus lanceâ perfoſſum! Moyſes olim aquas amariſſimas ligno injecto vertit in dulcedinem; non minùs omnis noſtra tribulatio dulceſceret, ſi pro dignitate ponderaverimus dolores Servato-

ris noſtri. Igitur, ô mi JESU, tecum Crucí configi deſidero, ut exinde mundus mihi crucifixus ſit, & ego mundo. Et quemadmodum tu crucifixoribus tuis pepercíſti, imò pro ijs orâſti; ita & ego ex animo dimitto debitoribus meis: tu ignoſce ignoſcenti, & doce me

*Benefacere ijs, qui me oderunt.*

---

xvij. Cal. Decembris. Dies 15. Novembris

*S. Maclovius Epiſcopus in Britannia.*

Cùm mari navigaret ſanctus hic Antiſtes, incidente feſtiviſſimâ Paſchatis die Sacris operari, & comites centum octoginta Epulo divino reficere cupiens, rogavit Dominum, ut locum rei tàm ſanctæ aptum concedere dignaretur. Mox inſulam parvam) vaſtæ molis belluam marinam) conſpiciatus, cum ſuis deſcendit, & quod animo conceperat, ritè peregit: cúmque ad naves omnes redijſſent, cum ſtupore vident Inſulam, quam putaverant, ſe movere, ac fundum petere, agnoſcúntque, vivum corpus fuiſſe.

Hoc videlicet opus fuit dexteræ Excelſi, qui facit mirabilia in terra ac mari; qui Electos ſuos ducit per ignem & aquam, ut inde in refrigerium educat. Hæc verò prærogativa ſolius humani generis propria eſt, nôſſe pro DEO mori: (a) hoc cœli cives neſciêrunt, inquit Bernardus, niſi per Eccleſiæ filios didiciſſent. Omne enim illorum opus eſt, laudare DEUM; atqui non parùm

(a) *Serm. 68. in Cant.*

rùm decedit laudi, ſi deſint, qui dicant: tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium; Concinunt equidem Angelici Spiritus divinum illud Triſagion: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus DEUS Sabaoth; nullus tamen eorum dicere poteſt: vindica ſanguinem noſtrum, Deus noſter: Solium Altiſſimi alis ſuis circumdant Seraphini; nullus tamen illorum ſtolam ſuam in Sanguine Agni dealbavit: legationibus funguntur, cœlósque movent ſpiritus ſuperni; nullus tamen eorum cœlos ſubivit, martyrij laureâ decoratus. Nempe paulò minùs ab Angelis minuit hominem Deus; imò quaſi majorem dignioremque effecit: cui enim Angelorum aliquando dixit Deus: filius meus es tu? cujus ex eorum numero naturæ, hypoſtaticè eſt unitus? cui Angelorum dixit: ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium? & quis eorum præſumit Deum patrem ſuum appellare? Atqui nos, præceptis ſalutaribus moniti, & divinâ inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter, qui es in cœlis.

Pro gratia hac infinitas tibi rependimus gratias, ò ſacratiſſima Trias; & quia tam ego, quàm creaturæ omnes, minores ſumus cunctis miſerationibus tuis, hinc ſpiritu ſupplici imploro divinam pietatem tuam, ut tibimetipſi grates referas, ſuppleásque laudum noſtrarum defectum. Tu in ſtuporem nos rapis attonitos, dum effeciſti, ut Deus Homo fieret, & Homo Deus: imò hunc ipſum Deum-Hominem nobis in cibum ac potum dediſti, ut velut conſubſtantiales illi fiamus, &

ejus paſti carne, ac Sanguine potati, unum quid cum eo efficiamur. Verè

*Magnus Dominus, & magna virtus ejus.*

---

xvi. Cal. Decembris. Dies 16. Novembris.

## *B. Albertus Epiſcopus Ratisbon.*

EXimium Sueviæ, Bojariæ, & totius Germaniæ lumen, Albertus, Lavingæ natus eſt ex honeſtiſſimis parentibus. Monente Deiparâ, habitum divi Dominici etiamnum juvenis recepit à beato Jordano, Generali tum Magiſtro; eum tamen ob ingenii duritiem rurſus deponere cogitans, ab eadem Virgine ſanctiſſima revocatus eſt, quæ eam ſcientiarum reconditarum copiam ipſi infudit, ut exinde Magni cognomen ſit adeptus. Sanctitatis fama, quæ de ipſo vulgabatur, Urbanum IV. & Clerum Ratisbonenſem permovit, ut dictæ Eccleſiæ Paſtor fuerit delectus; quò tamen pompam, quâ excipiendum ſe ſciebat, eluderet, civitatem noctu ignotus intravit, & apud Fratres Ordinis divertit; quam dein humilitatem etiam Pontificali ſublimis culmine perpetuò retinuit. Tandem cùm gregem ſummâ curâ ac vigilantiâ rexiſſet, facultate à ſummo Pontifice multis precibus impetratâ mitram denuo poſuit, & Coloniam rediit; ubi, dum implicatis, quæ ad ipſum referebantur, quæſtionibus reſponderet, ſubitò memoriâ, & rerum omnium ſcientiâ (id quod Virgo olim futurum prædixerat) deſtitutus, ad mortem imminentem ſedulò ſeſe præpa-

rare

are cœpit, quam etiam ſanctiſſimè obiit, inter beatos æternum victurus.

Quantâ devotione erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ Myſterium fuerit affectus, ejus ſcripta ſatis loquuntur, quæ in inrer alia ſic habent: (a) Sacramentum hoc, Sacramentum eſt omnium Sacramentorum, continens in ſe omnia divina charismata; cibus eſt, nutriens animam in vitam æternam, Viaticum, confortans & refocillans, pignus æternæ gloriæ, & condimentum divinitatis: tibi etenim, Domine, ita incorporati meremur offerri in templo divinæ Majeſtatis, ut ſimus particula corporis tui, quod in dextra Patris eſt collocatum:

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini, & altiſſimum ponere refugium ſuum geſtit. Meritò itaque de infinita bonitate tua confido, & taliter confido, ut, quamvis me projiceres à facie tua, & ad portam uſque inferni detruderes, animum tamen non deſponderem, ſciens, te Dominum eſſe, qui mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Certus præterea ſum, plus me amari à te, quàm ipſe me amare poſſim; atque paratum te eſſe, in quavis animæ & corporis neceſſitate mihi ſubvenire. Imò tantum de te confido, ut, quamvis me cum Petro mergi permitteres uſque ad genua, imò cuivis periculo, caſui, anguſtiæ, tribulationi collotenùs, & eò uſque immergi, ut omnes de ſalute



(a) *Lib. 3. de Euch. diſt. 3. tr. 4. c. 4.*

mea deſperarent, maximâ tamen ſpe ac fiduciâ firmiſſimâ ad te emergerem, probè ſciens, quò majus eſt periculum, eò majorem etiam eſſe curam tuam, & celeriorem mihi ſuecurrendi propenſionem: ſi enim tibi de omnibus, etiam minimis creaturis, cura eſt; quomodo hominem derelinquas, quem ad imaginem tuam condidiſti, & pretioſo Sanguine tuo redemiſti?

Potuit amor tuus infinitus te inducere, ut divinum hoc Sacramentum inſtitueres, teipſum in cibum apponendo; & non poſſit, vehtque idem amor, famelicum me paſcere, nudum veſtire, periclitantem juvare, derelictum aſſumere, puſillanimem ſolari, reſpicere flebilem, ab omnibus tandem deriſum ac proculcatum audire, quum ad te clamaverit? In te, Domine ſperavi; &

*Altiſſimum poſui refugium meum.*

---

XV. Cal. Decembris. Dies 17. Novembris.

## *S. Gertrudis Virgo.*

NObiliſſimis orta parentibus Islebii in Comitatu Mansfeldenſi Gertrudis, in Rodardenſi ſancti Benedicti cœnobio etiamnum quinquennis ſe Deo conſecravit, adeò exinde à Sponſo divino amata, ut & cor ipſius jaculo ignito vulneraverit, & ſibi ipſi inſeruerit, cor ſuum viciſſim illi tradens. Virgine cœlorum Reginâ conciliante, JEſulum in ſinum ſuum recepit, eſque annulo dato, deſponſa eſt. Viſionibus cœleſtibus recreata multa, atque ſublimia intellexit, promiſſimque à Deo

obti-

obtinuit, neminem, qui ejus patrocinium devotis obſequiis prenſaturus eſſet, de hoc mundo exiturum, quin ejus converſatio Deo placitura priùs eſſet. Denique amore potiùs divino quàm alio morbo languentem Chriſtus, ſanctiſſimâ Matre, dilecto diſcipulo, & candidiſſimo Virginum choro comitantibus, corpore exolvit, ac intra cordis ſui penetralia receptam, in cœleſtem thalamum induxit.

Epulo Euchariſtico ſummè addicta cibum corporalem nauſeabat, nec ſine lacrymis ſacram Synaxin frequentabat. Dubitans aliquando, an frequens adeò communio quibusdam permittenda eſſet, lucem à Deo petiit, audiitque eum ſibi dicentem: cùm deliciæ meæ ſint, eſſe cum filiis hominum, & in hunc finem inſtituerim iſtud ſacrum Myſterium, ut eſſem cum meis uſque ad conſummationem ſæculi; impediens quemquam (excepto ſtatu peccati mortalis) aufert mihi has delicias, non ſecus ac moderator, qui regio alicui Principi familiaritate nobilium epheborum, quòd conditionis inferioris ſint, interdicit.

Reſponſum, ſuper mel & favum dulce in ore meo, & quod tollit omne dubium, omnem foras mittit timorem; quò minùs fiducialiter ad Dominum meum accedam. Quamvis enim indignſſimus ſim, ut intret ſub tectum meum Deus meus; dignus sam efficiar ſolâ ejus bonitate.

Te igitur, ò bone JESU, gaudium Angelorum, & gloria ſanctorum tuorum, laudo, amo, colo, adoro humillimè, rogans, ut in hac ho-

ra te Deo Patri pro meis peccatis offeras, ſicut te in cruce pro totius mundi ſalute obtuliſti. Tibi gratiæ infinitæ pro eo, quòd hoc inæſtimabile Sacramentum dignatus es inſtituere, per quod cœlum & terra reconciliantur, & immenſis gratiarum donis replentur. Coram te, ò auguſtiſſimum Myſterium, cum ſumma reverentia procido, & cum omnibus Angelis atque Archangelis, Cherubinis ac Seraphinis, cum ſanctiſſima Virgine Matra tua, ac dilecta Sponſâ tua Gertrude, in cujus corde tam dulciter habitâſti, cúmque omni militia cœleſtis exercitûs hymnum gloriæ tuæ concino, centies millies, imò ſine fine ingeminans: Laudetur & adoretur ſanctiſſimum Altaris Sacramentum. Dixiſti olim, Domine, vivente adhuc Sponſâ tuâ Gertrude, ad ſanctam Mechtildem: vel in ſacroſancta Hoſtia, vel in corde Gertrudis invenietis me: ejusdem meritis tribue mihi divinum amorem tuum, ut in templis inveniam, quem diligit anima mea; inveniam, nec ampliùs dimittam; quia

*Magna eſt multitudo dulcedinis tuæ.*

---

## xiv. Ca.. Decembris. Dies 18. Novembris.

### *Dedicatio Baſilicæ SS. Petri & Pauli.*

SAnctis Apoſtolorum principibus Petro & Paulo templum ſtructurus Conſtantinus Magnus, poſito diademate in terram hodie ſe abjecit, lacrymásque uberrimas præ devotione profudit: tum arrepto ligone ac bidente terram ipſe eruit,

ac

= honori duodecim Apoſtolorum totidem one-
avit cophinos, & aliò aſportavit, poſitísque
pidibus initium dedit Baſilicæ, cujus dedicatio-
em hâc die celebramus.

Inde diſco, ſtructuram templi, quâ cor meum
DEO in habitaculum conſecrem, inchoandam
Ile à copioſa lacrymarum profuſione, ortum tra-
ente à concepto dolore de offenſa DEI: inde
arios virtutum lapides ſuperponendos, juxta il-
ad Petri: (a) & ipſi tanquam lapides vivi ſuper-
edificamini domûs ſpiritualis, nempe ſummo an-
gulari lapidi, Chriſto JESU. Certè (b) aliud
undamentum nemo ponere poteſt, præter id,
uod poſitum eſt. Siquis autem ſuperædificat ſu-
er fundamentum hoc aurum, argentum, lapi-
les pretioſos, lignum, ſtipulam; uniuscujusque
pus manifeſtum erit; dies enim Domini decla-
abit, quia in igne revelabitur; qui terrena om-
ia uti ſtipulam & fænum abſumet, aurum au-
em & argentum purgabit, lucidioráque red-
let.

O JESU, in multitudine miſerationum tuarum
præſumo te invitare ad me, non ſolùm ut te
ecipiam, ſed & veniam peccatorum impetrem,
uam humillimè peto. Remitte ergo mihi, JE-
u pijſſime, & omnibus pro quibus oro, ſicut
emiſiſti Magdalenæ; Petro, & alijs verè pœni-
itentibus; non enim vis mortem peccatoris, ſed
t magis convertatur & vivat. Doleo autem,
c eâ amaritudine defleo peccata mea, ac ullus
nquam pœnitens ſua deflevit. Ju-

(a) Ep. 1. c. 2. (b) 1. Cor. c. 3.

Jubes præterea, ut aliquid petam à te. Sed quid ampliùs petam à te, qui tantum mihi jam dediſti, ut plus dare non poſſis? Te enim ipſum in plenam animæ meæ refectionem dediſti, & divinam præſentiam tuam continuò in templis tuis mihi exhibes. Nihil ergo, quod à te petam, mihi reliquum eſt, quando miſericordia tua jam me prævenit; &, antequam clamem ad te, exaudis me, atque præparationem cordis mei reſpicis: & ſicut ineffabilis tua providentia perfectiùs proſpicit, quid mihi ad ſalutem neceſſarium; ita ex te omnimodis dare paratus es; etenim

*Petentibus à Domino miſericordia eſt.*

---

xiij. Cal. Decembris. Dies 19. Novembris.

*S. Eliſabetha Vidua T. O. S. Franc.*

ALtiſſimè cordi ſuo impreſſerat ſancta Eliſabetha, non decere ſub capite ſpinoſo delicatum eſſe membrum, neque dandam voluptati operam, dum Dominus noſter in patibulo penderet. Inde quoties Eccleſiam ſubibat, regium diadema capiti detrahebat, non, niſi poſt egreſſum illud reaſſumens. Aliquando ſub Sacro raptam in ſpiritu ita eſt affatus Sponſus divinus: ſi tu vis eſſe mecum, ego volo eſſe tecum; & nunquam volo ſeparari à te.

Verè mellea ac dulciſſima verba, cor ipſum ac medullas penetrantia! Et quis nolit eſſe cum Domino tam bono, tam amabili? Felix Eliſabetha, quæ maximo gaudio, intimo cordis jubi-

ro, & manantibus præ dulcedine lacrymis Deo invitanti aſſenſum præbuit: at ſimul felices nos, quibus idem, quod Eliſabethæ, dicit Dominus; ecce, inquit, ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi. Et alibi: deliciæ meæ, eſſe cum filijs hominum. Cuique ergo noſtrûm dicit: volo eſſe tecum, ſi tu vis eſſe mecum; & nunquam volo ſeparari à te, niſi per peccatum me à te repellas. Abſit, Domine, ut te repellam; abſit, ut ullum peccatum ſciens volens admittam; tu per virtutem ſacroſancti Corporis & Sanguinis tui libera me ab omnibus iniquitatibus meis, & fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas. Tu, ſpecioſus formâ præ filijs hominum, me, facie denigratum ſuper carbones, & diabolicam referentem deformitatem, non deſpexiſti; imò proprio meritorum tuorum ornatu, & regiâ Paſſionis tuæ purpurâ condecorâſti. Hinc tibi offero omnem livorem, pallorem, contemptum, ſpeciem leproſo ſimilem, vulnera, flagra, ſpinas ac mortem acerbiſſimam, quam amore mei ſubijſti; & quia non decet, ſub capite ſpinoſo delicatum eſſe membrum; inde crucis mortificationem in corpore meo jugiter circumferam, juxta illud Tertulliani (a) monitum: veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpurâ pudicitiæ; & illud Auguſtini; (b) inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis; caput ſiabet

(a) *De cultu fœm. c. ult.* (b) *Lib. de Virg.*



*brum.*

xij. Cal. Decembris. Dies 20.

*S. Columbanus Abbas.*

PRecibus ſuis carcerem aperuit C
ſimúlque vincula rupit, quibus
nebantur. Hi concito ad templu
perabant, gratias DEO acturi pro
cio; ſed clauſæ fores ingreſſu arce
tes verò à tergo imminebant, a
profugos retracturi: denuo itaque
in vota vocatur; & qui vinctos nex
rat, fugientes apertis templi valvis
ſylo tuetur.

Ecce conſiſtit coram te, miſerato
cors Domine, anima mea, vinculis
ſtitiæ tuæ jam dudum conſtricta, inſ

ricordias tuas in æternum decantet, ac laudem uam annuntiet in generationem & generatio- nem. Verùm dum omne me diſcrimen eva- iſſe credo, ecce Pharao ſtygius, Iſraëli fugien- i ſemper infeſtus, me inſequitur, ut in ſervi- utem, ac vincula retrahat: Tu, Domine, qui iperis, & nemo claudit, aperi ſinum immenſæ ɔonitatis tuæ, nec permitte, ut ullo unquam ɔeccato graviori à te ſejungar. (a) Hæc eſt e- nim virtus DEI, ut quivis peccator, qui undâ Chriſti ablutus fuerit, redivivâ nativitate infantiæ nnocentiam præferat. Tu, admirabilis rerum ɔmnium, maximè humanæ conditionis opifex, nirabiliter nos condidiſti, ſed mirabiliùs refor- nâſti; dignare ulteriùs, in me opera divinæ tuæ ɔietatis, miſericordiæ & charitatis operari; e- duc vinctum de tenebris, & umbra mortis; con- lona errata, & receptum in gratiam, in eadem robora; qui, ut Pater miſericordiarum, mei mi- ſertus, paternâ charitate mihi occurriſti, méque que, quamvis prodigum filium, clementiſſimè ſuſcepiſti, poſtquam vitâ perverſâ comparatus fueram jumentis inſipientibus, & ſimilis illis fa- ctus. Itaque miſericordias Domini in æternum cantabo; quia propitiatur omnibus iniquitatibus meis, & ſanat omnes infirmitates meas; quia redimit de interitu vitam meam, & coronat me in miſericordia & miſerationibus, replens in bo- nis deſiderium meum,

*Miſerator & miſericors Dominus.*

xi. Cal.

(a) *S. Thom. Aquin. de Indulg.*

xi. Cal. Decembris. Dies 21. Novembris.

*Præſentatio beatiſſimæ Virginis Mariæ.*

MARIA, triennis parvula, DEO, Angelis & hominibus ter amabilis, hodie à ſanctiſſimis parentibus in Templo præſentatur, munus, præ omnibus, eâtenus oblatis, acceptum Deo: neque in mora eſt cœleſtis Infantula; & gradus, ad Templum ducentes, ſummâ ſpiritûs ac corporis alacritate ſe ſolà aſcendit. Trimula Maria, inquit ſanctus Germanus, (*a*) puella valde lætans ibat in Templum Domini, tanquam ad thalamum, nec dubium, ſeipſam obtuliſſe in Templo, non ob aliam rem, niſi ut à mundi ſtrepitu elongata, DEUM amaret ſolum, continuò ei adhærens. Addit Damaſcenus: (*b*) in Domo Dei plantata, & impinguata Spiritu ſancto, inſtar olivæ fructiferæ omnium virtutum habitaculum eſt facta: Templum igitur Dei animatum, hodie in Templo Deo dicatur & offertur.

Salve Heſtia placationis, munus DEO gratiſſimum, filia æterni Patris, Filij Mater, Sponſa Spiritûs ſancti, Maria parvula, Maria trimula: Templum totius ſanctiſſimæ Trinitatis, altiſſimus meritorum Libanus, in quo lilium Virginitatis efloruit, & in ſalutem omnium gentium prodivit; hortus concluſus, in quo flos divinus de radice humilitatis aſcendit; ô Virgo Virginum, gratiſſimus ſacroſanctæ Triadis paradiſus, in quo ob re-

(*a*) Orat. 5. de oblat. (*b*) L. 4. *de fide Orthod.*

eruditiſſimos virtutum floſculos Deus ipſe ſibi omplacuit; in quo fragrantiſſima ardentium ad )eum affectuum germina excreverunt, & ſaluti- eræ maternarum gratiarum herbæ, in remedium )eccatorum frondueruntt.

Adjuva me, Mater piiſſima, ut, cùm venerit id me Filius tuus, gratam ſibi in anima mea in- veniat manſionem. Sic te diligo, Virgo aman- iſſima, ut ſummo afficiar gaudio, quòd ad tan- am à Deo gloriam ſis evecta: hanc millies tibi gratulor, optóque ex animo, ut verbum quod- vis, quivis membrorum motus, & cordis mei pulſus )eculiarem tibi laudem adferat, meúmque erga e amorem ſingulari ratione teſtetur. Tu, Ro- a myſtica, & balſamum puriſſimum, inſpira cor- li meo tuæ ſuavitatis odorem; ut, ubi Filius tuus llud ſubire dignatus fuerit, odore tuo virgineo exhilaretur ac recreetur; & ita fiam

*Chriſti bonus odor.*

---

## x. Cal. Decembris. Dies 22. Novembris.

### *S. Cæcilia Partheno-Martyr.*

QUamvis virginei pudoris ſingularem haberet cuſtodem Cæcilia; corpus tamen cilicio, je- junio & oratione domabat, ſacræ inſuper lectio- ni intenta. Eundem Angelum Cuſtodem Sponſo Valeriano, & Germano ejus Tiburtio oſtendens, utrumque ſerto cœleſti coronavit, & ſupernis o- doribus recreavit.

Quum hodie ad ſacrum Altare acceſſurus ſum, ex intimo devotionis affectu dicam cum beata Cæcilia: Fiat, Domine, cor meum, & corpus meum immaculatm, ut non confundar tu enim, Domine, ſeminator es caſti conſilij; tu das, ut continenter vivant fideles tui. In die deſponſationis illius (verba ſunt Magni Alberti (a)) edentes Sponſi membra, & bibentes ejus Sanguinem, nuptialem illius communionem aſſequuntur. (b) O quàm beata amantibus hora illa, in qua Sponſus, Chriſtus, cordis noſtris ingreditur thalamum; (c) Corpus ſiquidem Chriſti dulce ſignificat, hoc bonum eſt, quia tenebras mentis illuminat, & omnia mala expellit.

En, charorum chariſſime, tu mare gratiarum; ego, modica guttula, me tibi immergo, tu me abſorbe. Tu vera vita animæ, introëam per te in te, ut affectu & amore habitem in te: dum & ipſe cupis habitare in me, efficiens me templum DEI vivi. Tu, Rex gloriæ, ſanctifica tabernaculum tuum; redde cor meum, & corpus immaculatum tuâ præſentiâ, tuâ gratiâ, ut in medio mei non movearis, minùs graviori aliquâ noxâ expellaris. Quis ego ſum, quòd viſitatione tuâ Euchariſticâ toties me magnifices? aut quid apponis cor tuum erga me, ut quotidie me inviſas, & ipſe venias ad me, Deus immenſæ Majeſtatis? mag-

(a) *In Cant. c.* 3. (b) *Laur. Juſt. ſerm. de* Euch. (c) *S.* Thom. opuſc. 18.

magnum profectò esset, si vel Angelum ablegares ad me; nunc autem non Angelum, sed Angelorum Dominum susceperus jam hospitio: & unde hæc tanta dignatio tua? cur adeò te humilias? Nempe pietas tua amoris vinculis te constrinxit, & humilitas tua trahit te in funiculis charitatis; ut quasi vi adactus ad me venias. O vim suavem, quia ipse vis, quemadmodum pro nobis oblatus fuisti, quia ipse voluisti. Propera igitur ad me, & visita me, qui hominum amore captus es; captiva me amore tuo, meque tibi alliga funiculo fidei, vinculo spei, catenâm aureâ charitatis, ut firmiter credam in te, indesinenter sperem in te, ardenter diligam te. Serva cor meum, Servator piissime, donec illud repetam; & da mihi interea cor tuum dulcissimum, cujus gratiâ, virtute, & pretio fructum feram tricesimum per fidem, per spem sexagesimum, centesimum per charitatem.

*Credo. Spero. Amo.*

---

## ix. Cal. Decembris. Dies 23. Novembris.

### *S. Clemens Papa & Martyr.*

CUm JESUM, Agnum DEI, mundi peccata auferentem, sub Agni schemate vidisset sanctus Clemens, simul sub ejusdem pede fontem limpidissimum conspexit, eóque prodigio mul-

ta millia ad fidem perduxit. Inde anchoræ alligatus, in mare præcipitatur. Sed angeli eidem ædiculam marmoream in maris fundo poſuerunt; ad quam marè, aliquot milliaribus retrocedens, iter fidelibus patefecit.

Miraculum iſtud fontis, ſub Agni pedibus ſcaturientis, quotidie inſtauratum cernimus in ſacro Altari; ubi ipſe Agnus DEI, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit, eſt fons aquæ vivæ, ſalientis in vitam æternam, cujus impetus lætificat fidelium corda, totámque DEI civitatem, id eſt, Eccleſiam ſanctam, in terris militantem. Igitur quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus. Verùm aliunde aquæ multæ intraverunt usque ad animam meam: cor enim impii, inquit ex Propheta Auguſtinus, quaſi mare fervens; jube ergo, Domine, ut fiat tranquillitas magna; congregentur aquæ, id eſt, diſtortæ affectiones, eradicentur, comburantur; & appareat arida. Inferiores aquæ, addit Bernardus, certis contineantur alveis, neceſſitatis terminos non excedant. Hinc reſtringatur gula, appetitus hominis inferioris, exceſſus linguæ; ceſſent jurgia & lites; frænetur pars concupiſcibilis, iraſcibilis ſub rationis jugum cogatur, ut locus DEI in pace fiat. Columba à Noëmo emiſſa, cùm non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt in

arcam

arcam ; ita Spiritus ſanctus non permanebit in homine , ſi caro ſit , & carnis appetitui ſubdatur. Non ſine juſto dolore queſtus eſt olim Propheta : (a) Maledictum , & homicidium , & mendacium , & furtum , & adulterium inundaverunt ſuper terram ; & ſanguis Sanguinem tetigit : ita nempe cor impii , quaſi mare fervens , concupiſcentiis jactatur carnalibus ; & quâ ratione corda talia ſubeat Spiritus pacis ac charitatis ? Inferiores aquæ certis limitibus coërceantur ; & ita in vaſe fictili virtutes DEI invenientur , ita præcepta DEI , & Eccleſiæ ſedulò obſervabuntur , ita homo Angelus coram DEO erit , & cœlum magis , quàm terram ſapiet , vivétque ſecundùm ſpiritum , utpote non natus ex ſanguinibas , aut carnis voluntate. Tu , Domine , qui imperâſti mari , & ventis , & facta fuit tranquillitas magna , dona mihi cor quietum , cor ab omni affectu humano depuratum ; inferiores aquas ſuis limitibus contine ; ita

*Erit in pace locus tuus , & habitatio tua in ſion.*

---

viii. Caſ. Decembris. Dies 24. Novembris.

*Ven. Nicolaus Ciſtercienſis.*

(b) NAtione Belga , monachus profeſſione era Nicolaus , & res Monaſterij ſui procurabat ; cúmque hyemali tempore iter faceret , re-



(a) *Oſe. c. 4.* (b) *Chron. Ciſterc.*

pentè conſpexit infantem ſpecioſiſſimum, inter nives rigentem, largiterque plorantem. Motus ergo commiſerationis affectu Nicolaus equum mox deſerit, puellúmque, cujas eſſet, & qua de cauſa tantæ aëris, temporisque inclementiæ expoſitus, interrogat. Repoſuit puer, diu, inutiliterque haud quæreret, & ſe potiùs tantis malis ſubduceret. Itaque maximo cum affectu infantulum complexus vir beatus, equum denuo ſcandit, lacrymas abſtergit, frigore trementem pallio contegit, fovétque, & ad Monaſterium properat, plura charitatis officia eidem impenſurus: ſed ecce, puer repente è manibus oculíſque Nicolai abit; qui fugientem clamore & ejulatu profecutus, heu, puer bone, ingeminabat identidem, puer pulcherrime, quare me dereliquiſti? cur tam cito abiiſti? cur te perdidi?

Fide certus ſum, Chriſtum ſub velo Euchariſtico latere, méque eundem toties complecti cum Nicolao, quoties ipſum ſuſcipio. Verùm ille divinum Puſionem fovit, texit, calefecit, in equum ſuſtulit; ego eundem nudum in frigore & nivibus relinquo, nec de via tollo, ſed potiùs in viam abjicio: ſiquidem cor meum, triti itineris adinſtar, quibusvis ſæculi phantasmatibus patet; mens mea, glaciè rigidior, nullo pio calet affectu, nullis infantem formoſiſſimum ſtringit blanditiis, nullis amoris oſculis fovet, aut contegit chari-

charitate. Quid ergo mirum, ſi is frigeat, ſi lacrymetur, ſi loco deliciarum, quibus eſſe cupit cum filiis hominum, mærorem potiùs capiat? quid mirum, ſi abeat à me, & oculis ſe ſubducat? O quàm jure timeo tremendam illam exprobrationem: hoſpes eram, & non collegiſti me; nudus, & non cooperuiſti me; eſurivi, & non dediſti mihi manducare; ſitivi, & non dediſti mihi bibere!

Pone JESU, puer pulcherrime, noli à me diſcedere; quare tam citò me derelinquis? cur te perdidi? quare abiiſti? Deinceps majori te diligentiâ ſuſcipiam, ampliori curâ cuſtodiam, intimiori affectu fovebo, oſculis ac amplexibus me tibi conjungam, neque poſt greges ſæculi iſtius vagabor; ut ſic

*Viſitatio tua cuſtodiat ſpiritum meum.*

---

## vii. Cal. Decembris. Dies 25. Novembris.

### *S. Catharina, Virgo & Martyr.*

BEata Mechtildis, in ſpiritu rapta hâc die, rogavit divam Catharinam, dignaretur ipſa, ſenſum antiphonæ illius (ut vocant) ejus honori ſæpiùs hodie decantari ſolitæ (videlicet: *Cujus vultum, & decorem concupivit Dominus*) ſibi aperire. Reſpondit ſancta Partheno-Martyr: ſcias,

faciem, vel vultum meum, imaginem fuisse sanctissimæ Trinitatis; decorem autem, & pulchritudinem, honorem illum, quo Christus pretioso suo Sanguine corda fidelium ornat; qui ornatus toties renovatur, quoties homo devotè sacram percipit Synaxin.

Gratiæ tibi sint infinitæ pro quotidiana tua in sacro Sacramento unione, quâ mediante indies tenerrimo Sponsalis amoris affectu contracta nobiscum sponsalia innovas. Dilecte mi, cùm ego minor sim cunctis miserationibus tuis, & impar persolvendis tibi debitis gratiis; tu ipse dignare unà cum Virgine Matre tua, totáque aula cœlesti, defectus meos supplere, & laudis tibi hostiam exhibere in festiva hilaritate tuæ Humanitatis, in qua nobis similis esse voluisti; & dignatus es, naturam nostram præ angelica eligere, atque animas nostras tibi desponsare, quemadmodum desponsâsti tibi dilectam virginem Catharinam. O Castissime animarum Sponse, trade mihi, velut tesseram sponsalis hujus unionis, cor tuum sanctissimum, cùm meum vicissim pridem tibi tradiderim ac consecrârim. Ita mutuâ hâc traditione fiet, ut sit nobis cor unum, anima una, una eademque voluntas, unus locus, hæreditas una, conjunctio eadem, & libertas perpetua. Sic, sic erit

*Dilectus meus mihi, & ego illi.*

vi. Cal.

vi. Cal. Decembris. Dies 26. Novembris.

## *Ven. Eliſabetha Reuthenſis, vulgò* Bona *dicta.*

(a) COlitur in Suevia venerabilis Eliſabetha, vulgò *Bona* appellata; quæ in feſto ſanctæ Catharinæ nata, eodémque denata eſt, cùm annos Chriſti Servatoris attigiſſet. Admirandos prorſus à DEO favores obtinuit: integrum triennium ſine ullo corporali cibo transegit; hunc cùm ei dæmon, Magiſtram mentitus, porrigeret aliquando, ipſa mox ægrotare cæpit, & graviſſimis à ſtygio hoſte cruciatibus vexata, invictâ patientiâ univerſa tulit: Non ſolùm ſacra ſtigmata in manibus, pedibus ac corde recepit, ſed & reliquos Chriſti Domini cruciatus in corpore ſenſit; à capite ad calcem haud aliter lacerata, ac ſi virgis diſciſſa fuiſſet, copioſum Sanguinem profundebat, præcipuè verni jejunii tempore, ac veneris diebus. Caput videbatur velut ſpinis redimitum, patebántque ſeptena in eo vulnera, ac ijs infixi junci acutiſſimi, quales Chriſtus hominum amore tulerat. Frequenter extra ſe rapta, animabus in igne luſtrico opem tulit; ſubinde biduum integrum ſine ſenſu jacuit, & ad ſe rediens, interrogantibus reſpon-

 dit,

(a) *Ex MS. Parthenonis Reuthenſis.*

dit, à se visa, edici non posse. Christo, mendici centonibus tecto, panem porrexit; eidem instar parvuli apparenti blandita est; ter ejus corpus glorificatum, & seipsam, velut manibus illius sustentatam, ceu in speculo vidit; Prophetæ dono absentia, futuráque agnovit; in horto domestico orans, vestigia pedum, lapidi cuidam impressa, & etiamnum extantia reliquit; cùm aliquando Cibi Eucharistici desiderio langueret, Christus ipse, Angelis Lumina præferentibus, sacræ Hostiæ partem, ab Ara (ubi ejus Confessarius sacrificabat) sublatam, illi porrexit.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Pane etenim de cœlo præstito esurientes tu ipse saepiùs refeciſti. (a) Scio, Domine, quòd sis puritatis amator, & castarum mentium Sponsus; cor purum quæris, & ibi est locus requietionis tuæ. Vis cænaculum grande, stratum, ut facias ibi cum Discipulis tuis Pascha. Expurgabo itaque vetus fermentum, & mundabo cordis mei habitaculum; excludam sæculum totum, & omnem vitiorum tumultum; sedebo, tanquam passer solitarius in tecto, & recogitabo annos meos in amaritudine animæ meæ: omnis enim amans dilecto suo amatori optimum & pulcherrimum præparat locum; quia in hoc agnoscitur affectus sucipientis dilectum. Scio equidem, in

(a) Kemp. l. 4. de Imit.

in præparatione hac non poſſe me ſatisfacere debito meo pro merito, etiamſi per integrum annum me præpararem, & aliud in mente non haberem; ex ſola namque pietate & gratia tua permittar ad Menſam tuam accedere, acſi mendicus ad prandium vocaretur divitis, & ille nil aliud haberet ad retribuendum beneficijs ejus, niſi ſe humiliando, & ei regratiando. Verè ego talis mendicus ſum, qui cum filijs tuis in circuitu Menſæ tuæ quæro micas panis decidentes. Et quid dico, cum filijs? inſtar catelli famelici reliquias de Menſa tua quæro. Quòdſi reponas mihi idem, quod olim Chananeæ dixiſti: (a) non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & dare canibus; cum eadem replico: etiam, Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Oportet enim, inquit Auguſtinus, (b) ut menſa illa lacteſceret, & ad parvulos perveniret. Inde DEI Filius ſemetipſum exinanivit, ut homo panem Angelorum manducaret: niſi enim humilis eſſet, non manducaretur; nam

*Cum humilibus & ſimplicibus ſermocinatio ejus.*

v. Cal.

(a) *Matth.* 15. (b) *In Pſal.* 33.



Aprætèr voluntatem ſuam divi Ud
ritate promotus Conradus, ter ſac
loca, Chriſti Servatoris veſtigijs nõb
ma cum devotione inviſit. Redux i
cleſia ſancti Mauritij Conſtantiæ ſepu
mini, ad normam Hieroſolymitani
ſtruxit, additis duodecim Clericis, q
ſervirent. Lacum Acronianum ſiccо
ſivit nocte, ut matutinas DEO laud
decantaret: Sacellum Heremitanum
Almæ Virginis conſecrari ab ipſomet
ſens aſpexit. Cùm ſancto Paſchatis
ſolenne pro morę faceret, araneam
Calicem delapſam, quò omnem ca
rentiam, intrepidus glutijt, præſent
Dominico eâdem animi conſtantiâ
porro ex ore prandentis innoxiè prc
verum eſt, quod de verè credentib
vator: ſi mortiferum quid biberin
nocebit.

judicium ſibi bibit. Nónne judicium ſibi
it infauſtus ille proditor, in quem poſt ac-
m buccellam introivit ſathanas? Nónne ju-
n ſibi manducavit & bibit ſacrilegus ille Udo
ienopolitanus, à divina inde vindicta even-
neſto ſublatus? Idem de alijs pluribus, qui
næ in interitum traditi fuerunt. Verè mi-
ordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti;
pijſſimus DEUS indignis Sacerdotibus toties
t, neque permittit, ut peſſima Optimi hu-
orruptio eis ſit nocumento. Stupendum
:ctò, quòd hujus furfuris homines non om-
s membris contremiſcant, & uſum linguæ
tant, timentes horrendum illud: tollatur
us, ne videat gloriam DEI; dilatet infernus
am ſuam, & os ſuum absque termino, ad
legos hos proditores, Chriſtum rurſus ſibi-
pſis crucifigentes, abſorbendos. Verè mi-
ordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.
Domine, qui habes inclinandorum cordium
ipotentiſſimam virtutem, illumina cæcos,
ue ignaros, ut ſciant, quid agant; reduc
rantes, ut cognoſcant Nomen ſanctum tuum;
ıa corda noſtra ad faciendas juſtificationes
: (a) ubi enim intrat charitas, fugit volu-
; illa gladius eſt cœleſtis, qui carnis & a-
e conſœderationem dividit, & deturbat ho-
, purgationem peccatorum faciens. Parce,
ine, parce omnibus malis Sacerdotibus, ſi-

cuti

a) *Laur. Juſt. in faſcic. anim.*

cuti peperciſti in cruce ſijs, qui te bl
mant, Patrem pro ijs orando; certè
tiam neſciunt, quid faciunt; aut ſi ſciunt
rem non recogitant corde, quod agunt,
ô Domine, omnes Miniſtros tuos altiſſim
Myſterio intentos, attentósque, ut nemo
*Judicium ſibi manducet ac bibat.*

---

iv. Cal. Decembris. Dies 28. Novem

## *S. Jacobus de Marchia.*

DIgnus Seraphici Patris Filius Jacobus, c
Domo Lauretana Sacrum faceret,
DEUM rogavit per merita Almæ Matris,
letudinem, ab integro jam novennio col'a
ſibi reſtitueret. Ad Hoſtiæ diviniſſimæ Ele
nem ſpectabilis ſacrificanti adfuit Virgo Dei
dixitque: Aliam fili, tibi gratiam pete; ha
nim jam obtinuiſti.

Quòdſi mihi quoque daretur optio, gr
aliquam Virginis ſanctiſſimæ interventu pete
aliud certè non peterem, quàm ipſam DEI
tiam, quâ vitam emendarem, & ita dei
inſtituerem, ut DEO, & pijſſimæ ejus
placeret: gratiam peterem, vitia quævis ra
tùs extirpandi, tollendíque, ea præcipuè,
duriùs me premunt, longiúsque à DEO aver
peterem demum gratiam, quâ ad DEI vol
tem, Davidis exemplo, totum me compara

(a) Christus pro salute nostra oravit cum clamore valido, & lacrymis; & exauditus est pro sua reverentia.

Orabo & ego per merita Sanguinis Christi; nec dubium, quin audiendus sim; ipse enim ait: si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis. (b) Etenim Sanguis Christi quasi tuba exaltat vocem suam; & meritò Christus auditus est, quia (c) sancta Sanguinis ejus effusio clamor validus est, in quo exauditus est à Patre.

Mitissime JESU, qui admirabile Sacramentum tuum ad solatium omnium afflictorum, & auxilium in te confidentium nobis es largitus; nam parâsti mensam adversùs omnes, qui tribulant nos; ecce, Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Tu optimè nôsti, quibus maximè indigeam, quibus animæ ac corporis ærumnis premar, quibus affectibus disturber: Fateor equidem, justissimam indignationem tuam peccatis ac vitijs meis me promeruisse, méque longè infra condignum à te castigari; Fateor, justum te esse, & rectum judicium tuum. Sed quia Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis es, longanimis & multùm misericors, neque vis mortem peccatoris,

(a) *Hebr. c. 5.* (b) *Ambros.* (c) *Bern. Ep. 7.*

ris, ſed ut magis convertatur & vivat; ec
cor meum, contritum & humiliatum, quod
que non deſpicies; ecce veniam de omnibus p
peràm admiſſis humiliter peto, ac propono
miſſimè, nunquam deinceps te offendere: M
rere calamitatibus meis, & fac mecum miſ
cordiam; exaudi ſperantem in te, ſuccurre
hi in quibusvis animæ meæ miſerijs, & ab c
ni iniquitate cuſtodi me, qui nunquam me
ſeruiſti. Spero proinde in miſericordijs tu
quarum non eſt numerus; ſiquidem

*Tu es Spes mea, & Portio mea in terra Vi*
*tium.*

## Finis Partis ſecundæ.



Indet

# INDEX

## nctorum & aliorum Virorum Fæminarum, opinione Sanctitatis Illustrium, qui hoc opuſculo continentur.

### A.


Abundantia. — 19. Januarii.
Adelhaidis Imperatrix. — 16. Decembris.
Ado Epiſcopus. — 17. Decembris.
Afra Mart. — 7. Auguſti.
Agnes Virg. & mart. — 21. Januarii.
Agnes Politiana. — 20. April.
Albertus Magnus. — 16. Novemb.
Aldegundis. — 30. Ianuarii.
Alexius. — 17. Julii.
Alferius Abb. — 12. April.
Aloyſius Gonzaga. — 21. Junii.
Amadeus Epiſcopus. — 19. Februarii.
Amadeus Sabaudus. — 30. Martii.
Ambroſius Epiſcopus. — 7. Decembris.
Anacletus Papa mart. — 13. Julii.
Anaſtaſius Mart. — 22. Januarii.
Andreas Apoſt. — 30. Novembris.
Andreas Corſinus. — 4. Februarii.
Andreas de Chio. — 29. Maji.
Andreas de Avellino. — 10. Novembris.
Angelus. — 5. Maji.
Angeli Cuſtodes. — 2. Septembris.

Ven. Angela Daniſia. 7. Octobr
Ven. Angela de Pace. 21. Octobr
S. Anna Mater Virg. Dipp. 26 Julii
Annuntiatio B. Virginis. 25. Martii
S. Ansgarius. 3. Februarii
S. Anſelmus Lucenſis 18. Martii
S. Anſelmus Cantuar. 21. Aprilis
S. Antonius Abbas. 17. Januarii
S. Antonius Patavinus. 13. Junii
S. Anthelmus Epiſcopus. 26. Junii
S. Apollinaris Epiſcopus Mart. 23. Julii
S. Apollonia Virg. Mart. 9. Februarii
Apparitio S. Michaëlis. 8. Maji
S. Arſenius Eremita. 19. Julii
Aſſumptio Beatiſſimæ Virginis. 15. Augusti
S. Athanaſius Epiſc. 2. Maji
S. Auguſtinus Epiſc. 28. Augusti


## B.


S. Barbara Virg. Mart. 4. Decem
S. Bartholomæus Apoſt. 24. Aug
S. Baſilius Magnus. 14.
Ven. Beatrix Brabantina. 28.
Ven. Beatrix à Nazareth. 26. Aug
S. Benedictus Patriarcha. 21. M
S. Benedictus. 12. Febr
S. Benno Epiſc. 16.
S. Bernardinus Senenſis. 20.
S. Bernardus Abbas. 20. Au
Bethlehemium Profectio. 22. Decc
S. Birgitta Vidua. 8. Oct
Ven. Blonda Ord. Servit. 2. Oct
S. Bonaventura. 14
S. Bonifacius Mart. 14
S. Bonifacius Apoſt. Germanus. 5.
S. Bonifacius Papa. 25. Oct
S. Bonitus Epiſc. 15. Jan

ius Epiſc. - - 25. Februarii.
Patriarcha. - - 6. Octobris.
Epiſc. - - - 11. Octobris.


## C.


us. - - - 24. Januarii.
a Virg. Mart. - - 22. Novembris.
ius Arelat. - - 27. Auguſti.
inus. - - - 7. Auguſti.
us Borromæus. - 4. Novembris.
us Comes. - - 2. Martii.
irus. - - - 4. Martii.
lus Mart. - - - 26. Martii.
rina Virg. Martyr. - 25. Novembris.
rina Bononienſis. - - 11. Martii.
rina Sueca. - - 22. Martii.
rina Senenſis. - - 30. Aprilis.
ina Virgo Mart. - - 24. Julii.
iſio Domini. - - 1. Januarii.
Virgo. - - 12. Auguſti.
de Monte Falconis. - - 17. Auguſti.
ens Ancyranus. - 23. Januarii.
ens Papa Mart. - - 23. Novembris.
a. - - - 6. Martii.
mba. - - - 21. Maji.
nbanus. - - - 9. Junii.
mbanus Abb. - - 20. Novembris.
io Beatiſſimæ Virginis. - 8. Decembris.
n M. - - - 5. Martii.
adus Placentinus. - 19. Februarii.
adus Epiſcopus. - - 27. Novemb.
adus. - - - 26. Aprilis.
io S. Panli. - - - 25. Jan.
io S. Mariæ Magdal. - 10. Maji.
inianus Epiſc. - - 9. Septemb.
S. Crucis. - - 3. Maji.

Exaltatio S. Crucis. 14. Septemb.
S. Cunegundis Imp. 3. Martii.
S. Cuthbertus Epiſc. 20. Maji.
S. Cyprianus Epiſc. 16. Septemb.


## D.


S. Damianus Archiep. Epiſc. 13. Martii.
S. Daniel Abbas. 27. Junii.
S. Daniel Propheta. 21. Julii.
S. David Rex. 30. Decembris.
Decollatio S. Joann. Baptiſtæ. 29. Auguſti.
Dedicatio Baſilicæ S. Mariæ ad Mart. 13. Maji.
S. Michaëlis. 29. Septemb.
SS. Petri & Pauli. 18. Novemb.
S. Deicola Abbas. 18. Januarii.
S. Deſiderius Epiſc. 23. Maji.
Deſponſatio Beatiſſimæ Virginis. 23. Januarii.
S. Dimpna Virg. Mart. 15. Maji.
S. Diodorus. 1. Decemb.
S. Dionyſius. 9. Octobris.
S. Dioſcorus Abb. 9. Aprilis.
S. Dominicus. 4. Auguſti.


## E.


S. Eberhardus Epiſc. 22. Junii.
B. Edigna Virg. 27. Februarii.
S. Eduardus Rex. 13. Octobris.
Ven. Eleonora de Venagres. 10. Maji.
S. Eliſabetha Regina Luſitaniæ. 8. Julii.
S. Zacharias & S. Eliſabeth. 5. Novembris.
S. Eliſabetha Vidua. 19. Novembris.
Ven. Eliſabetha Bona Reuthenſis. 26. Novembris.
S. Eleutherius Epiſc. 20. Februarii.
S. Emeramus Epiſc. Mart. 22. Sept.

lbertus Ep. Mart. 7. Nov.
ia Domini. 6. Jan.
hanius Epiſc. 12. Maji.
nus Epiſc. Mart. 2. Junii.
iſtus Papa. 26. Octobr.
ierius. 28. April.
xia 1. Martii.
is Papa III. 5. Julii.
rafia Virgo. 13. Martii.
ichius Mart. 20. Septembris.
chius Patriarcha. 6. Aprilis.


## F.


inus Presbyt. 15. Februarii
onia Virg. Mart. 25. Junii.
Papa. 30. Maji.
de Cantalitio. 18. Maji.
ciſca Romana. 9. Martii.
ciſcus Xav. 3. Decemb.
ciſcus Saleſ. 29. Januarii.
ciſcus de Paula. 2. Aprilis.
ciſcus Seraph. 4. Octobris.
Ejusdem SS. Stigmata. 17. Septemb.
ciſcus Borgias. 10. Octobris.
ericus. 11. Februarii.
ericus Epiſc. Mart. 28. Julii.


## G.


iel Archangelus. 18. Martii
a Vidua. 5. Octobris.
us Abbas. 16. Octobris.
gericus Epiſc. 11. Auguſti.
hardus Epiſc. 3. Junii.
pveſa Palatina. 3. April.

S. Genovefa Virgo. 3. J
S. Geslacus Erem. 5. J
S. Germanus Epiſc. 28
Alius. 3
Alius. 30.
S. Gertrudis. 17.
Alia. 17. N
S. Goar Presbyt.
S. Godefridus Religioſus. 3. O
S. Godefridus Epiſc. 8. N
S. Gothardus.
S. Gregorius Magnus. 12.
S. Gregorius Nazianz.
S. Guido Abbas. 31.
Alius Confeſſor. 12. Sept
S. Guilielmus Epiſc. 10. J
Alius Eremita. 1
Alius Abbas
Alius.
S. Gundiſalvus Epiſc. 1

## H.

S. Hedvvigis Vidua. 17.
S. Helena Imperatrix. 18.
S. Henricus Imperator. 1
B. Henricus Monachus. 1
S. Heribertus Epiſc. 16.
B. Herlucca Virg. 1
B. Hermannus Steinfeld. 7
S. Hermenegildus Rex Mart. 1
S. Hieronymus.
SS. Hoſtia, Paſſavii inhonorata.
Ven. Humilitas. 2
S. Hyacinthus. 16.
S. Hyginus Papa.

# I.


S. Jacobus Pœnitens. 28. Januarii.
S. Jacobus Minor. 1. Maji.
S. Jacobus Major. 25. Julii.
B. Jacobus de Bevagna. 22. Auguſti.
S. Jacobus de Marchia. 28. Novembris.
S. Januarius Epiſc. Mart. 19. Septembr.
B. Idda Virg. 29. Octobris.
S. Idda. 3. Novembris.
Jeſu Nomen. 14. Januarii.
S. Idulphus Epiſc. 10. Julii.
S. Ignatius Mart. 1. Februarii.
S. Ignatius Loyola. 31. Julii.
S. Ildephonſus Epiſc. 18. Decembris.
Imago Chriſti Perythenſis. 9. Novembris.
B. Imelda. 5. Februarii.
SS. Innocentes. 28. Decembris.
Inventio ſanctæ Crucis. 3. Maji.
Inventio ſancti Stephani. 3. Auguſti.
Sanctus Joachim Patriarcha. 20. Martii.
B. Joanna de Cruce. 14. Decemb.
Ven. Joannes Rusbrochius. 2. Decemb.
S. Joannes Evangeliſta 27. Decemb.
Ante Portam Latinam. 6. Maji.
S. Joannes Epiſc. 12. Januarii.
S. Joannes Chryſoſtomus. 27. Januarii.
S. Joannes de Matha. 8. Febr.
S. Joannes de Deo. 8. Martii.
S. Joannes Nepomuc. 16. Maji.
S. Joannes Papa. 27. Maji.
B. Joannes de Segovia. 11. Junii.
S. Joannes Baptiſta. 24. Junii.
Decollatio. 29. Auguſti.
S. Joannes Gualbertus. 12. Julii.
S. Joannes Bonus. 22. Octobris.
S. Joannes Capiſtranus. 23. Octobris.

S. Iob. — 10. Maii.
S. Iodocus Confeſſ. — 12. Decemb.
B. Iordanes. — 15. Februar.
S. Ioſephus Patriarcha. — 19. Martii.
Ejus profectio Bethlehemium. 22. Dec. & ſeq.
S. Ioſephus Poëta. — 3. April.
S. Iovita Diac. — 15. Feb.
S. Iſidorus Epiſc. — 1. Apr.
Alius Agricola. — 15. Ma.
B. Iveta. — 13. Ja.
S. Iudas Thaddæus. — 28. Octob.
S. Iuliana Virg. & Mart. — 16. Februar.
S. Iuliana Falconeria. — 19. Junii.
S. Iulianus Martyr. — 9. Januar.
S. Iuſtina Virg. & Mart. — 25. Septemb.

# K.

# L.

S. Lalibalæ Rex. — 23. Martii.
S. Laurentius Iuſtinianus. — 8. Jan. & 5. Septemb.
S. Laurentius Mart. — 10. Auguſti.
S. Laurentius Epiſc. — 14. Novembris.
Lauretanæ Domûs Translatio. — 10. Decemb.
S. Leo Papa. — 11. April.
Alius. — 19. April.
Alius. — 28. Junii.
S. Leonardus Abbas. — 6. Novemb.
S. Leufridus Abbas. — 20. Junii.
S. Licinius Epiſc. — 13. Februarii.
S. Lidvvina Virg. — 14. April.
S. Longinus Mart. — 15. Martii.
S. Lucas Evangeliſta. — 18. Octobr.
S. Lucia Virg. Mart. — 13. Decembr.
S. Lucianus Mart. — 7. Januarii.

S. Lu-

danus. - - 11. Febr.
dgardis Virg. - - 17. Junii.
dgerus Epiſc. - - 26. Martii.
dovicus Epiſc. - - 19. Auguſti.
dovicus Rex. - - 25. Auguſti.

## M.

ıçarius Abbas. - - 2. Januarii.
aclovius Epiſc. - - 15. Novembris.
agnus Epiſc. - - 16. April.
agnus Abbas. - - 6. Septemb.
amertus Epiſc. - - 19. Majı.
arcellus Papa Mart. - 16. Januarii.
arcus Evangeliſta. - - 25. April.
argarita de Cortona. - 22. Februarii.
Margarita Dalphini. - 29. Martii.
argarita Regina. - 10. Junii.
argarita Virg. & Mart. - 20. Julii.
Margarita Iprenſis. - eodem.
e Deiparæ Immac. Conceptio. 8. Decembr.
Profectio Bethlehemium. 22. Dec. & ſeq.
Deſponſatio. - - 23. Jan.
Purificatio. - 2. Februarii.
Annuntiatio. - - 25. Martii.
Viſitatio - - 2. Julii.
Commem. de Monte Carmelo. 16. Julii.
Feſtum ad Nives. - 5. Auguſti.
Obitus. - - - 15.
Aſſumptio. - - - 15.
Nativitas. - - 8. Septembr.
Feſtum Nominis. - - 15.
Feſtum de Victoria. - 1. Octobr.
Præſentatio. - - 21. Novemb.
Maria à S. Benedicto. - 19. Decemb.
laria Pœnitens. - - 26. Martii.
laria Ægyptiaca. - - 4. April.

S. Maria Oegniacenſis. 23. Junii.
Ven. Maria Vela. 24. Septembris.
S. Mariæ Magdalenæ Converſio. 10. Martii.
Feſtum. 22. Julii.
S. Maria Magdalena de Pazzis. 25. Maji.
S. Marianus. 1. Decembris.
S. Martha Virgo. 29. Julii.
S. Martinianus Eremita. 13. Febr.
S. Martinus Epiſc. 11. Novembris.
S. Martinus Papa Mart. 12.
S. Matthæus Apoſt. 21. Septembris.
S. Mathias Apoſt. 24. Februarii.
S. Maurilius Epiſc. 13. Septembris.
S. Mauritius Mart. 21. Februarii.
S. Mechtildis. 20. Decembris.
S. Mechtildis Regina. 14. Martii.
S. Medardus Epiſc. 8. Junii.
S. Melania Junior. 31. Decembris.
S. Mellitus Epiſc. 23. Aprii.
S. Michaëlis Apparitio. 8. Maji.
Dedicatio. 29. Septembris.
SS. Miraculoſum Sacramentum Auguſtæ. 11. Maji.
S. Monica Vidua. 4. Maji.

# N.

Nativitas Domini Noſtri JEſu Chriſti. 25. Decembris.
Nativitas B. Virg. Mariæ. 8. Septemb.
S. Nicephorus Mart. 16. Februarii.
S. Nicolaus Epiſc. 6. Decembris.
S. Nicolaus Buſchenus. 23. Februarii.
Ven. Nicolaus de Saxo. 22. Martii.
S. Nicolaus Tolentinas. 10. Septembris.
Ven. Nicolaus Ciſtercienſis. 24. Novemb.
S. Nilus. 26. Septembris.
SS. Nomen Jeſu. 15. Januarii.
SS. Nomen Mariæ. 15. Septembris.

S. Nor-

S. Norbertus Epiſc. - - 6. Junii.

## O.

Omnes Sancti - - 1. Novemb.
S. Onophrius Eremita. - 12. Junii.
S. Opilio Diaconus. - - 12. Octobris.
S. Osvvaldus Epiſc. - 28. Februarii.

## P.

S. Pamphilus Epiſc. - - 28. April.
S. Pantaleon Mart. - - 27. Junii.
B. Paſchaſius. - - 26. April.
S. Paula Vidua. - - 26. Januarii.
S. Pauli Converſio. - - 25. Januarii.
Feſtum. - - 29. Junii.
S. Petronilla. - - 31. Maji.
S. Petrus. - - 29. Junii.
Ejus Vincula. - - 1. Auguſti.
S. Petrus Nolaſcus. - - 31. Januarii.
S. Petrus Damiani. - 21. Februarii.
S. Petrus Cardinalis. - 15. April.
S. Petrus Martyr. - - 29. April.
Ven. Petrus Dominic. - - 24. Julii.
S. Petrus Alcantaræus. - - 19. Octob.
S. Phenefius Abbas. - - 23. Febr.
S. Philippus Abbas. - - 1. Maji.
S. Philippus Nerius. - - 26. Maji.
S. Philippus Benitius. - 23. Auguſti.
S. Pius Papa Mart. - - 11. Julii.
Purificatio B. Virg. Mariæ. - 2. Februarii.
Præſentatio Virg. Mariæ. - 21. Novembris.
Purgantes Animæ. - - 2. Novembris.
Pœnitentia qualis eſſe debeat. 12. Martii. 22. Julii.
Præparatio ad Euchariſtiam neceſſaria. 30. Martii.

Purgantiam Animarum Memoria in Sacro facienda. 15. Feb. 6. Sept. 2. 6. Novembris.
Puritas in Sacerdote requiſita. 23. Iulii. 12. Auguſti. 4. Octob. 22. Novemb. *Vide Sanctitas.*

## Q.

S. Quirinus Epiſc. - - 4. Iunii.

## R.

S. Rainerius. - - 18. Iunii.
B. Ramboldus Abbas - - 1. Iulii.
S. Raphaël Archangelus. - 24. Octobris.
S. Raymundus Nonnatus. - 31. Auguſti.
S. Richildis Virgo. - 23. Auguſti.
B. Robertus Abbas. - - 7. Iunii.
S. Romualdus Abbas. - - 7. Febr.
S. Roſa Limana. - - 30. Aug.
S. Roſa Viterbienſis. - - 4. Septemb.
S. Roſalia Virgo. - - 4. Septemb.
S. Rupertus Epiſc. - - 27. Martii.
Reverentia Iudæorum & Ethnicorum in Sacrificiis ſuis confundit Chriſtianos. - 30. Novembris.
Reſignatio in Manus Dei. 9. Septemb.

## S.

S. Sabbas Abbas. - - 5. Decembris.
S. Sacerdos. - - 5. Maji.
S. Sebaſtianus Mart. - 20. Ianuarii
S. Sergius Papa. - 9. Septembris.
S. Sigfridus Epiſc. - - 14. Februarii.
S. Sirus Epiſc. - - 5. Decemb.
S. Simeon

S. Simeon ſtylit. Iun. 24. Maji.
S. Simeon Erem. 1. Iunii.
S. Simeon Trident. 24. Martii.
Ven. Simon Garzias. 25. Iunii.
S. Simon Monachus. 28. Iulii.
S. Simon Apoſt. 28. Octobr.
S. Sofius Diac. 23. Septemb.
S. Spero Abbas. 28. Martii.
S. Spes Epiſc. 29. Novembris.
S. Stanislaus Epiſc. Mart. 7. Maji.
S. Stanislaus Koſtka. 14. Auguſti; & 13. Novembris.
S. Stephanus Proto-Martyr. 26. Decemb.
Ejus Inventio. 3. Auguſti.
S. Stephanus Abbas. 17. April.
S. Stephanus Papa Mart. 2. Aug.
S. Stephanus Rex. 2. Septemb.
S. Stephanus Epiſc. 7. Septemb.
S. Sylveſter Conf. 31. Decembris.
S. Sylvinus Epiſc. 17. Februarii.
S. Sympertus Epiſc. 14. Octobris.
*Sacerdotum* negligentium, & malorum confuſio. 30. Novemb. 10. 17. Decemb. 2. 3. 8. 16. Ian. 29. Febr. paſſim eorundem Iudicium diſtrictum.
*Sacerdotum* Dignitas. 12. 16. Decemb. 24. Ian. 18. Febr. paſſim.
*Sacerdotum* Sanctitas requiſita. 4. 5. Ian. 3. Februar. 21. Martii. 22. April. paſſim.
*Sacerdotes* fugiant Negotia Sæcularia. 14. Octobris.
*Sacrum* non omittendum propter Tentationes. 12. Iunii.
*Salutatio* SS. Euchariſtiæ. 5. Aprilis.
*Sanguis Chriſti* vindictam clamat. 14. Maji.
*Sanctitas* in Sacerdote requiſita. *Vide ſuprà.*
*Ad Sanctus affectus.* 19. 20. Ian. 27. Auguſti.
*Silentium & Modeſtia* decent Sacerdotem. 26. Aug. 3. Sept.
Sol eſt SS. Euchariſtia. 30. Auguſti.
*Solitudo* Bona eſt. 29. Martii. 6. Octobr.
*Somnum* excutit Euchariſtia. 10. Octobris.
*Speculum* vitæ, & mortis. 21. Auguſti.

*Spei affectus.* 9. Dec. 18. 19. Ian. 3. 15. 17. Feb. paſſim.

## T.

*Templum* Dei eſt Cor noſtrum. 26. Maji. 29. Iulii. 21. Aug. 26. Octobr. paſſim.
*Templa* frequentanda. 29. Maji.
*Tentationes Juſtorum* 22. Iunii. 25. Octobr.
*Tepiditas noſtra.* 16. 17. Octob. 13. 24. Novemb.
*Timoris affectus.* 24. April. 17. Iunii.
*Timor mortis.* 11. Novemb.
*SS. Trinitatis Adoratio & Confeſſio.* 14. Dec. 25. Maji.
S. Theobaldus Abbas. 9. Iulii.
S. Theodonius. 18. Februarii.
S. Theodorus Abbas. 22. April.
Ven. Thereſia Ancilla. 3. Septemb.
S. Thereſia Virg. 15. Octob.
B. Thetta Abbatiſſa. 27. Octobris.
S. Thiemo Epiſc. Mart. 27. Septemb.
S. Thomas Apoſtolus. 21. Decembris.
S. Thomas Epiſc. Mart. 29. Decembris.
S. Thomas Aquinas. 7. Martii.
S. Thomas Villanovanus. 18. Septemb.
S. Titus Epiſc. 4. Ianuarii.
Transfiguratio Domini. 6. Auguſti.
B. Tutto Epiſc. 27. Auguſti.

## V.

Ven. Victoria Arata. 15. Decembris.
B. Villana. 26. Februarii.
Alia. 21. Auguſti.
S. Vincentius Mart. 22. Ianuarii.
S. Vincentius Ferrerius. 5. April.
Vincula S. Petri. 1. Auguſti.
Viſitatio

tatio B. Virginis Mariæ. - 2. Iulii.
Vitalis Epiſc. - - 26. Septemb.
Vitus Mart. - - 15. Iunii.
Vdalricus Epiſc. - - 4. Iulii.
Vrſula Virgo & Martyr. - 21. Octobr.
. Urſula Beninçaſa. - 20. Octobr.
*a danda* Hoſtibus. 10. Maji. 2. Octobris.
*icum* eſt Euchariſtia. 27. 28. Martii. 31. Auguſti.
*ntes* ad SS. Communionem ſervientes. 24. Octob.
*cum* Chriſto in Euchariſtia, 16. Sepemb. 27. Octob.
19. 25. Novembris.
ıera Chriſti. - 15. Martii. 21. Maji.

# VV.

Walburga. - - - 27. April.
Walto Abbas. - - 10. April.
Wenceslaus Mart. - - 28. Septemb.
Wernerus Puer. - - 19. April.
Wicterpus Epiſc. - - 8. April.
Wilfridus Epiſc. - - 24. April.
Wilibaldus Epiſc. - - 7. Iulii.
Winvvalocus. - - 3. Martii.
Wolffgangus Epiſc. - 31. Octobris.
Wolfholdus. - - 1. Februarii.

# Z.

ıcharias. - - 5. Novembris.

# FINIS.

